Legatoria
AZZO GIUSEPPE

CAIETANI CAN. SANSEVERINO

INSTITVTIONES

SEV

ELEMENTA

PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

CVM ANTIQVA ET NOVA

COMPARATAE

A

NVNTIO CAN. SIGNORIELLO

CONTINVATAE ET ABSOLVTAE

editio novissima

avcta et emendata

Nec recuso... hominem nosse se, et perspicere debere, quid sit, unde sit, quare sit; Min. Fel., Octav. n. XVI.

VOL. II.

ALMA COLLEGE
102
LIBRARY
Sa59
Alma, California

NEAPOLI
APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE
SCRIPTORVM
in via vulgo san-Giovanni-Magg.-Pignatelli--aedibus Fibreniania
MDCCCLXXXV

33674

Huius Operis ius proprietatis in Legum tutela est; et Auctor vetat, sine expressa sua facultate, in quodcumque idioma versionem fieri.

NEAPOLI — TYPIS FRATR. MANFREDI
in via vulgo *Sannicandro*, 4
MDCCCLXXXV

INDEX

(volvminis hvivs)

ONTOLOGIA

Prolegomena . . . . . PAG. 1

CAPVT I. *De categoriis in universum spectatis*

ART. I. Principium, ex quo divisio categoriarum petenda est, investigatur . . . . . » 4

ART. II. De categoriarum numero, et distinctione. . . . » 12

CAPVT II. *De Ente*

ART. I. Nonnullae notiones, quae ens respiciunt, explicantur. » 15

ART. II. De origine, et vi notionum entis, et non entis . . » 20

ART. III. Philosophorum absurdae sententiae circa notiones entis, et nihili refelluntur. . . . . » 27

ART. IV. Principium, quod ex notione entis dimanat, exponitur. » 32

ART. V. De entium essentia, et existentia . . . . . » 42

ART. VI. De proprietatibus omnium entium communibus, et primum de unitate. . . . . » 54

ART. VII. De identitate, et distinctione, aliisque affinibus notionibus. . . . . » 58

ART. VIII. De entium veritate . . . . . » 70

ART. IX. De bonitate entium. . . . . » 77

ART. X. De pulcritudine . . . . . » 87

CAPVT III. *De categoriis speciatim consideratis, et in primis « de substantia »*

ART. I. Notio *substantiae* declaratur . . . . . » 93

ART. II. Quidnam illud sit, per quod *substantia* fit individua, investigatur. . . . . » 103

ART. III. De *supposito* et *persona*. . . . . » 114

ART. IV. De *accidente*. . . . . » 122

CAPVT IV. *De secunda, tertia, et quarta categoria*

ART. I. De *quantitate*. . . . . » 129

ART. II. De categoria *relationis*. . . . . » 136

ART. III. De categoria *qualitatis* . . . . . » 141

CAPVT V. *De « actione », et « passione »*

ART. I. Nonnullae notiones circa *actionem*, et *passionem* explanantur. . . . . PAG. 144

ART. II. De notione *causae* generatim consideratae. . . » 150

ART. III. De vi obiectiva causae efficientis, et de principio causalitatis. . . . . » 154

ART. IV. Agendi vim rebus creatis non repugnare demonstratur. . . . . » 159

ART. V. De causae efficientis diversis speciebus. . . . » 162

CAPVT VI. *De septima categoria*

ART. I. Notiones *loci*, et *ubi* declarantur. . . . . » 168

ART. II. Philosophorum opiniones de natura *spatii* discutiuntur. . . . . » 171

ART. III. De origine, et vi notionis *spatii* . . . . . » 178

CAPVT VII. *De octava categoria* Quando

ART. I. De duratione, eiusque diversis modis. . . . . » 182

ART. II. Notio temporis exponitur. . . . . » 184

ART. III. De origine notionis temporis. . . . . » 190

ART. IV. Utrum conceptus temporis sit subiectivus, an obiectivus. . . . . » 195

CAPVT VIII. *De duabus postremis categoriis*

ART. I. De situ. . . . . » 198

ART. II. De *habitu*. . . . . » 200

COSMOLOGIA

Introductio. . . . . » 202

CAPVT I. *De natura corporum*

ART. I. Discrimen inter corpora non viventia, et viventia explicatur. . . . . » 204

ART. II. Systema atomicum, seu mechanicum de elementis corporum exponitur, et refellitur. . . . . » 208

ART. III. De systemate chymico. . . . . » 213

ART. IV. De systemate dynamico . . . . . » 217

ART. V. Systema Aristotelico-scholasticum exponitur. . . » 223

ART. VI. Expositi systematis veritas demonstratur . . . » 240

ART. VII. Obiectionibus adversariorum satisfit . . . . » 251

ART. VIII. Quaenam sit essentia corporis, investigatur. . » 257

CAPVT II. *De proprietatibus corporis* . . . . . PAG. 267
ART. I. Potiores Philosophorum opiniones recensentur. . » 268
ART. II. De proprietatibus, quae a principio passivo in corpore exurgunt, et primum de *quantitate* . . . . . » 271
ART. III. De *impenetrabilitate* corporis . . . . . » 280
ART. IV. De proprietatibus, quae ex principio activo promanant, et primum de *figura* . . . . . » 284
ART. V. De corporum *activitate* . . . . . » 288
ART. VI. Quid de proprietatibus primariis, et secundariis dicendum sit, definitur. . . . . » 293
CAPVT III. *De vegetabilibus*
ART. I. Variae sententiae Philosophorum de vita vegetabilium excutiuntur . . . . . » 299
ART. II. De praecipuis operationibus vegetabilium . . . » 308
ART. III. Vitae vegetativae definitio statuitur. . . . . » 313
CAPVT IV. *De genere viventium, quae sensu pollent, sive* de brutis
ART. I. Brutis animam sentientem esse demonstratur. . » 315
ART. II. Praecipuae belluarum operationes recensentur. . » 324
ART. III. De animae brutorum natura, ortu, atque interitu. » 330
CAPVT V. *De nexu, quo res mundanae inter sese continentur*
ART. I. Inaequalitas, et colligatio rerum mundanarum exponuntur. . . . . » 348
ART. II. Nonnulli exitiales errores circa rerum creatarum colligationem refelluntur . . . . . » 352
ART. III. De nexibus dynamico, et teleologico rerum mundanarum. . . . . » 368
CAPVT VI. *De ordine, ex quo nexus rerum naturalium efficitur, eiusque legibus disseritur*
ART. I. Quaedam notiones circa ordinem naturae praestituuntur . . . . . » 384
ART. II. Ordinis naturalis existentia, et ordinis supernaturalis possibilitas adstruuntur. . . . . » 388
ART. III. De natura legum physicarum . . . . . » 393
ART. IV. De miraculis, et primum de eorum notione, et diversis speciebus. . . . . » 400
ART. V. De miraculorum possibilitate. . . . . » 408
CAPVT VII. *De origine mundi*
ART. I. Opiniones Philosophorum de origine mundi recensentur. . . . . » 415

ART. II. Vera sententia circa mundi originem propugnatur. PAG. 420
ART. III. Philosophi, qui necessitatem creationis ab aeterno asserunt, refutantur . . . . . » 440
ART. IV. Investigatur, an mundus ab aeterno creari potuerit. » 450
CAPVT VIII. *De perfectione mundi*
ART. I. Historia opinionum de mundo optimo breviter enarratur. . . . . » 460
ART. II. Optimismus mundi refellitur. . . . . » 463

ONTOLOGIA

PROLEGOMENA

1. Postquam ea omnia novimus, quae tum ad diversas mentis humanae actiones in rerum cognitione assequenda, tum ad facultates, ex quibus actiones illae proficiscuntur, spectant, tractationem de illis universalibus notionibus, quibus scientiae omnes innituntur, aggrediamur oportet. Et sane, quoniam philosophia quidquid ad suprema cognitionis humanae principia probe, penitusque intelligenda confert, pro instituto suo tradere debet, investigatio illarum notionum, quae, ut ita dicamus, ceteris scientiis aditum reserant, maxime propria eius procul dubio dicenda est.

2. Haec philosophiae pars complectitur *Philosophiam primam* Aristotelis [1], quam eius discipuli *Metaphysicam* [2] dixere, et recentes Philosophi, prout diversa ratione ab eis considerata est, aut *Ontologiam* [3], aut *Idealogiam* [4], aut *Protologiam* [5], aut *Theoriam scien-*

---

1) *Natur. Auscult.*, lib. I, c. 9, et lib. II, c. 2.

2) Iam inde a primo post Christum n. saeculo ea, quam *Philosophiam primam* Aristoteles vocaverat, *Metaphysica* dicta fuit (Plut., *Vita Alex.*, c. 7). Verisimillimum est hanc inscriptionem auctorem habuisse Andronicum Rhodium, qui libros Aristotelis per singulas disciplinas descripsit (Porphyr., *Vita Plotini*, c. 24, ed. Kirchoff, Lipsiae 1856), et ad ordinem librorum referri, quia Andronicus libros de prima philosophia post libros physicos (*μετὰ τὰ φυσικά*, *post physica*) collocavit (Alex. Aphrod., *Comm. in lib. I Metaph.*, c. 1, p. 127, ed. Bonitz. Berolini 1847; cf Braudis, *Comment. Acad. Berol.*, an. 1834, p. 63-87). Scire quoque iuvat Aristotelem *Philosophiam primam* interdum nomine *Theologiae* designasse (*Met.*, lib. X, c. 7, p. 206, ed. Bonitz), quia putavit, ut suo loco videbimus, primum motorem universitatis rerum esse Deum. Hinc factum est, ut Scholastici fere usque ad nostram aetatem, cum universam philosophiam in *logicam*, *physicam*, *metaphysicam*, et *ethicam* dividerent, *theologiam naturalem* metaphysica comprehenderent.

3) Denominatio *metaphysicae* usque ad aetatem Wolfii perduravit; siquidem huius auctoritate nomen *ontologiae* deinceps invaluit, et metaphysicae nomine, omnes partes philosophiae theoreticae, excepta logica, ut iam diximus (vol. I, *Introd.*, p. 32), designatae fuerunt. Vid. Wolfium, *Log.*, *Discursus praelim.*, c. 3, § 72, ed. cit.

4) Hoc nomen ab iis accepit, qui in hac parte philosophiae non aliud, nisi originem idearum tractarunt. Nonnulli autem Lockiani, uti D'Alembert (*Essai sur les élém. de phil.*, *Mèlang.*, t. IV, p. 45, et 46, ed. cit.), et Condillachiani, uti Tracy (*Élémens d' Idealogie*, ed. cit.), totam illam, quam Wolfius metaphysicam vocavit, nomine *Idéalogiae* denotarunt.

5) Hoc nomine primum, quantum scimus, ab Hermenegildo Pino (*Protologia*, a-

tiae[1] nuncupaverunt. Nos, ne a dicendi ratione hodie in scholis frequentata recedamus, nomen *Ontologiae* ceteris anteferimus, eamque secundum D. Thomam commode definiri posse censemus: Scientiam, quae «considerat ens, et ea, quae consequuntur ipsum[2]», vel, ut alibi idem sanctus Doctor inquit, scientiam, «quae habet pro subiecto ens, quod est commune ad omnia; et ideo considerat ea quae sunt propria entis, quae sunt omnium communia, tamquam propria sibi[3]».

3. Quo haec definitio, simulque natura huius partis philosophiae perspicua fiat, animo recolendum est, singulas particulares scientias, cum circa specialem aliquam materiam versentur, certos quosdam, et determinatos modos entis tractare, et peculiares quasdam eius notiones evolvere. E. g., Geometria, cuius materia est quantitas continua, et Arithmetica, cuius materia est quantitas discreta, duos modos speciales quantitatis, nempe entis, prout est *quantum*, edisserunt; et notiones proprias alterutrius quantitatis inquirunt[4]. At vero *Ontologia* ea est, quae de ente non secundum aliquam peculiarem rationem, nempe, ut idem sanctus Doctor inquit, prout est *huiusmodi ens*, sed *absolute*, nempe prout est *ens*, disputat[5]; unde notiones, quae non aliquem modum specialem entis, sed universales notiones, entis repraesentant, inquirit, atque exponit. Iam huiusmodi notiones eae sunt, quae *categoriae* dicuntur, hoc est, ut alibi a nobis explicatum est[6], illae supremae notiones, ad quas ceterarum rerum notiones referuntur. Quocirca obiectum, in quo Ontologia versatur, tractationem de categoriis complectitur.

4. Iam de categoriis in *Ontologia* diversa ratione, ac in *Logica*, disputatur. Enimvero categorias duplici modo consideremus oportet, scilicet et prout sunt *notiones secundae*, quarum ope res ad se invicem referri, atque inter se quodam ordine contineri intelligimus, et prout sunt notiones *primae*, hoc est, prout quasdam naturas exhibent, et principia diversitatis rerum sunt[7]. Cuius ratio est, quod, si categoriae ad res, quae extra mentem humanam sunt, quodammodo non referrentur, naturas rerum, illarum ope, cognoscere haud possibile foret. E. g., mens, cum in notionem substantiae vim suam intelligendi con-

---

nalysim scientiae sistens ratione prima exhibitam,' Mediolani 1803), deinde nuper a Giobertio (*Protologia*, ed. cit.) donata est.

1) Fichteus huius nominis auctor fuit in opere, quod *Theoriam scientiae* (germ.) inscripsit, quodque Grimblot gallice reddidit hoc titulo: *Doctrine de la science*, Paris 1843.

2) *Metaph.*, Prolog.

3) *In lib. I Post.*, lect. XVII.

4) Cf s. Thom., *In lib. I Met.*, lect. I.

5) *Ibid.*

6) Vid. vol. I, *Log.* pars I, c. I, art. 1, p. 41.

7) Cf *ibid.*

vertit, cognoscere haud potest unum ad aliud, tamquam substantiam, non tamquam accidens ordinem habere, nisi illa notio complectatur omnes res, quae per se sunt, atque has ab iliis discriminet, quae in alio sunt, quaeque idcirco *accidentis* notione includuntur, quia notiones secundae, ut iam advertimus [1], notiones primas praeformatas expostulant. Categoriae, si priori modo considerentur, ad Logicam, uti diximus, pertinent, quia ipsae in *Logica* tractantur ex ea parte, quatenus intellectus ordinem inter conceptus rerum ponit [2]. Sin posteriori modo, ad Metaphysicam spectant, quippe quod investigare diversas affectiones, et relationes entis, ob idque definire conceptus, qui illas exhibent, proprium metaphysicae opus est. « Praedicamenta, ad rem Scotus inquit, dupliciter possunt considerari. Uno modo, in quantum sunt entia. Alio modo, in quantum considerantur a ratione, sive aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur. Primo modo de eis considerat Metaphysicus, subiectum enim eius est ens in quantum est. Secundo modo hic (*in Logica*) de eis consideratur [3] ». Itaque *Ontologia* categorias respicit tamquam partes entis, et principia diversitatis rerum; *Logica* autem tamquam diversos respectus, secundum quos aliae aliis subiiciuntur, aliaeque de aliis predicantur, ut a notis ignotum elici possit [4]. Cave autem, ne inde cum Rosminio colligas categoriarum alias esse *logicas*, alias *ontologicas* [5]. Nam, quandoquidem diversi respectus, secundum quos notionum aliae de aliis praedicantur, non sunt veri, nisi diversas partes, sive affectiones entis, quales in rebus sunt, adamussim repraesentent, et notiones, quae hasce affectiones denotant, non sunt verae, nisi diversis respectibus, secundum quos ipsarum aliae de aliis praedicantur, adamussim respondeant, necesse prorsus est, ut categoriae, de quibus in diversis philosophiae partibus disputatur, sint prorsus eadem, et tantum secundum diversos modos, quibus considerantur, ab se differant.

5. Cum hoc sit Ontologiae obiectum, facile intelligitur eius praestantiam in eo positam esse, quod ab ipsa omnes aliae scientiae pendent. Enimvero principia propria diversarum scientiarum, ut alibi

---

[1]) Vid. *Log.* loc. cit.

[2]) Ibid.

[3]) *In lib. Praedicament.*, q. 4 ad quaest.

[4]) Metaphysica, inquit B. Alb. M., categorias tractat « secundum rem, et secundum quod sunt naturae quaedam, et partes entis », sive, ut infra ait, « prout sunt partes entis, et principia diversitatis rerum »; Logica autem « secundum quod sunt aliquid praedicabile, vel ordinabile in genere secundum hunc, vel illum modum praedicandi, vel subiiciendi » (*Praedicam.*, lib. II, tract. I, c. I; cf s. Thom., *In lib. I Ethic.*, Prooem., et s. Bonav., *De reduct. art. ad Theol.*). Hinc ii, qui cum Giobertio (*Protol.*, Saggio I, n. 5, *Del pensiero*, t. I, p. 247 sqq, ed. cit.) categorias sub unica tractatione comprehendunt, reale cum ideali, et metaphysicam cum logica, aeque ac Heghelius, confundere coguntur.

[5]) *Logica*, lib. II, sez. I, c. 9-12, p. 116-122, Napoli 1857.

innuimus [1], a principiis communibus vim suam mutuantur. Nam principia communia, aiente s. Thoma, sunt « communes conceptiones omnium, ex quibus procedunt omnes demonstrationes, in quantum scilicet singula principia propriarum conclusionum demonstratarum habent firmitatem virtute principiorum communium [2] »; unde principia propria, quemadmodum iam adnotavimus [3], non sunt, nisi principia communia ad speciales aliquas materias contracta. Atqui supremae notiones, de quibus Ontologia agit, cum non modum specialem entis, sed universales rationes eius repraesentent, principia communia, ad quae principia propria singularum scientiarum referuntur, suppeditant. Ergo *Ontologia* huiusmodi est, ut ab ea ceterae scientiae pendeant. Ex omnibus, quae s. Thomas ad hanc rem adduxit, praestat haec pauca referre: « Necessitas autem huius scientiae, quae speculatur ens, et per se accidentia eius, ex hoc apparet, quia huiusmodi non debent ignota remanere, cum ex eis aliorum dependeat cognitio, sicut ex cognitione communium dependet cognitio propriorum [4] ».

6. In hac potissima philosophiae parte ordini, et perspicuitati consulere volentes, primum nonnullas de categoriis in genere spectatis quaestiones solvemus, quas utpote subdifficiles consulte in *Logica* omisimus; deinde de ente, quod per categorias diversis modis determinatur, disseremus; denique singulas categorias explicabimus.

CAPUT PRIMUM

De categoriis in universum spectatis

ARTICVLVS PRIMVS

Principium, ex quo divisio categoriarum petenda est, investigatur

7. Omnes Philosophi, qui de categoriis tractarunt, in hoc consentiunt, quod principium, a quo categoriae oriuntur, sit ens, sive *esse*. Et iure quidem optimo. Nam categoriae sunt supremae notiones, ad quas diversa rerum genera referuntur, proindeque supremae notiones, quae de diversis rebus praedicari possunt [5]. Atqui quidquid de aliqua re praedicatur, ad eius *esse* pertinet, quippe quod non potest aliquid cum aliquo coniungi, nisi ipsi *inesse*, scilicet *in eo esse* intelligatur. Ergo categoriae, cum sint suprema praedicandi genera, diversos modos essendi significant. Quod si id categoriae significant, liquet

---

1) Vol. I, *Log.* pars. III, c. IV, art. 2, p. 212.
2) *In lib. III Met.*, lect. V.
3) Vol. I. *Criteriol.*, c. I, art. 3, p. 574.
4) *In lib. IV Met.*, lect. I.
5) Cf *Log.* pars I, c. 1, art. 1, p. 41 vol. I.

ipsas ens pluribus, diversisque modis determinatum exhibere, ideoque *ens* esse principium, ex quo categoriae promanant [1].

8. At vero, quandoquidem vox *ens* plura significat, investigemus oportet, qua significatione accipiendum sit ens, quod est verum principium categoriarum. Tres sunt, quemadmodum s. Thomas monuit [2], diversae acceptiones huius vocis. Ipsa enim quandoque illud *esse* significat, quod copulae officio in enunciatione fungitur, puta cum dicitur, *Socrates est philosophus;* quandoque autem *essentiam* rei, nempe id, per quod quaelibet res in sua specie constituitur, puta *humanitatem* in Socrate, quia per humanitatem Socrates est homo; quandoque tandem essentiam *actu* completam, sive existentiam actualem rei, hoc est, illud, quo res actu est in natura. Quae tertia acceptio *entis*, ut dilucidius explicetur, cum eodem Aquinate [3] animadvertendum est, quidquid est in rerum natura, essentiam *actu* completam, nempe essentiam iam completam per existentiam habere. Iam in qualibet re creata, ut alibi ostendemus, *esse essentiae*, hoc est, *esse*, per quod res in aliqua specie constituitur, ab *esse existentiae*, hoc est, ab *esse*, per quod actu est, differt, ita ut essentia rei ab eo, per quod ipsa actu est, distinguatur [4]. Ens igitur, quod non modo *esse essentiale*, sed etiam *esse actuale* complectitur, ob idque essentiam per existentiam completam denotat, illud est, cui tertiam acceptionem entis assignavimus.

9. Cum haec triplex sit acceptio entis, haud difficulter intelligere licet, ens, quod tamquam categoriarum principium ponitur, non esse illud, quod copulam enunciationis constituit, quemadmodum Kantius [5], et Rosminius [6] docuerunt, neque, uti sensisse videntur Heghelius [7], et Giobertius [8], illud, quod essentiam rei simpliciter significat. Non primum. Nam categoriis non quaeritur, an sit res, sed cuiusmodi sit. Atqui ens, quod in enunciatione munus copulae obit, significat quidem aliquid entis inesse subiecto, sed cuiusmodi illud sit, utrum substantia, an qualitas, an alius quidam modus entis, minime patefacit. Puta in hac enunciatione, *Socrates est philosophus*, verbum *est* significat *esse philosophum* Socrati inesse, sed, utrum *esse philosophum* sit substantia Socratis, an qualitas, quae substantiae inhaeret, minime innuit. Ergo ens, quod in categorias dividitur, non est il-

---

1) Arist., *Met.* lib. VI, c. I. Cf B. Alb. M., *Log.*, lib. II; *De Praedicamentis*, tract. I, c. 2; et s. Thom., *In lib. I Met.*, lect. IX.

2) *In lib. II Sent.*, Dist. XXVIII, q. I, a. 1 ad 1.

3) Cf. I, q. LIV, a. 3 c., et *Quodlib.* II, a. 3 c.

4) Cf Caietanum in Opusc. s. Thomae *De Ente, et Essentia*, c. I, p. 35, et 36, Lugduni 1668.

5) *Critique de la raison pure* (germ.); *Log. transcend.*, lib. I, sect 3, § 10; vol. I, p. 137-144, vers. et ed. citt.

6) *Log.* lib. II, sez. I, c. 9, 11, p. 119-122, ed. cit.

7) *Encyclop.*, § 86 sqq, Addition., ed. cit.

8) *Protolog.*, Saggio I, vol I, p. 247, et Saggio III, vol. cit., p. 593.

lud, quod copulam enunciationis significat [1]. Accedit, quod compositio subiecti cum praedicato in enunciatione per se subiectiva est, quia ipsa est solum in intellectu, qui praedicatum cum subiecto comparatum considerat [2], et non fit obiectiva, nisi cum ad *esse* reale, et obiectivum subiecti, et praedicati, in quo fundamentum habet, refertur [3]. Quamobrem, si categoriae non aliunde ducerentur, nisi ab *esse*, quod relationem praedicati cum subiecto in enunciatione significat, ipsae omni reali fundamento destituerentur; quod quidem ad idealismum ducit [4].

10. Neque alterum. Etenim categoriae, uti ad hanc rem Henricus Gandavensis advertit [5], non significant diversas essentias rerum, hoc est, illud, per quod, res in certo genere, vel specie constituuntur, sed diversos modos, quibus *esse* essentiis ipsarum convenit, hoc est, essentias secundum diversos modos, quibus *esse* ipsis convenit, determinatas. E. g., categoria *substantiae* non denotat essentiam hominis, sed modum, quo essentia hominis in rerum natura est. Quapropter ex ente, quod essentiam simpliciter sumtam significat, categoriae, tamquam ex principio, derivari nequeunt, nisi essentia simpliciter sumta, et essentia a modo essendi determinata, sive *esse essentiae*, et *esse existentiae*, unum, idemque esse dicantur. Atqui *esse essentiae*, et *esse existentiae* in Deo quidem unum, idemque sunt, sed in rebus creatis ab se distinguuntur, quia ipsum *esse* Dei est Eius *essentia*, res autem creatae *esse* suum a Deo accipiunt. Ergo ens, quod essentiam simpliciter significat, tamquam categoriarum principium habendum non est [6].

---

[1]) Cf s. Thom., I, q. XLVIII, a. 2 ad 2; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1; *Quodlib.* IX, a. 3 c.

[2]) Cf B. Alb. M., *Periherm.*, lib. I, tract. II, c. 2, et s. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 2 *sol.*

[3]) Id adeo verum est, ut intellectus cum subiecto componat non ea dumtaxat, quae ipsi vere insunt, sed etiam ea, quibus caret. Ita in hac enunciatione, *Homerus est coecus*, verbum *est* non significat coecitatem Homero vere inhaerere, quia id, quod non est, nempe privatio alteri inhaerere nequit, sed significat compositionem coecitatis cum Homero, quam intellectus efficit, et per quam Homerum virtute videndi destitutum cognoscit. Cf s. Thom. *In lib. II Sent.* Dist. XXXIV, q. 1, art. 1 *sol.* et *Quodlib.*, loc. cit.

[4]) Hoc consectarium fluit non solum ex sententia Kantii, qui formas, secundum quas intellectus praedicatum cum subiecto componit, ipsi intellectui insitas posuit, sed etiam ex sententia Rosminii, qui illas ex ipsa natura iudicii colligendas esse dixit. Etenim analysis, et synthesis, ex quibus iudicium constituitur, si a realitate obiectorum, circa quae versantur, segregentur, sunt merum opus intellectus, ac proinde non in rerum natura, sed in intellectu nostro sunt. Et sane analysis, et synthesis, sive resolutio, et compositio nonnisi ab imbecillitate nostri intellectus pendent; hic enim, ut iam ostendimus (vol. I, *Dynamil.* c. III, art. 8, p. 335), perfectam rei notitiam assequi non potest, nisi eius elementa resolvat, resolutaque componat.

[5]) *Op. cit.*, art. XXVIII, n. 7, et 8.

[6]) Quoniam *esse essentiae*, et *esse existentiae* dumtaxat in Deo non distinguuntur,

11. Si ens, quod per categorias dividitur, non est illud, quod copulam in enunciatione significat, neque illud, quod essentiam rerum simpliciter constituit, consequens est illud esse ens *actuale*, sive illud, quod essentiam secundum quemdam essendi modum determinatam complectitur, propterea quod, praeter duas illas priores acceptiones entis, nonnisi haec tertia existit. Quod ex falsis sententiis explosis veluti corollarium deduximus, evinci potest hac directa demonstratione: Quandoquidem in cunctis naturis rerum creatarum, uti diximus, et essentia, cui *esse* convenit, et modus, quo *esse* ei convenit, distinguuntur, notiones, quae res, prout in natura sunt, repraesentant, debent utrumque continere, ideoque exhibere modum, quo *esse* essentiis rerum convenit, sive *ens actuale*. Atqui categoriae sunt notiones supremae, ad quas ceterarum rerum notiones revocantur. Ergo categoriae communissimos modos entis *actualis*, hoc est, communissimos modos quibus *esse* rebus convenire potest, repraesentare debent [1]. At, si categoriae sunt communissimi modi entis actualis, illarum principium nonnisi actuale esse potest.

Heghelius, et Giobertius, qui, ut diximus, essentiam simpliciter sumtam, tamquam categoriarum principium assignarunt, Deum esse supremam categoriam, sive *categoriam-genus*, et categorias secundas esse illius determinationes docuerunt. Cuius sententiae absurditas, missis aliis argumentis, ex eo perspicue evincitur, quod Absolutum, nempe Deus, determinationis capax esse non potest. Etenim, ut laudatus Henricus apposite advertit, cum Deus sit ipsum esse purum subsistens, et actuale, et cum esse purum omnem compositionem expellat, in Deo nec ulla determinatio inveniri, nec determinatio a determinabili distingui potest (*Op. cit.*, art. XXVI, q. 2, n. 8, et art. XXVII, q. 2, n. 13). Accedit, quod genus intelligi nequit, nisi relatum ad species (cf *Log.* pars I, c. I, art. 2, p. 43), et species essentiam generis aliquo modo determinatam continet (*ibid.*, p. 44). Quare, si categoriae contingentes essent species, et Absolutum esset categoria-genus, haec duo perabsurda, quibus Absoluti notio prorsus destruitur, consequerentur, nempe 1° Absolutum esse aliquid relativum; 2° Absolutum natura contingentis contineri.

1) Rursus inde intelligis, quam sit absurda sententia Heghelii, et Giobertii asserentium Deum esse *categoriam-genus*. Adeo enim repugnat Deum esse categoriam, quae ceterarum subiectum est, ut nulla categoria stricte, et proprie sumta in Deum cadere possit, quia categoriae, ut ex dictis evidenter perspicitur, in iis dumtaxat locum habent, quorum *esse* ab essentia distinguitur, in Deo autem *esse* idem est, ac essentia. Hic vero tacendum non est, etsi categoriae stricte sumtae in Deum cadere nequeant, aliquas tamen illarum quodammodo Ei posse convenire. Re vera ex decem categoriis, quas innuimus (vol. I *Log.* c. I, art. 4, p. 53), cum quinque ultimae, uti *pati*, *esse in loco* etc., ad res corporeas, et mutabiles dumtaxat pertineant, *translate* tantum, nempe similitudine a rebus creatis accepta, Deo tribui possunt; puta cum Deus irasci, aut dolere dicitur. Primae vero quinque Deo tribui possunt *secundum id, quod est completionis in eis*, uti s. Bonaventura (*Declaratio terminorum theologiae*) ait, hoc est, ex ea parte, quatenus perfectionem denotant, puta cum Deus dicitur *substantia* ex ea parte, quatenus substantia *esse in se* denotat, quin in Eo, quemadmodum in rebus creatis, *esse* ab essentia distinguatur, ideoque quin *esse* ab alio receptum significetur.

12. Inde aliud argumentum conficere nobis licet. Etenim, cum categoriae sint supremae notiones, quae communissimos modos exhibent, quibus naturae rerum participes τοῦ *esse* sunt, ens, ex quo, tamquam ex principio, oriuntur, illud esse oportet, quod primum in rebus intelligimus [1], et quod omnium maxime commune in rebus occurrit. Atqui huiusmodi ens, ut paullo post ostendemus, est illud, quod *ens actuale* dicitur; nam in rebus principio non aliud intelligimus, nisi illas aliquid *actu esse* in natura, et quidquid in rebus intelligimus, tamquam diversum modum intelligimus, quo τὸ *esse actu* in eis est [2]. Ergo ens actuale tamquam principium categoriarum statuendum est.

13. Neque solum, si *ontologice*, sed etiam, si *logice* considerentur, categoriae ab ente actuali derivandae sunt. Etenim categoriae logice consideratae, cum, ut diximus, ordinem inter conceptus ponant, ex eo constituuntur, quod intellectus super supremas notiones *primas* reflectens, ordinem intelligit, quo alia de alia praedicari potest. Atqui intellectus hunc ordinem intelligere non potest, nisi communes modos cognoscat, quibus notiones primae *esse actuale* repraesentant, quia praedicatio in eo, quod aliquis modus *esse* alicui subiecto attribuitur, posita est. Ergo notio entis actualis est principium, ex quo categoriae logice consideratae derivantur. Id etiam ex ipsa natura, et obiecto logices perspicere licet. Enimvero logica in illud intendit, ut instrumenta ad rerum scientiam assequendam inquirat, et exponat. Iam res, quae in natura sunt, non ex *esse*, aut *essentia* tantum, sed ex *essentia*, et *esse* constant, quia quidquid existit in natura rerum, quodcumque tandem sit, sive substantia, ut homo, sive accidens, ut color, essentiam rei secundum peculiarem modum entis determinatam exhibet. Ergo, si logica de categoriis agit, ut per ipsas diversos modos exponat, secundum quos aliquid de subiecto praedicatur, categoriae non circa aliud ens, quam quod *esse*, et *essentiam* complectitur, sive circa *esse actuale*, versentur necesse est. Quae cum ita se habeant, liquet categorias logice spectatas, tametsi, ut diximus [3], notiones secundae sint, tamen non esse notiones, quae omni reali, et obiectiva vi destituuntur, sed notiones, quae in ipsis naturis rerum fundamentum habent. Etenim, si illarum principium proximum est quidquam ideale, quia sunt opus intellectus illas ex notionibus primis efformantis, certe principium remotum est reale, quia notiones primae, super quas intellectus reflectens categorias logicas constituit, reales, ut obiectivae sunt [4].

---

1) « Cognitio magis communis, ait s. Thomas, est prior, quam cognitio minus communis »; I, q. LXXXV, a. 3 c. Quod tamen, ut idem sanctus Doctor advertit, et nos alibi ostendemus, de cognitione confusa, non vero de cognitione distincta intelligendum est.

2) Cf s. Thom., *In lib. I. Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 3 *sol.*; *ibid.*, q. IV, a. 1 ad 1; et Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XXIV, q. VII, n. 5.

3) Cf vol. I, *Log.* c. I, art. 1, p. 41.

4) Ex his, quae iam ostendimus, perspicitur Rosminium (loc. cit.) Aristoteli, et,

14. Postquam ens esse principium categoriarum perspeximus, haec duo investigemus oportet: 1° quomodo ens per categorias dividatur; 2° quomodo ipsum singulis categoriis conveniat.

Quod ad primum attinet, ens per categorias dividitur non tamquam genus per species, sed tamquam per diversos modos essendi. Re quidem vera cum tota essentia generis sit omnibus speciebus communis[1], atque e contrario differentiae specierum propriae singularum sint, illud, ex quo species inter se differunt, genus illarum esse non potest; alioquin species ex eadem ratione differrent, et convenirent. Atqui ens est principium illud, per quod categoriae inter sese differunt, nam categoriae sunt diversae secundum diversos modos, quibus *esse* rerum repraesentat. Ergo categoriae, tamquam species, ad ens, tamquam genus, referri non possunt. Hoc idem argumentum alia ratione exhiberi potest. Cum proprium categoriarum sit quemdam modum entis repraesentare, ipsae ad ens, tamquam ad genus referrentur, si in quodam modo entis repraesentando omnes communiter convenirent. Atqui nullum esse communem modum entis, qui ab omnibus categoriis repraesentatur, certo certius est. Enimvero aliud est *esse* substantiae, aliud *esse* accidentis, quia « substantia, aiente s. Thoma, est ens, tamquam per se habens esse, accidens vero, tamquam cuius est inesse[2] », atque ex reliquis novem categoriis, quae, ut diximus[3], accidentia sunt, propria specialis ratio accidentis, hoc est, specialis modos inhaerendi invenitur[4]. Ergo ens per categorias, tamquam genus per species, non dividitur.

15. Accedit his, quod ens nullo modo tamquam genus assignari potest. Etenim, quemadmodum s. Thomas argumentatus est, genus hu-

---

qui eum secuti sunt, Scholarum Doctoribus falso obiecisse, 1° eos, quoniam ens, quod munus copulae obit, pro principio categoriarum non statuerunt, categorias tamquam diversos modos relationis praedicati ad subiectum non considerasse; 2° ens reale a categoriarum numero exterminasse. Etenim quod ad primum, Aristotelem, et Scholasticos non effugit categoriis diversos modos relationis praedicati ad subiectum significari, sed, cum adverterent communes modos, quibus praedicatum ad subiectum referri potest in diversis modis, quibus *esse* rebus actu convenire quit, fundamentum habere, ab his, non ab illis categorias deducendas praeceperunt, ideoque non *esse*, quod munus copulae obit, sed *esse actuale* rerum pro principio categoriarum decreverunt. Quod spectat ad alterum, si secundum Aristotelem, et Scholasticos categoriae omnes modos denotant, secundum quos ens actu in natura esse quit, profecto ipsos in categoriarum recensione ens reale praetermisisse perperam asseritur, quia *esse actuale*, sive *esse*, quo res actu sunt, est reale. Illud fortasse Rosminium fefellit, quod ens actuale, ut mox dicemus, ab Aristotele, et Scholasticis, secus ac Rosminius voluit, non tamquam categoria a ceteris diversa, eoque minus tamquam categoria, cui ceterae subiiciuntur, sed tamquam principium, ex quo divisio categoriarum oritur, consideratum fuit.

1) Cf s. Ioan. Damasc., *Dialect.*, c. 10.

2) *Qq. dispp.*, *De Potent.*, q. VII, a. 7 c.

3) Vol. I, *Log.* pars I, c. I, art. 4, p. 54.

4) Cf ibid., p. 55.

iusmodi est, ut a differentiis *positivis* [1] determinari, et compleri queat. Iam, quamvis hae differentiae *potestate* seu *virtute* in genere contineantur [2], tamen ipsae extra essentiam generis sunt, alioquin genus cum specie converteretur, atque unica esset notio generis, et speciei, cum species ex genere, et differentia confletur [3]. Quapropter, si ens esset genus, eius differentia aliquid reale, et positivum extra ens esse oporteret. Atqui impossibile est dari aliquid reale extra ens, aut aliquid mente concipi, cuius conceptus ad conceptum entis non reducitur, quia extra ens non est, nisi non ens, seu nihil, atque extra notionem entis non est alia notio, nisi non entis, seu nihili. Ergo ens tamquam genus nullo modo assignari potest. «Ens, inquit sanctus Doctor, non potest esse genus alicuius. Omne enim genus habet differentias, quae sunt extra essentiam generis; nulla autem differentia posset inveniri, quae esset extra ens, quia non ens non potest esse differentia [4]».

---

1) Perspicuum est differentias, quae determinant genus, oportere esse *positivas*, hoc est, eiusmodi, ut non in aliquo defectu, aut privatione, sed in aliqua realitate consistant. Etenim differentia ad genus, tamquam forma ad materiam, se habet (cf s. Thom., *In lib. VIII Met.*, lect. X). Atqui forma est aliquid reale, quia ipsa, quemadmodum suo loco ostendemus, est *actus* rei, seu est id, per quod qualibet res est, et operatur, et a ceteris distinguitur. Ergo differentiae, per quas genus determinatur, positivae esse debent. Quod si unam differentiam *affirmative*, alteram *negative* significamus, hoc nonnisi ex defectu peculiaris vocabuli repetendum est. Exemplo rem declaremus. Nos animalitatem cum in homine, tum in bellua deprehendimus, sed quia rationem cum animalitate in homine, non vero in bellua coniungi advertimus, animal, quod genus est, differentiis rationali, et irrationali dividi intelligimus, atque animalium aliud rationale, aliud vero irrationale esse dicimus. Iamvero irrationale, etsi negative significetur, tamen est differentia positiva, quia animal aliquo peculiari modo determinat, puta bellua, quae animal irrationale est, reapse naturam animalem determinatam habet; at quoniam peculiari voce caremus, illam per negationem *rationalis* significamus. Qua in re haud fallimur, quia, cum differentiae contrariae sibi opponantur, una per affirmationem, altera per negationem intelligi et significari potest. Cf B. Alb. M., *De praedicab.*, tract. V, c. 7.

2) Vid. *Log.* pars I, c. I, art. 2, p. 45. Dicitur differentia *potestate* in genere contineri, quippe quod genus perfici a differentia non potest, nisi ita sit dispositum, ut ab hac determinari queat.

3) *Loc. cit.*, p. 44.

4) I, q. III, a. 5 c. Cf *In lib. V Met.*, lect. IX; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 25; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 *sol.* 1 ad 2. Nemo vero existimet ens esse genus, quia ipsum in ens, quod est per se, nempe *substantiam*, et in ens, quod est in alio, nempe *accidens*, dividitur; haec enim, uti Boetius (*Praedic.*, c. 4) monuit, non est divisio stricte sumta, scilicet quae per species fit, sed potius quaedam *enumeratio*. Subtilem hac de re sancti Damasceni argumentationem exscribere praestat. «Quamquam, ait, cum substantia, tum accidens scindantur ab ente, haud tamen ens genus eorum est. Nam illa entis quidem nomen recipiunt, at non item definitionem. Ens quippe in hunc modum definiunt. Ens aut est quod per se subsistit, nec re alia, ut subsistat, opus habet; vel est quod per se non potest esse sed in altero suum esse habet. Substantia autem illud tantum est, quod per se existit, nec alia re, ut subsistat, opus habet. Ens substantia totam entis definitionem non accipit; nec proinde ens genus est respectu

16. Itaque ens per categorias non dividitur ex eo, quod singulae categoriae aliquid addunt enti, quod est praeter essentiam illius; nihil enim esse potest, quod sit extra essentiam entis universalis. Dividitur autem ens per categorias, tamquam per diversos modos, secundum quos ens et esse, et intelligi potest, quia unaquaeque categoria certum et peculiarem modum entis significat. «Ens contrahitur per decem genera, quorum unumquodque addit aliquid supra ens, non aliquid accidens, vel aliquam differentiam, quae sit extra essentiam, sed determinatum modum essendi, qui fundatur in ipsa essentia rei [1] ».

17. Ex his omnibus facile est colligere ens, quod principium categoriarum est, si *ontologice*, nempe prout in rebus est, spectetur, esse quidem aliquid reale, quod in singulis categoriis invenitur, quia quaelibet categoria, cum quidam modus entis sit, rationem entis habet [2]; sed non esse aliquid reale omnibus categoriis commune, quod a modis essendi singularum propriis distinguitur, quia nihil est reale, nisi hoc vel illo determinato modo sit. Puta nihil reale est, quod non sit aut substantia, aut accidens; et, cum aliud sit esse substantiae, et aliud esse accidentis, ens reale commune substantiae, et accidenti locum habere non potest. Si ens, quod est categoriarum principium, *logice*, nempe, prout ab intellectu apprehenditur, spectetur, ipsum exhibet *esse* indeterminatum, et maxime omnium abstractum, hoc est, consideratum seorsum a cunctis modis essendi, per quos in rebus determinatur, quod tamen intellectus per unamquamque categoriam quodammodo contractum intelligit. «Ideo (*ens*), inquit Aquinas, commune est, quia in sui ratione non dicit aliquam additionem, sed potest sibi fieri additio, ut determinetur ad proprium [3] ».

18. Quod spectat ad alterum, ens, uti alibi innuimus [4], de singulis categoriis non *univoce*, neque *aequivoce*, sed *analogice* praedicatur [5]. Et sane non praedicatur *univoce*, quia ens in categorias «dividitur secundum diversos modos; unde unicuique debetur proprius modus praedicandi [6] »; neque *aequivoce*, nam ens de substantia, et diversis acci-

---

substantiae; species enim integram generis sui definitionem absque ulla diminutione suscipit. At nec accidens entis species est; neque enim integram entis definitionem recipit, sed dimidiam partem dumtaxat. Accidens quippe res est, quae per se esse non potest, sed solum in altero suum esse habet. Ex quo pacto nec substantia integram entis definitionem suscipiat, nec accidens. . . Quapropter, licet ens in substantiam, et accidens dividatur, eorum tamen genus non est »; *Dialect.*, c. 10.

1) *Qq. dispp. De Ver.*, q. XXI, a. 1 c. Cf I, q. V, a. 3 ad 1.

2) « Hoc, scribit s. Thomas, quod est esse, communiter invenitur in omnibus rebus quantumcumque diversis»; I, q. LXV, a. 1 c.

3) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 1.

4) *Log.* pars 1, c. 1, art 3, p. 52, vol. I.

5) Quaenam sit praedicatio *univoca*, *aequivoca*, et *analoga*, explicavimus ibid., p. 51.

6) *In lib. I Sent.* Dist. XXII, q. I, a. 3 ad 2.

dentibus non sine aliquo ordine unius ad aliud praedicatur, quia, cum accidens substantiae inhaereat, *esse* eius ab *esse* substantiae pendet, ac proinde *esse* primo de substantia dicitur, deinde de diversis accidentibus [1]. Reliquum igitur est, ut praedicari dicatur *analogice*, hoc est, tum quod diversa genera accidentium ordinem ad substantiam habent, tum quod, sicut substantia se habet ad *esse in se*, ita accidentia ad *esse in alio*.

ARTICVLVS SECVNDVS

De categoriarum numero, et distinctione

19. Quamvis Philosophi ex eodem principio entis in recensione categoriarum profecti essent; tamen, quia alii aliter, ut diximus, ens acceperunt, non easdem categorias exinde deduxerunt [2]. At, quoniam ostensum est *ens actuale* rei esse principium categoriarum, ita ut quaelibet categoria essentiam rei secundum peculiarem modum determinatam exhibeat, consequens est tot esse oportere diversas categorias, quot sunt diversi modi, quibus *esse* rebus convenire, et in ipsi intelligi potest. « Res, inquit Aquinas, propter hoc differunt, quod habent diversas naturas, quibus acquiritur esse diversimode [3] ». Cum hoc sit

---

1) Cf Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XXI, q. II, n. 7, 14, et 19.

2) De categoriis, quas Kantius admisit, in *Idealogia* (c. I, art. 3, p. 466) nonnihil attigimus. Omissis aliorum Philosophorum opinionibus, sententia Cousini ens in duas categorias *absoluti*, et *contingentis* dividentis (*Fragm. phil.*, Prèf. à la prem. èd., *Oeuvr.*, t. II, p. 32, et 33, Bruxelles 1841) sine examine mittenda nobis non est. Quod conficiemus hac brevi argumentatione: Si omnes categoriae, quemadmodum Cousinus sensit, ad absolutum, et contingens revocantur, absolutum et contingens denotant duos peculiares, et diversos modos quibus res extra animam sunt, et quibus *esse* de rebus praedicari potest; atqui id de neutro dici potest; ergo omnes categoriae ad absolutum, et contingens revocari nequeunt. Duas partes assumptionis probare in promptu est. Quod ad primam attinet, si Absolutum denotaret aliquem modum specialem essendi, *esse* eius ad aliquod genus cogeretur, ideoque non foret infinitum. Atqui *esse* Absoluti, seu Dei, eo quod est a se, et ab alio non receptum, ad nullum genus entis cogitur, sed, ut s. Thomas ait (I, q. XXV, a. 3 c.) « est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed praehabens in se totius esse perfectionem». Ergo Absoluto aliquem specialem modum essendi denotari repugnat (cf p. 6, not. 6). Quod vero ad alteram partem spectat, nulla categoria res, prout contingentes sunt, per se denotare potest, quia contingentia est modus generalis, quo *esse* cunctis rebus creatis convenit. Atqui categoriae diversos modos denotant, quibus *esse* rerum creatarum inter quosdam limites intelligitur. Ergo tenendum est contingens non esse categoriam, sed omnes categorias diversos modos denotare, secundum quos *esse* rebus contingentibus convenit.

3) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 26. Ad penitiorem huius rei intelligentiam advertendum est, quamlibet categoriam ex duplici elemento constare, nempe ex principio materiali quod est essentia absolute spectata, et ex principio formali, quod est modus, quo essentia *actu* est (cf Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 15. et 17; et s. Thomas,

categoriarum distinctionis criterium, dicendum est categorias non alias esse, nisi illas decem, quas secundum Aristotelem in *Logica* enumeravimus [1].

20. Argumentatio, qua Doctores Scholae rationem aristotelicae enumerationis categoriarum reddiderunt, huc redit: Omnia, ex quibus universitas rerum confiatur, ex eo in primis distinguuntur, quod aut habent *esse in se*, uti *homo*, aut *in alio*, puta *album*. Ex quo fit, ut intellectus notionem *entis*, quam ex circumspectione rerum sibi confecit, evolvens, in primis intelligat *esse* posse rei convenire vel in se et non in alio, vel in alio. Illud, quod habet *esse* in se, nomen *substantiae*, et illud, quod habet *esse* in alio, nomen *accidentis* accepit [2]. Prima igitur divisio entis est in *esse substantiale*, et esse *accidentale* [3], ob idque primae categoriae sunt *substantia*, et *accidens* [4].

Qq. dispp., De Ver., q. XXI, a. 1 c.). Essentia absolute spectata a Scholasticis nuncupatur *res* (cf s. Thom., *Op. cit.*, q. I, a. 1 c., *Contr. Gent.*, lib. *i*, c. 25, et *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a 1 *sol.*), et ab essentia alicuis rei specialis, puta *humanitate*, distinguitur (cf eumdem sanctum Doctorem, *In lib. IV Met.*. lect. II), quia ipsa nonnisi aliquid indeterminatum, cui plures, diversique modi essendi convenire queunt, denotat. Ex quo perspicitur categorias non differre secundum essentias absolute spectatas, quia in essentiis absolute consideratis nihil invenitur, ex quo una ab altera differt, sed secundum diversos modos, quibus *esse* essentiis ipsarum convenit, hoc est, secundum ipsarum essentias diversis modis determinatas. E. g., in categoria *substantiae* distinguendum est illud, quod dicitur *res*, quodque neque *esse in alio*, neque *esse non in alio* significat, a modo, quo illa res actu est. Iam hic modus, nempe *esse non in alio*, efficit, ut *res* sit *substantia*, et ab aliis categoriis distinguatur.

[1]) Pars I, c. I, art. 4, p. 53. Aristotelica categoriarum enumeratio tum Patribus Graecis, quorum inter vetustiores Clemens Alex. (*Strom.* lib. VIII, c. 8), atque inter recentiores sanctus Damascenus (*Dialect.*, c. XLIX-LVI) recensentur, tum Latinis, quorum instar s. Augustinus (cf loc. cit. in *Log.* ibid.) esse potest, probata est.

[2]) Cf *Log.* loc. cit.

[3]) « In rebus, inquit s. Augustinus, creatis, atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat, ut secundum accidens dicatur »; *De Trin.*, lib. V. c. 4, n. 6.

[4]) Haec prima divisio entis *principio contradictioni* innititur, hoc est, illi iudicio: *Non potest aliquid de aliquo simul asseri, et negari*. « Haec divisio (*aut est substantia, aut est accidens*), inquit B. Albertus, est per opposita immediate, quae reducuntur ad affirmationem, et negationem, sicut ens per se, et non per se » (*Praedicam.*, lib. I, tract. 1, c. 6; cf s. Thom. I[a] 2[ae]., q. XCIV a. 2 c.). Tennemannus (*Hist. phil.*, germ., vol. III, p. 54, Lipsiae 1801), et Ritterus (*Hist. de la phil. ancien.*, lib. IX, c. 3, t. III, p. 63 sqq. ed. cit.) exinde inferunt Aristotelem categorias ex abstracto effato *contradictionis* elicuisse, ac proinde illas omni realitate obiectiva expoliasse. At perperam. Nam Aristoteles, et qui eum secuti sunt, effatum contradictionis non adhibuerunt tamquam principium, ex quo categoriae fluunt, sed tamquam medium, quo prima divisio entis efficitur, quatenus divisio entis in *ens per se*, et in ens *non per se* ad affirmationem, et negationem revocatur. Adeo autem verum est Aristoteleos ens, et non effatum contradictionis pro principio categoriarum sumpsisse, ut effatum contradictionis in notione entis fundamentum habere docuerint (cf prae ceteris s. Thom., *In lib. IV Met.* lect. III, et I, q. XI, a. 2 ad 4). Etenim, cum affirmatio illi, quod

21. Iam categoria *substantiae* nonnisi unica esse potest, quia τὸ *non in alio*, per quod aliqua res in categoria substantiae constituitur, aliquid unicum, et simplex significat, ac proinde modus quo *esse* cunctis substantiis, prout sunt substantiae, convenit, unicus sit oportet. E contrario, accidentium plura sunt genera, puta aliquid in alio esse potest, vel solum ex diversis elementis, quae illud constituunt, quae sunt, ut alibi demonstrabimus, principium materiale, et principium formale, vel quoque ex diversis modis, quibus ad alias res comparatur. Haec autem accidentium plura genera ad novem revocantur. Re vera, ut B. Albertus M. animadvertit [1], ex diversis elementis, quae substantiam constituunt, duo accidentia oriuntur, nempe *quantitas* ex principio materiali, et *qualitas* ex principio formali. Ex eo autem, quod substantia ad aliud comparatur, alia oriuntur accidentia, prout substantia vel tamquam principium, vel tamquam terminus comparationis consideratur. Si priori modo consideretur, quatuor accidentia nobis occurrent, nimirum *relatio, actio, passio*, et *situs*. Nam si accidens, per quod substantia ad aliud comparatur, ex tota substantia promanat, *relatio* est. Hoc modo creatura ad Creatorem, vel filius ad patrem se habet. Si dumtaxat ex principio formali substantiae, est *actio*, quia forma est principium, per quod substantia aliquid agit. Si tantum ex principio materiali eius, est *passio*, quia principium materiale est illud, per quod substantia aliquid patitur. Si denique ad aliud per quamdam collationem partium comparatur, *situs* est. Sin posteriori modo spectetur, tria alia accidentia existent, nempe *ubi, quando*, et *habitus*. Si enim accidens simpliciter substantiae adiacet, est categoria, quae *ubi* dicitur; sin substantiae adiacet cum motu, est categoria, quae vocatur *quando*; sin tandem non solum substantiae adiacet, sed etiam ei applicatur, existit categoria *habitus*.

22. Quae cum ita se habeant, liquet decem esse categorias, quarum prima est substantia, reliqua autem accidentia. Cum vero *esse* accidentale ab *esse* substantiali pendeat, quod accidens non habet *esse* in se, sed in alio, substantia non solum est prima categoria, sed etiam ceterarum fundamentum [2].

---

est, et negatio illi, quod non est, respondeat, intellectus, ut paullo post dicemus, illud iudicium, *Non potest aliquid de aliquo simul affirmari, et negari*, nonnisi per comparationem conceptus entis cum conceptu non entis efformare potest.

1) *De praedicam.*, tract. I, c. 7.

2) Ex eo quod *esse* propius, et prius substantiae, quam accidentibus, convenit, accidentia, ut s. Thomas inquit, «proprie dicuntur magis entis, quam entia»; *Qq. dispp. De Ver.* q. XXVII, a. 1 ad 8. Cf I, q. XC, a. 2 c.

CAPVT SECVNDVM

De Ente

Quoniam principium categoriarum, quemadmodum ostendimus, est ens, categorias, prout sunt notiones primae, explicare volentes, a notione *entis* initium capiamus necesse est.

ARTICVLVS PRIMVS

Nonnullae notiones, quae ens respiciunt, explicantur

23. Notio entis non est capax definitionis proprie sumtae. Etenim definitio proprie sumta ex genere et differentia constat[1]. Atqui notio entis, cum sit omnium notionum, ut mox videbimus, prima, et simplicissima, nec genus, nec differentiam habet[2]. Ergo notio entis non est capax definitionis proprie sumtae. Accedit, quod nihil nobis, monente Alberto M., penitus cognitum esse potest, nisi ipsum esse ens sumamus[3]. Sed omnis definitio ad penitus cognoscendam rem instituitur. Ergo nihil definiri potest, nisi ipsum esse ens cognoscatur. Iam, si nihil potest definiri, nisi ipsum esse ens cognoscatur, consequens est ipsum ens vere definiri non posse. Hinc vides ad declarandam notionem entis non aliud nobis superesse, nisi ut dicamus entis nomine designari quidquid quocumque modo est, sive, ut strictius cum s. Thoma loquamur, *id, cuius actus est esse*[4].

24. Quandoquidem ens est illud, quod quocumque modo *actum essendi* habet, ens dicendum est cum illud, quod actum essendi iam *actu* habet, tum illud, quod actum essendi habet dumtaxat *in potentia*. Quapropter ens in *actuale*, seu *reale*, et *possibile* dividitur.

25. Vt, unde haec divisio oritur, intelligatur, praemonendum est, quodlibet ens, si infinitum, nempe Deum exceperis, ex potentia, et actu, tamquam ex duobus principiis, quae ipsum constituunt, constare. Nomine *actus* venit id, quo aliquid constituitur principium, per quod est, et operatur, et nomine *potentiae* id, quo aliquid constituitur capax quidquam in se recipiendi, sive, ut aiunt, *patiendi*. Inde patet 1° actum, ut scite s. Thomas ait, esse *quamdam perfectionem*[5] rei, quia ipse efficit, ut res, quae est in potentia ad *esse*, et ad *operari*, u-

---

1) Cf vol. I *Log.* pars I, c. I, art. 5, p. 63.

2) Cf s. Thom., *Quodlib.* II, q. II, a. 3 c.

3) *Met.*, lib. V, tract. I, c. 11.

4) *De ente et essentia*, Prooem. « Hoc nomen ens, alibi scribit, imponitur ab actu essendi »; *In lib. IV Met.*, lect. II; cf *Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 1 c.

5) « Omnis actus, inquit s. Thomas, perfectio quaedam est »; I, q. V, a. 3 c.

trumque accipiat; 2° potentiam ordinem ad actum natura sua habere, quia ipsa illud denotat, quod ab actu perficitur, sive quod ab actu *esse* et *operari* accipit; 3° *esse actum* alicuius rei idem valere, ac esse perfectionem alicuius rei, et *esse in actu* idem valere, ac perfectionem sui propriam habere; itemque *esse potentiam* non aliud significare, nisi esse aptitudinem ad *actum*, nempe ad aliquid, quod perficit, in se recipiendum, et *esse in potentia* non aliud significare, nisi esse aptum ad recipiendum *actum*, nempe ad aliquid, ex quo perficitur [1].

26. Quod si ens ex potentia, et actu, tamquam ex duobus principiis, constituitur, consequens est nos posse intelligere ens vel prout est tantum in potentia ad actum in se recipiendum, vel prout per receptionem actus perfectum est. Iam illud, quod est in potentia ad actum recipiendum, dicitur *ens possibile*, atque illud, quod potentiam ab actu determinatam, seu perfectam habet, dicitur ens *actuale*, seu *reale*. Notio entis actualis ex se est satis perspicua; ast oportet nonnihil ad notionem entis possibilis declarandam adiicere [2].

---

[1]) Hinc reiicienda est opinio Megaricorum, qui, uti apud Aristotelem legitur (*Met.*, lib. VIII, c. 3, § 1, ed. cit.), discrimen inter potentiam, et actum tollentes asserebant ens « tunc solum posse, cum agat; cum vero non agat, non posse, ut puta eum, qui non aedificat, aedificare non posse, sed aedificantem, cum aedificat, similiter quoque et de ceteris » (cf etiam Zeller, *Philos. graec.*, t. II, p. 108, Tubingae 1846). B. Albertus M. et s. Thomas secundum Aristotelem ineptas, absurdasque conclusiones, quae inde promanant, commonstrarunt. Quorum unam dumtaxat afferemus, scilicet quod ii, qui cum Megaricis sentiunt, « et motum, et generationem, uti Aristoteles ait, perimunt »; siquidem motus, et generatio transitum a potentia ad actum expostulant tum in movente, et moto, tum in generante, et generato. Vid. Albert. M., *Metaphys.*, lib. IX, tract. II, c. 2, et s. Thom., *In lib. IX Met.*, lect. III.

[2]) Nolumus hic omnino praetermittere sententiam illorum, qui possibile cum actuali confundentes non aliud possibile esse, et dici posse autumant, quam quod aut est, aut futurum erit. Haec sententia a Diodoro Crono (Cic., *De Fato*, c. 7, ed. Ernesti, et *Epist. ad Famil.*, lib. IX, Epist. 4) profecta in media aetate P. Abaelardum (s. Bernard., *De erroribus Abaelardi*, c. 3), Hobbesium (*Elem. phil.*, c. 9, Amstel. 1668), Spinosam (*Cogitata metaphysica*, c. 3, *Opp.* t. I, p. 100, ed. Paulus), et Robinetum (*Op. cit.*, pars VI, c. 50, ed. cit.) praecipuos fautores habuit. Ne de cunctis dicamus, Spinosa contendit *contingens*, et *possibile* « nonnisi defectus nostrae perceptionis, nec aliquid reale esse », quia quidquid est reale, est necessarium; et Robinetus aperte asseruit « id, quod est mere possibile, esse impossibile ». At tollere omne discrimen inter possibile, et actuale, praeterquam quod, ut supra vidimus, per se absurdum est, ad absurda, et exitialia consectaria ducit. Nam primo omnem libertatem et in homine, et in Deo destruit, quia si non aliud est possibile, quam quod est, vel futurum est, sequitur, quidquid est, aut futurum est, esse necessarium. Haec reapse fuit, uti a Cicerone accepimus, mens Diodori. « Ille enim, Cicero ait, id solum fieri posse dicit, quod aut verum sit, aut futurum sit verum, et quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse, et quidquid non sit futurum, id negat fieri posse » (*De Fato*, c. cit.). Neque id dilitentur Spinosa, Robinetus, aliique recentes, quippe qui hac theoria, uti ex citatis locis patet, ad necessitatem creationis insinuandam utuntur. Secundo, potentiam Dei limitibus coercet, quia si non aliud est reale, quam quod est possibile, sequitur Deum non potuisse alia efficere, quam quae fecit, nec

27. Ut hoc probe intelligatur, advertendum est *potentium*, quae in notione entis possibilis includitur, non esse potentiam *activam*, nempe illam, quae est principium agendi, sed esse potentiam *passivam*, nempe illam, quae est principium patiendi [1], atque hanc in eo consistere, quod aliquid esse non repugnat, nempe quod capax progrediendi ad actum est. Ex his vides possibile illud esse, quod actu non est, sed actu esse non repugnat [2], et possibilitatem esse non repugnantiam rei ad *esse*. Cum haec sit notio entis possibilis, liquet impossibile illud esse, quod non solum non est actu, sed etiam actu esse repugnat.

28. At vero potentia passiva, quae in notione entis possibilis ponitur, non solum ad rem in seipsa spectatam referri potest, prout haec, ut diximus, ad actum prodire quit, sed etiam ad causam aliquam, quae virtute largiendi ipsi actum pollet [3]. Hinc divisio possibilis, et, quod ei opponitur, impossibilis in *intrinsecum* et *extrinseeum* exurgit. En quomodo has notiones acquirimus. Si quam vocem in elementa, ex quibus constat, resolvamus, evenire potest, ut notiones, quae per elementa illius vocis significantur, vel secum posse componi, vel se ipsas invicem destruere comperiamus. Iam nos dicimus *intrinsecum*, sive *absolutum* possibile id, quod aliqua vox significat, si notiones, quas elementa illius vocis denotant, secum componi posse cognoscamus, atque impossibile *intrinsecum* illud, quod aliqua vox significat, si notiones, quas elementa illius vocis denotant, seipsas invicem destruere perspiciamus. Hoc possibile, et impossibile vocamus *intrinsecum*, sive *absolutum*, quia huiusmodi possibilitas, et impossibilitas ex ipsa natura notionum, quas vox significat, oriuntur. E. g., notio, quae per *animal rationale* significatur, est intrinsecus, sive absolute possibilis, quia notiones *animalitatis*, et *rationis*, ex quibus constat, eiusmodi sunt, ut simul in eodem subiecto esse queant; atque e contrario notio, quae per *circulum quadratum* significatur, est intrinsecus, sive absolute impossibilis, quia notiones circuli, et quadrati eiusmodi sunt, ut una per alteram tollatur. Quandoquidem autem id, quod intrinsecus possibile est, ad actum reduci nequit, nisi per aliquid, quod in actu est [4]: ipsum est *extrinsecus*, seu *relative* possibile, si ad illam poten-

---

plura his, quae fecit. Sed de hoc Fatalistarum errore alias. Cf interim, si lubet, s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. I, a. 5, et inter recentes Leibnitium, *Théodicée*, part. 2, § 169-174, *Opp.*, p. 554 sqq, ed. Erdm.

1) « Nomen potentiae, ad rem ait s. Bonaventura, dicitur dupliciter, scilicet, de potentia activa, quae est principium transmutandi aliud, et de potentia passiva, quae est principium transmutandi ab alio »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLII, art. un., q. 4 *resol.* Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 1, ad 1, et I, q. XXV, a. 1 c.

2) « Hoc, inquit idem Seraphicus Doctor, quod est possibile, dicit actualiter potentiam in re »; *Op. cit.*, loc. cit.

3) Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 37, et *Qq. dispp., De Pot.*, q. I, a. 3 c.

4) « De potentia non potest aliquod reduci in actum, nisi per aliquod ens actu »; I, q. II, a. 3 c.

tiam, per quam ad actum reduci potest, referatur; atque *extrinsecus* seu *relative* impossibile, si referatur ad illam potentiam, per quam ad actum reduci nequit [1]. Ita intellectui humano possibile est essentias rerum finitarum cognoscere; sed, si vires eius naturales spectentur, impossibile est cognoscere essentiam Entis infiniti, nempe Dei, prout in se est [2].

29. Ex his facile intelligitur id, quod est intrinsecus impossibile, esse quoque extrinsecus impossibile, quia ne Deus quidem efficere potest, ut ea, quae secum invicem pugnant, in eodem subiecto inveniantur [3], sed id, quod est intrinsecus possibile, esse vel extrinsecus possibile, vel extrinsecus impossibile, prout vel est intra vires potentiae, ad quam relatum consideratur, vel eius vires supergreditur.

30. Nonnullis quaestionibus, quae huc pertinent, ad alia loca amandatis, ad notionem *nihili* explicandam progrediamur. *Nihilum*, ut Aristoteles ait, est negatio, sive *absentia entis* [4]. Iam conceptus *nihili* conceptum entis consequitur. Etenim, cum quilibet conceptus per conceptum sibi oppositum tollatur, naturaliter efficitur, ut intellectus eo ipso quod aliquid intelligit, oppositum eius quoque intelligat. Puta, si quis *animal rationale* cognoscit, implicite animal irrationale etiam cognoscit. Quocirca, cum nihilum sit negatio entis, necesse est, ut intellectus eo ipso, quod ens intelligit, *non ens*, sive nihilum etiam intelligat.

---

[1]) « Unicuique potentiae activae, ait s. Thomas, correspondet possibile, ut obiectum proprium secundum rationem illius actus, in quo fundatur potentia activa »; I, q. XXV, a. 3 c.

[2]) E re est audire eumdem s. Thomam: « Possibile dicitur dupliciter... Uno modo per respectum ad aliquam potentiam; sicut quod subditur humanae potentiae, dicitur esse possibile... Dicitur autem aliquid possibile, vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia praedicatum non repugnat subiecto, ut Socratem sedere; impossibile vero absolute, quia praedicatum repugnat subiecto, ut hominem esse asinum »; *Ibid.*

[3]) Quomodo id accipiendum sit, in Theologia naturali explicabimus. In praesentiarum hunc brevem locum s. Thomae exscribere praestat: « Cum Deus sit actus maxime, et principale ens... Eius actio non nisi ad ens terminari potest principaliter, et ad non ens consequenter. Et ideo non potest facere quod affirmatio, et negatio sint simul vera, nec aliquod eorum, in quibus hoc impossibile includitur. Nec hoc dicitur non posse facere propter defectum suae potentiae, sed propter defectum possibilis, quod a ratione possibilis deficit; propter quod dicitur a quibusdam, quod Deus potest facere, sed non potest fieri »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. I, a. 3 c.

[4]) *Met.*, lib. III, c. 2, § 8. Ad nihilum, sive absentiam entis reducitur quoque impossibile intrinsecum, de quo antea locuti sumus; nam id, quod est intrinsecus impossibile, cum ex notionibus, quarum una ab altera tollitur, exurgat, in coniunctione affirmationis, et negationis consistit: coniunctio autem affirmationis, et negationis, monente s. Thoma, « nihil est, nec aliquem intellectum generat quod dicitur homo, et non homo, simul acceptum quasi in vi unius dictionis » (*In lib. III Sent.*, Dist. I, q. II, a. 3 *sol.*). Possibile autem, sive *ens in potentia*, ut s. Bonaventura inquit, *inter non ens, et ens, actu est medium*; *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. 1, q. I *ad arg.*

31. Nihilum, cuius notionem modo declaravimus, enti communissime accepto opponitur [1]. At nihilum appellari etiam solet id, quod opponitur enti secundum aliquem modum determinato. Iamvero nihilum, si hac altera ratione consideretur, multiplex esse deprehenditur. Intellectus enim potest absentiam alicuius modi entis considerare vel in se ipsa, puta *non videre, non habere rationem*, aliaque huiusmodi, vel in aliquo subiecto, quod ad illam habendam naturaliter comparatum est, puta *absentiam visus in homine*. Si primum, intellectus non aliud intelligit, nisi aliquid non esse; sin alterum, intelligit non solum aliquid non esse, sed etiam non esse in aliquo subiecto, cuius natura illud expostulat. Ita, si quis, postquam novit, quid sit *videre*, cogitet *non videre*, absentiam visus dumtaxat intelligit; at, si cogitet *coecum esse*, absentiam visus cogitat in aliquo animali, quod ad visum habendum naturaliter comparatum est. Nihil, si priori modo concipiatur, *negativum*; sin posteriori, *privativum* vocatur.

32. Ex his in promptu est intelligere, quid sit *negatio*, quidve *privatio*, et quid discriminis inter utriusque conceptus intercedat. Negatio, uti ab Aristotele observatum est [2], non aliud denotat, nisi simpliciter aliquid non esse, quin denotet ullum subiectum, cui illud aliquid inesse naturale est. Quocirca conceptus negationis non aliud exhibet, quam illud, quod negat, et particulam negantem, quae illud negat, atque ab alio quopiam discernit. E. g., *non videre* continet in se *videre*, quod negat, atque particulam *non*, quae τὸ *videre* negat, et τὸ *non videre* a τῷ *videre* distinguit. Privatio autem denotat aliquid non esse in subiecto, cuius natura illud expostulat [3]. Hinc conceptus privationis continet illud, quod negat, praetereaque subiectum, cui illud inesse negat. Puta conceptus *coecitatis*, praeter absentiam visus, aliquam naturam animalem continet, ad quam visum habere spectat [4].

---

[1]) De hoc nihilo loquens s. Augustinus perbelle ait: « Nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid accidens, nec informis ulla materies, nec inanis locus, nec ipsae tenebrae, sed prorsus nihil » *Op. imp. contr. Iul.*, lib. V, n. XLIV). Iam hoc nihilum, quod enti communissime sumto opponitur, Scholastici *non esse* simpliciter vocabant (cf s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 4 c.), et ipsum ab *esse summe distare* docebant, non tamen, uti monet s. Bonaventura, « quia opponuntur contradictorie, sed quoniam nihil habent commune, nec quantum ad genus praedicabile »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[2]) *Met.*, lib. III, c. 2, § 8.

[3]) « Ad rationem privationis, inquit s. Thomas, exigitur, quod aliquid sit aptum natum habere, quod non habet »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIII, q. 1, a. 4 *sol.* Cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 11.

[4]) Hanc ob rationem s. Bonaventura advertit privationem, quamvis non sit ens, tamen esse entis (*In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, a. II, q. 3 *ad arg.*; cf in II. citt. Aristotelis Bonitz, *Op. cit.*, p. 179, et Bonghi, p. 157, not.). Discrimen inter nihilum, absolutum, et privationem etiam a s. Augustino satis aperte declaratum fuit. Ipse enim rationem reddens, cur *nihil* ipsae tenebrae dicendae non sint, ait: « Quia ubi sunt tenebrae, corpus est aliquod carens lumine, sive aer, sive aqua, sive aliquid a-

ARTICVLVS SECVNDVS

De origine, et vi notionum entis, et non entis

33. Originem notionis entis explicaturis certum nobis videtur ipsam esse omnium primam, cum in ordine *cronologico*, nempe in ordine temporis, quo intellectus notiones adquirit, tum in ordine *logico*, nempe in ordine, quo notiones inter se continentur.

Quod ad primum attinet, animo recolendum est mentem humanam ita comparatam esse, ut a notionibus magis communibus ad notiones minus communes gradatim progrediatur. Namque, cum ipsa non in actu cognitionis, sed in potentia ad cognoscendum a Deo creetur [1], ita comparata esse debet, ut principio cognitionem rerum imperfectam adquirat, deinde ipsam gradatim perficiat [2]. Atqui cognitio, quo magis communis est, eo minus est perfecta, quia, quo magis est communis, eo pauciores notas proprias obiecti, quod repraesentat, complectitur[3]. Ergo mens humana ita comparata est, ut notiones rerum magis communes prius, quam minus communes, assequatur[4]. Iam vero nihil in rebus communis, quam ratio entis, intelligi potest, quia quidquid in singulis rebus, sive substantiale, sive accidentale invenitur, est quoddam ens [5]. Dubium igitur nemini esse potest, quin intellectus humanus obiectum sibi proportionatum, nempe essentiam rerum materialium, principio, prout est ens, nempe, ut Scholae aiunt, sub ratione entis intelligat [6]. Itaque statuere nobis licet primam notionem, quam intellectus adquirit, esse notionem entis[7].

---

liud; corporali enim lumine vel illuminari, ut clareat, vel privari, ut tenebrescat, nisi corpus non potest »; *Ibid.*

[1]) Cf vol. I, *Ideal.* c. I, art. 2, p. 448.

[2]) Cf vol. I, *Dynam.* c. III, art. 9, p. 348.

[3]) « Cognoscere aliquid in universali dicitur dupliciter. Uno modo ex parte rei cognitae, ut scilicet cognoscatur solum universalis natura rei. Et sic cognoscere aliquid in universali est imperfectius. Imperfecte enim cognosceret hominem, qui cognosceret de eo solum quod est animal » (I, q. LV, a. 3 ad 2. Cf *In lib. I De Causis*, lect. X). Ex quo vides nos hic non loqui de ordine temporis, quo primas notitias rerum adquirimus, quia, si hic ordo spectetur, cognitio nostra, uti alibi vidimus, a minus communibus ad magis communia progreditur; sed de ordine temporis, quo primas rerum notitias, quae rudes, et imperfectae sunt, distinctas, et perfectas efficimus.

[4]) Cf I, q. LXXXV, a. 3 c., et *In lib. I Physic.*, lect. I. « Quanto intelligibile, ait Henricus Gandav., magis est indeterminatum, tanto naturaliter prius ipsum intellectus noster intelligit »; *Op. cit.*, art. XXIV, q. VII, n. 5.

[5]) « Ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit »; $1^a\ 2^{ae}$, q. XCIV, a. 2 c,

[6]) *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 1 c. Hinc sapienter idem sanctus Doctor illud pronuntiavit: « Intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis »; I, q. LXXIX, a. 7 c.

[7]) « Primo in conceptione intellectus cadit ens, quia secundum hoc unumquodque

34. Alterum evincere in promptu est duobus argumentis, quae nullum locum dubitationi relinquunt. Et primo, una notio alteri secundum ordinem logicum praecedit, cum haec illius quaedam determinatio est. E. g., notio animalis notioni hominis logice praecedit, quia, cum homo sit quaedam species animalis, notio hominis est ipsa notio animalis per differentiam rationalitatis determinata. Atqui omnes notiones sunt determinationes magis, minusve complexae notionis entis, quia intellectus illas sibi conficit, notioni entis aliquid addendo, per quod ipsa aliquo modo coarctatur [1]. Puta, si intellectus notioni entis illud addat, quod eius essentiae non convenit esse in alio, veluti in subiecto, ipse notionem substantiae acquirit. Ergo notio entis reliquis omnibus notionibus ordine logico praecedit. Secundo, indubium est, quoties una notio alteram continet, illam huic ordine logico praecedere. Atqui notione entis omnes reliquae notiones continentur. Ergo notio entis reliquis notionibus ordine logico praecedit. Minor propositio demonstratur hoc modo: Certum est omnem notionem illa contineri, in quam resolvitur, quia non potest in illius notiones, aut rei resolutione aliquid inveniri, quod in ea non est. Atqui in notionem entis omnes reliquae notiones resolvuntur, quia, si ab his removeantur cunctae differentiae, quibus ab se invicem determinantur, remanet ens, quod omnibus commune est [2]. Ergo notione entis omnes reliquae notiones continentur [3].

35. Quae cum ita sint, luce meridiana clarius effulget notionem entis cum in ordine *cronologico*, tum in ordine *logico* conceptuum intellectus primum locum sibi vindicare; in *cronologico*, quia intellectus essentiam rerum materialium, quae est ipsius obiectum, primo, prout est ens, concipit; in *logico* autem, quia ad conceptum entis omnes reliqui conceptus resolvuntur.

36. At sedulo advertendum est notionem entis, prout est prima in ordine cronologico, esse *confusam*, et prout est prima in ordine logico, et per analysim acquiritur, esse *distinctam* [4]. Primum ex eo evincitur, quod notio entis, prout est prima in ordine cronologico, est, uti vidimus, notio directa, quae omni actioni reflexivae animae antecedit. At-

---

cognoscibile est, inquantum est actu »; I, q. V, a. 2 c. Cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 6, etc.

[1]) Diximus *per quod aliquo modo coarctatur*, quia nihil potest enti addi, quod sit extra eius essentiam. Cf p. 10.

[2]) « Omnis natura, inquit s. Augustinus, in quantum natura est, esse cogitur »; *Enarr. in Ps. VII*, n. 19.

[3]) Lubet e multis locis, in quibus s. Thomas hanc theoriam tradidit, unum exscribere. « Illud, ait, quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quod omnes conceptiones resolvit; est ens, unde oportet quod omnes alias conceptiones intellectus accipiat ex additione ad ens » (*Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 1 c.). Huc etiam illa s. Bonaventurae verba spectant: « Nisi cognoscatur quid ens per se, non potest plene sciri definitio alicuius specialis substantiae »; *Itin.*, c. 3.

[4]) Distincta dicitur notio exhibens omnia, quae rei obiectae naturam constituunt,

qui notio, super quam mens humana reflexionem nondum exercuit, est confusa. Ergo notio entis, prout est prima in ordine cronologico, est confusa. Id ex natura humanae mentis comprobatur. Nam mens humana, ut paullo ante diximus, ita comparata est, ut a cognitione imperfecta ordiatur, eamque gradatim perficiat. Atqui cognitio imperfecta est indeterminata, et confusa, et cognitio perfecta est determinata, et distincta [1]. Ergo, si notio entis est prima omnium, quas anima adquirit, ipsa indeterminata, et confusa sit oportet. Alterum autem satis per se perspicuum est, si modus, quo intellectus ad ipsam pervenit, consideretur. Re vera intellectus notionem entis, prout est prima in ordine logico, ex eo adquirit, quod omnes reliquas notiones in illam resolvi comperit. Atqui resolutio, quam recentes graeca voce *analysim* vocant, sine reflexione fieri non potest. Ergo notio entis, quae prima est in ordine logico, est reflexa. Sed notio reflexa est determinata, et distincta. Determinata igitur, et distincta dicenda est notio entis, quae est prima in ordine logico.

37. Ex hactenus dictis duo facile intelliguntur: 1° Notio entis, quae est prima omnium, est abstracta, non vero concreta, Enimvero intellectus essentiam rerum materialium dumtaxat, prout est ens, intelligere non potest, nisi in ea rationem entis consideret, non considerando proprietates, quibus ens in ipsa determinatur. Atqui intelligere, seu considerare in aliqua re unum, quin cetera considerentur, illam actionem intellectus constituit, quae *abstractio* nuncupatur [2]. Ergo intellectus essentiam rerum materialium, prout est ens, nonnisi ope abstractionis, intelligere potest. Quandoquidem autem notiones, quas intellectus ope abstractionis sibi conficit, abstractae vocantur, abstractam esse notionem entis, de qua disputamus, concludendum est. Quod si quis nosse velit, in quo consistat abstractio, per quam intellectus ens primo cognoscit, advertat hanc abstractionem neque illam esse, qua ens, veluti aliquid universale ab inferioribus sibi subiectis abstractum, consideratur, neque illam, qua ens a cognita essentia rerum, quae obiectum proprium intellectus est, seiungitur [3]. Etenim, cum hae species abs-

---

efficiuntque, ut ipsa ab aliis secernatur. Confusa autem ea est, « qua cognoscitur aliquid, in quo plura continentur, sine hoc, quod habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum, quae continentur in illo »; I, q. LXXXV, a. 3 c. Cf vol. I, *Log.* pars I, c. I, art. 1, p. 30, not. 1.

[1]) « Oportet considerare, s.Thomas subdit, quod intellectus noster de potentia in actum procedit. Omne autem, quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam, et actum, quam ad actum perfectum. Actus autem perfectus, ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte, et determinate res cognoscuntur; actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quam sciuntur res indistincte sub quadam confusione»; *Op. cit.*, loc. cit. Cf Henr. Gand., loc. cit.

[2]) Cf vol. I, *Dynam.*, c. III, art. 3, p. 293.

[3]) Hanc duplicem abstractionem innuit s. Thomas, I, q. XL, a. 3 c.

tractionis, uti ex se patet, alias praevias cognitiones expostulent, ens, ad cuius cognitionem per illas pervenimus, primo a nobis cognitum dici nequit. Itaque huiusmodi abstractio ea est, qua intellectus, quamlibet essentiam rei exploraturus, ipsam sine quacumque materia [1] considerat, atque ex variis rationibus, quibus illam concipere potest, rationem entis primo in ea cogitat. Puta ex variis conceptibus, quos intellectus circa hominem, qui primo ei occurrit, efformare potest, e. g., *animalis, corporis, substantiae,* primus est conceptus, quo illum velut ens cogitat [2]. Inde non difficulter quoque intelligitur entis notionem, quae in omnium cognitione intellectui primo occurrit, non esse illam, quae essentiam, sed illam, quae *actum essendi,* sive actualitatem rei denotat: primum enim in re concipimus *actum essendi,* deinde eius quidditatem genericam, vel specificam. Accedit, quod ens, de quo agimus, commune cunctis rebus est. Atqui actualitas est quidem omnium communissima, quia omnes, quotquot sunt, aut esse possunt res, in eo secum conveniunt, quod sunt [3]; e contrario essentia non est aliquid, quod est rebus omnibus commune, sed est illud, ex quo res in diversas species distinguuntur. Ens igitur, cuius notionem omnium primam intellectus adquirit, non est illud, quod essentiam, sed illud, quod *actum essendi,* essentiae, et existentiae communem, denotat.

38. 2° Ens, cuius notionem omnium primam intellectus sibi conficit, est illud, quod *actum essendi* realem, non vero possibilem deno-

---

[1]) Ut horum verborum *sine quacumque materia* significatio probe intelligatur, advertendum est menti nostrae, cum notas individuales ab essentia rerum sensibilium removet, duplicem materiam occurrere; unam quidem *sensibilem*, quae qualitates sensiles, puta *molle, durum, calidum,* aut *frigidum* habet; alteram *intelligibilem* (cf *Log.* pars II, c. III, art. 2, p. 142, not. 1), quae, remotis qualitatibus sensilibus, solam quantitatem, eiusque affectiones exhibet, puta *numerum, dimensiones, figuram.* Iam ad notionem entis efficiendam expostulatur non solum abstractio a qualitatibus sensilibus, sed etiam abstractio a quantitate; siquidem notio entis, cum substantiis spiritualibus, perinde ac materialibus, communis sit, omnem materiam sive sensibilem, sive intelligibilem excludere debet. Audiatur s. Thomas: « Quaedam vero sunt, quae possunt abstrahi etiam a materia intelligibili communi; sicut ens, unum, potentia, et actus, et alia huiusmodi; quae etiam esse possunt absque omni materia: ut patet in substantiis immaterialibus »; I, q. LXXXV, a. 1 ad 2.

[2]) Haec theoria post Caietanum (*Op. cit.* Quaest. I, p. 5 sqq) a Raphaele Ripa (*Commentaria et Quaestiones ad s. Thomae Aquinatis de ente, et essentia tractatum*, Quaest. I, aa. 1-7, p. 56-90, Romae 1598) dilucide explicata est. Praestat haec eius pauca verba exscribere: « Ad hoc, ut conceptus entis primo cognoscatur, et ab aliis conceptibus, qui sunt in re per speciem intelligibilem repraesentata, abstrahatur, nulla alia requiritur abstractio, nisi quod per agentem intellectum species illa repraesentans sit iam a singularibus abstracta, et deinde quod intellectus possibilis illam recipiens actualiter primo concipiat ens non inspiciendo actualiter quae reliqua in illa quidditate repraesentata sunt »; p. 65.

[3]) « Esse, ait s. Thomas, est illud, quod est magis intimum cuilibet . . . . , cum sit formale respectu omnium, quae in re sunt » ; I, q. VIII, a. 1 c. Cf p. 20, not. 5.

tat. Perspicuum est quaestionem hic non institui de ente, quod extrinsecus possibile est; nam, quoniam cognosci nequit aliquid esse extrinsecus possibile, nisi ante cognoscatur ipsum esse intrinsecus possibile, simulque esse aliquam potentiam, cui est possibile, liquet notionem entis extrinsecus possibilis eiusmodi esse, ut alias notiones subaudiat. Quaestio versatur circa illud ens, quod est intrinsecus possibile. Iam certum est huiusmodi notionem esse non posse primam omnium, quas intellectus adquirit. Namque nemo cognoscere potest aliquid esse intrinsecus possibile, nisi notas, ex quibus constat, secum componi posse intelligat. Atqui id intelligere non potest, nisi ope analysis, qua notionem in sua elementa resolvit, et synthesis, qua elementa iterum componit; analysis vero, et synthesis ad iudicium pertinent. Ergo ad notionem entis intrinsecus possibilis adquirendam iudicio opus est. Quod si res ita se habet, sequitur notionem entis intrinsecus possibilis non esse primam omnium, quas intellectus adquirit, quia in cognitionis humanae progressu, uti iam ostensum est [1], iudicium simplicem apprehensionem consequitur. Contra ea, indubium nobis videtur ens, quod primum intellectus intelligit, esse illud, quod *actum essendi* realem denotat. Etenim intellectus, ut vidimus, notionem entis ex eo adquirit, quod essentiam rerum materialium sub ratione entis principio intelligit. Atqui essentia rerum materialium non est possibilis, sed realis, quia intellectus ipsam sibi comparat ex phantasmate, quod rem realem, non vero possibilem repraesentat. Ergo reale quoque sit oportet ens, sub cuius ratione intellectus essentiam rerum materialium intelligit, quodque primum omnium cognoscit.

39. Advertendum tamen est, si ens, quod primum omnium intellectus intelligit, est reale, ipsum ab intellectu non cognosci, prout est reale. Etenim intellectus cognoscere nequit aliquid tamquam reale, nisi super se reflectatur, naturamque entis, quod apprehendit, expendat; quocirca cognitio entis, tamquam realis, est reflexa et distincta. Atqui notio entis, quam intellectus primam omnium adquirit, est directa, et confusa. Ergo, si intellectus *actum essendi* realem, non possibilem apprehendit, ipsum tamquam realem non intelligit [2].

40. Ad notionem *nihili* quod attinet, quoniam intellectus *nihilum*, seu non ens tamquam oppositum entis intelligit, necesse est, ut notionem nihili non per ipsum nihilum, sed per ens, cui opponitur, acquirat. Et sane perspicuum est intellectum non posse intelligere aliquod obiectum speciali quadam entis determinatione carentem, nisi intelligat aliud obiectum eodem modo entis determinatum, quippe quod intelligere debet in illo aliquem modum entis desiderari, quod in hoc invenitur. E. g., nobis non aliter licet intelligere belluam, tamquam animal expers rationis, quam quod intelligimus illam ratione carere,

---

[1]) In vol. I, *Dynam.*, c. III, art. 8, p. 335.

[2]) Cf ibid., *Ideal.* c. I. art. 2, p. 448.

quam homini inesse novimus. Iam, quoniam non ens, seu nihilum non denotat aliquod obiectum quadam speciali determinatione entis carens, sed remotionem entis simplicitèr sumpti, hoc est, entis, quod intellectus intelligit veluti communissimum omnium, quae rebus communia sunt, consequitur intellectum intelligere non posse non ens, seu nihilum, nisi per ens simpliciter sumtum, quod tollit. Hinc sapienter a Scholasticis decretum fuit 1° modum, quo ens cognoscitur, a modo, quo nihilum cognoscitur, differre ex eo quod ens per se ipsum, et nihilum per ens intelligitur; 2° nihilum, quippe quod ens omnino tollit, non habere in se quidquam, ex quo cognosci potest, sed fieri *cognoscibile* ab intellectu [1], quia intellectus hoc ipso, quod absentiam entis concipit, notionem nihili sibi conficit [2].

41. Quandoquidem intellectus nihilum per absentiam entis intelligit, liquet ipsum non posse conceptus negationis, et privationis sibi comparare, nisi per illud ens, cuius absentiam denotant [3], quia negatio, et privatio, uti ex dictis patet, non ens, seu nihilum diversis modis denotant. Quod quidem declarari potest hoc brevi argumento: Quaelibet res, ut saepe dictum est, per *esse* suum intelligitur. Atqui negatio, et privatio, cum aliquid non esse denotent, non habent *esse* sui proprium, sed ad *esse* rei, cuius absentiam significant, revocantur [4]. Ergo negatio, et privatio non intelliguntur per se, sed per *esse* affirmationis, ad quod revocantur.

42. Restat, ut inquiramus, utrum notiones, quas hactenus exposuimus, subiectivae, an obiectivae sint. Quod ad notionem entis attinet, haec, quamvis *actum essendi* realem denotet, tamen est subiectiva, non vero obiectiva. Et sane, notio entis, communissime sumti, est, uti ostendimus, abstracta. Atqui notiones abstractae non sunt obiectivae, sed subiectivae, quia ipsae non repraesentant *esse* rerum, prout in ipsis rebus, nempe in suo obiecto invenitur, sed prout invenitur in subiecto, nempe in anima, seiunctum a rebus, in quibus concretum est. Ergo notio entis communissime sumti, quamvis *actum essendi realem* denotet, non est tamen obiectiva, sed subiectiva. Quod ut magis, magisque declaretur, advertendum est, quidquid in natura rerum existit, esse aliquo modo determinatum, seu definitum. Atqui ens communissime sumtum, de quo agimus, est omnino indeterminatum, quia intellectus illius notionem sibi efformat, removendo omnes notas, quibus ens in rebus determinatur. Ergo notio entis communissime sumti non repraesentat *esse actuale* rerum, prout aliquo

---

[1]) Vid. p. 18.

[2]) Cf s. Thom., I, q. XVI, a. 3 ad 2.

[3]) Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVI, q. I, a. 2 *sol.*

[4]) « Negatio actus, s.Thomas scribit, reducitur ad genus actus»; 2ª 2ae, q. LXXIX, a. 3 ad 1. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV. q. I, a. 1 ad 2, et s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, p. 1, a. 11, q. 1 *ad arg.*

modo determinatum in ipsis rebus est, sed prout omnino indeterminatum in anima invenitur. Nisi quod notio entis communissimi non est adeo subiectiva, ut nullum in natura rerum fundamentum habeat. Etenim, cum intellectus notionem entis communissimi sibi comparet, removendo a rebus notas individuales, quibus in ipsis determinatur, res fundamentum obiectivum illius notionis dicendae sunt.

43. Ex quo intelligere licet, quomodo mens divisionem entis in *ideale*, et *reale* nanciscatur. Si enim notionem entis considerat ex parte *modi*, quo ipsam adeptus est, notionem entis *idealis* adquirit, quia notio entis ex hac parte considerata *esse* rerum sive reale, sive possibile repraesentat, prout est in intellectu, atque *esse*, quod in intellectu est, *ideale* vocatur. Sin intellectus notionem entis considerat ex parte fundamenti, quod in rebus habet, nempe relatum ad res, ex quibus ipsam ope abstractionis conficit, notionem entis *realis* assequitur. Etenim, cum ipse super se reflectens cognoscit se notionem entis adquisivisse, seiungendo alias notas, per quas in ipsis determinatur, ens, quod tamquam communissimum intelligit, in rebus concretum, ac individuatum existere simul cognoscit. Hoc autem ens est, quod *reale* nuncupatur.

44. Notio autem *nihili* adeo subiectiva est, ut nullum fundamentum in rerum natura habeat. Enimvero, quin subiectiva sit, nemini dubium esse potest. Nam, cum quidquid existit in rerum natura, sit ens aliquo modo determinatum, nihilum, quod ens in universum, et communissime sumtum tollit, non potest quidquam repraesentare, quod in natura rerum existit.

45. Quod si notio nihili est omnino subiectiva, oportet quoque omnino subiectivos esse conceptus negationis, et privationis, sive ut Scholae aiunt, *nihili negativi*, et *nihili privativi*, in quos ipsum dividitur. Id de negatione satis perspicuum est; haec enim, cum non aliud, nisi remotionem entis denotet, fundamentum in rebus habere nequit, quia quidquid in rebus est, quoddam ens est [1]. Sed privatio nonnihil difficultatis facessere videtur. Nam, quandoquidem notio privationis, praeter absentiam entis, aliquam naturam, in qua ens abest, denotat, intellectus privationem in aliquo subiecto, et per τὸ *esse* inhaerentiam unius in alio significat. Verum s. Thomas iam observaverat illud *esse*, utpote quod officio copulae fungitur, non significare aliquid, quod in subiecto est, sed actum, quo intellectus privationem cum subiecto componit; et quoniam actus, qua intellectus unum cum alio coniungit, non in rebus, uti alibi dictum est [2], sed in animo, veluti in subiecto, est, notionem privationis esse omnino subiectivam [3].

---

[1]) Vid. s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XLVI, q. 1, a. 2 ad 1, et lib. II, Dist. XXXVII, q. 1, a. 2 ad 3.

[2]) Pag. 5-6.

[3]) Breviter s. Thomas: « Intellectus compositionem privationis cum subiecto per

ARTICVLVS TERTIVS

Philosophorum absurdae sententiae circa notiones entis, et nihili refelluntur

46. Explicatis notionibus entis, et nihili, e re est nonnulla placita veterum, recentiumque philosophorum excutere, ut exitiales errores qui inde in philosophiam irrepserunt, caveantur, simulque illae notiones magis, magisque explanentur.

47. A Pantheistis ordiamur. Hi in universum contendunt ens, quod concretum, et reale in rebus est, esse ipsum ens communissimum, cuius ideam intellectus habet; et quandoquidem id, quod veluti communissimum, et universale cogitatur, velut unum quoque cogitatur, res, quotquot sunt, esse unum. Caeteris omissis, nonnihil de antiquissimo Parmenide, et de nupero Heghelio dicemus, quippe qui uberius, et studiosius, quam ceteri, hac in re versati sunt. Parmenides, quem nonnulli e schola Megarica secuti sunt [1], postquam, reiecto sensuum testimonio, unam rationem esse criterium veri, eiusque obiectum esse ens statuit, inde confecit 1° ens esse, et non ens non esse, proindeque de ente omnia, et de non ente nihil posse affirmari; 2° quoniam non aliud, nisi ens est, cogitationem, et sermonem non aliud esse, nisi ipsum ens, atque idcirco non ens nec cogitari, nec significari posse; 3° ens esse unum, quia, cum non ens non sit, nihil inveniri potest, a quo ens quibusdam modis determinetur [2]. Ex quibus intelligitur,

---

quoddam esse significat; sed hoc esse non est, nisi ens rationis, cum in re sit potius non esse » (*In lib. II Sent.*, Dist. XXXVII, q. 1, a. 2 ad 3). Ad recte intelligendum, quid nomine *entis rationis* veniat, advertere oportet ens *ideale*, illud scilicet, quod *actu* in mente tantum viget, duplicis esse generis, vel nempe huiusmodi, ut extra mentem ipsam existere, sive produci possit, vel ita ab intellectu pendere, ut ab illo solo producatur, in eoque remaneat, neque sine intellectu cogitante ullibi esse possit. Iam ens ideale hoc altero sensu acceptum *ens rationis* vocari solet, atque illis notionibus convenit, quas in *Log.* (pars I, c. I, art. 1, p. 39 vol. 1) *secundas* vocavimus. Re vera, e. g., notio *generis*, etc., ens rationis exhibet, quia nihil in rerum natura generi, prout genus concipitur, respondere potest. Audiatur s. Thomas: « Ex hoc quod intellectus in seipsum reflectitur, sicut intelligit res existentes extra animam, ita intelligit eas esse intellectas; et sic, sicut est quaedam conceptio . . , cui respondet res ipsa, quae est extra animam; ita est quaedam conceptio. . . . , cui respondet res intellecta, secundum quod huiusmodi; sicuti. . . conceptioni hominis respondet res extra animam; . . . conceptioni generis, aut speciei respondet solum res intellecta»; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 7 c.

[1]) Cf Aristoclem apud Eusebium. *Praep. evang.*, lib. XIV, c. 17.

[2]) Vid. Karsten, *Philosophorum graecorum veterum, praesertim qui ante Platonem floruerunt, Operum reliquiae*, Pars altera, *Parmenides*, n. 1-124, Amstelod. 1835. Vid. Brandis, *Commentationum Eleaticarum* pars I, Altonae 1813, et Riaux, *Essai sur Parmenide*, part. 2, c. 1-10, Paris 1840.

Parmenidis sententia . quidquid est, esse *Ens absolutum* , et quidquid non est, esse *Nihil absolutum*. Heghelius, perinde ac Parmenides, censuit unicum esse *ens*, atque hoc esse unum. idemque cum *Idea*, proindeque *reale* simul, ac *ideale* [1]. Verum a Parmenide multis ex capitibus dissensit , quorum haec duo maxime ad rem nostram faciunt. Primum est, quod Parmenides *ens-cogitationem* esse omnino immotum voluit, in eoque nullam evolutionem agnovit[2]; at Heghelius sensit *Ens-ideam* per tria momenta se evolvere, quorum in primo se *absolute*, in secundo uti *mundum* , in tertio ut *spiritum* ponit [3]. Alterum est, quod Parmenides unicum ens esse omnino determinatum , ideoque non enti oppositum dixit [4]; Heghelius vero contendit unicum ens in se ipso esse omnino indeterminatum, proindeque purum, putumque *nihilum*, sed se ipsum determinare in tribus momentis, per quae se evolvit, enodatque[5]. Inde illud impium, et perabsurdum pronuntiatum apud non paucos germanos invaluit, absolutum esse *Nihil*, vel, ut Oken ait, *Magnum Nihil*[6], atque absolutum *Nihil* esse principium *immanens*, ex quo omnia promanant [7].

48. Haec theoria Parmenidis, atque Heghelii, uti ex doctrinis, quas statuimus, facile intelligitur , multis , iisque exitialibus vitiis laborat. Principio , quandoquidem res, quas in hoc mundo cernimus, inter se multum differre cognoscimus, non aliter nobis licet ad entis communissimi notionem adsurgere, quam a rebus ipsis removendo per repetitas abstractiones omnia , quibus ipsae quocumque modo ab se differunt [8]. Iam, si hac via mens humana ad notionem entis assurgit , notionem entis esse omnino abstractam dicendum est. Praeterea ens, prout a Parmenide, et Heghelio explicatum fuit, mere subiectivum est. Nam, si ens est ipsamet cogitatio, vel idea, consequitur ens ideo esse, quod cogitatur, vel intelligitur. Atqui id, quod per intellectum dumtaxat est, nonnisi in intellectu existit; id autem, quod tantum in intel-

---

[1]) Cf vol. I, *Ideal.* c. 1, art. 3, p. 465.

[2]) *Op. cit.*

[3]) Cf *Ideal.*, loc. cit.

[4]) *Op. cit.*, n. 86 sqq, necnon n. 57 sqq. Cf Arist., *Physic.*, lib. I, c. 8, aliosque veteres, quos Karsten laudavit in *Op. cit.*, n. 67.

[5]) *Log.* part. I, p. 85-87, ed. cit. Hinc Heghelius *magno*, ut ait, Parmenidi plausit, quod *Ens*, et *Nihil* idem esse asseruerit. Vid. *Opp.* vol. XIV, p. 305.

[6]) Cf vol. I, *Ideal.*, c. et a. citt., p. 474, not. 4.

[7]) *Ens-idea*, seu *Nihil* ab Heghelio principium *immanens* dictum est, quia evolutio, dum ab Ente proficiscitur, in ipso ente *manet*. Ens-idea enim est simul principium, et terminus evolutionis, quia per evolutionem Entis ipsum Ens perficitur. Ex quo consequitur, quidquid est, esse Ens, nihilque praeter ipsum esse.

[8]) Parmenidem, quippe qui modum, quo ratio notionem entis adquirit, minime explicuit, notionem entis nonnisi abstractionis ope sibi confecisse coniiciendo asserimus (cf Riaux, *Op. cit.*, part. 4, n. 11, p. 188, et 189). Sed Heghelius mentem humanam ope abstractionis ad notionem Entis pervenire sine ulla ambage docuit. Cf vol. I, *Log.* pars III, c. IV, art. 1, p. 204, et *Ideal.*, c. I, art. 3, p. 465.

lectu existit, est subiectivum. Ergo ens unum, quod Parmenides, et Heghelius commenti sunt, est omnino subiectivum. Cum haec ita sint, hi Philosophi, omnesque Pantheistae eorum sectatores, quoniam ens communissimum, tamquam concretum et obiectivum, obtrudunt, abstructum cum concreto, et subiectivum cum obiectivo turpiter confundunt.

49. Quod ad sententiam Parmenidis speciatim attinet, falsum omnino est, quidquid est, esse ens absolutum, et quidquid non est, esse non ens, seu Nihil absolutum. Etenim ens communissimum, quod abstractum, et subiectivum esse vidimus, si ad res, quae extra intellectum sunt, referatur, esse potest vel Absolutum; ac proinde necessarium, et infinitum, nempe Deus, vel contingens, et finitum, cuiusmodi sunt res creatae [1]. Primum, cum sit ens realissimum, *non ens* omnino a se removet. Alterum vero, etsi non removeat a se omne *non ens*, quippe quod essentiam limitibus determinatam habet, tamen aliquod *non ens*, illud nempe, quod *esse* eius negat, excludit. E. g., notio belluae non excludit *irrationale*, hoc est, *non ens*, quod *rationale* negat, quia bellua ratione non pollet; sed excludit *non sentiens*, scilicet *non ens*, quod negat *sentiens*. Cum haec ita se habeant, neque quidquid est, potest dici ens absolutum; quia contingentia, etsi aliquo modo sint [2], quippe quae aliquod non ens excludunt, tamen *esse* absolutum non

---

1) Quoniam nullum *esse* existit, quod non sit aut *esse* increatum, nempe Deus, aut aliquod *esse* creatum, consequitur ens communissimum non posse, tamquam relatum ad res, quae extra intellectum sunt, a nobis concipi, quin concipiatur esse aut illud, quod est Deus, aut illud, quod est aliqua res creata. Cave tamen, ne inde colligas vel Deum esse ipsum ens communissimum, vel hoc secundum communem significationem Deo, et creaturis attribui. Non quidem primum; nam «Essentia Divina, aiente s. Thoma, non est quid generale in esseudo, cum sit ab omnibus aliis distincta, sed solum in causando» (*Quodlib.* VII, a. 1 ad 1; cf *Qq dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 4). Id ex eo comprobatur, quod, etsi notio entis communis, quemadmodum diximus (p. 11), prout ens est, aliquam additionem non expostulet, tamen additionem non repudiat, hoc est, « potest fieri sibi additio, ut determinetur ad proprium» (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 1). E contrario, Deus cum sit totum *esse*, eiusmodi est, ut nihil ipsi addi queat, per quod ad aliquem modum entis determinetur. « Aliquid, ait idem sanctus Doctor, cui non fit additio, potest intelligi dupliciter: uno modo, ut de ratione eius sit, quod non fiat ei additio . . . . Alio modo . . . , quia non est de ratione eius, quod sibi fiat additio . . . Primo igitur modo, *esse* sine additione est Esse Divinum; secundo modo *esse* sine additione est *esse* commune» (I, q, III, a. 4 ad 1). Non alterum, quia, cum Deus sit *esse* a se, et res ab Eo creatae habeant *esse* ab alio, nempe ab ipso Deo, Deus, et res creatae secundum ipsam rationem *esse* differunt, ac proinde *esse* tamquam aliquid commune de ipsis praedicari nequit. Alia rationum momenta omittimus, cum de hoc in *Theodicea* agendum nobis sit. Cf interea s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 7 c.; et Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XX, q. II, n. 6; et art. XXI, q. III, n. 11.

2) « Omnis creatura est ens, secundum similitudinem ad ipsam (*naturam Divinam*) »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. II, a. 1 c.

habent; neque quidquid non est, esse *non ens*, seu nihil absolutum: quia contingentia, etsi aliquo modo non sint [1], quippe quae omne non ens non excludunt, tamen nihilum absolutum non sunt [2].

50. Falsum quoque est *non ens* cogitari non posse. Hunc errorem adnotatum volumus, quia Ad. Frankius, aliique nuperi [3], Parmenidem secuti, nihilum absolutum concipi non posse praefracte contendunt. Ast hi, uti ex dictis patet, oppido falluntur. Etenim, quoniam intellectus, ipsis concedentibus, intelligit non ens in singulis certis generibus, puta *non rationale, non animal, non vivens, non album,* aliasque negationes specialium modorum entis, nihil vetat, quominus non ens in quolibet genere rerum intelligat, atque ita remotionem totius entis, sive, ut s. Thomas ait, *negationem absolutam* concipiat [4].

51. Neque dicas conceptum nihili absoluti esse conceptum sine ullo obiecto, quod concipitur, nempe sine ullo termino, ad quem refertur. Etenim conceptus nihili absoluti non habet pro termino non ens, sed ens, cui non ens opponitur. Re vera, indubium est terminum cuiuslibet conceptus negativi non esse non ens, sed ens, quod ipse tollit. Namque intellectus, uti ante ostensum est, non ens non per se ipsum sed per ens, cui opponitur, intelligit [5]. Atqui, si intellectus intelligit non ens per ens, cui opponitur, ens quod tollit, non vero non ens est terminus suae intellectionis. Ergo terminus cuiuslibet conceptus negativi non est non ens, sed ens, quod ipse tollit. Ut hanc theoriam exemplo declaremus, cum intellectus plantam tamquam *non sentientem* concipit, obiectum, seu terminum huius conceptionis negativae non est

---

[1]) «Quantum creatura ab Eo (*Deo*) recedit, tantum habet de non esse»; *Qq. dispp., De Ver.*, q. II, a. 3 ad 16.

[2]) Perbelle ad hanc rem s. Augustinus inquit: « Et inspexi cetera infra Te, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs Te sunt; non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt »; *Confess.*, lib. VII, c. 11, n. 17.

[3]) Vid. Franck, *Diction. phil.*, art. *Être*, t. II, p. 325, et Ab. Hugonin, *Ontologie* part. I, c. 2, § 3, t. I, p. 115, et 117, Paris 1856.

[4]) Sanctus Doctor, postquam docuit duas esse negationes, unam quae ad certum genus rerum pertinet, alteram, quae omne genus rerum egreditur, advertit primam negationem esse *privationi* quodammodo similem, quia ipsa sumit esse aliquod subiectum quod illo genere caret, sed secundam esse absolutam, quia, cum omne ens tollat, una ipsum subiectum, omnemque eius modum tollit. « Negatio quaedam, ait, negat in genere determinato, et haec habet aliquid simile privationi, in quantum ponitur aliquod determinatum genus. Est etiam quaedam negatio extra genus, et haec est absoluta negatio, quia nullum genus determinat »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIII, q. I, a. 4 *sol.*

[5]) In hanc rem illa s. Augustini verba quadrant: « . . . . videre tenebras, vel audire silentium . . . , utrumque nobis notum est; neque illud nisi per oculos neque hoc nisi per aures: non sane in specie, sed in speciei privatione. . . Cum enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi coeperit non videre; ita etiam non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet sen tire silentium »; *De Civ. Dei.* lib. XII, c. 7.

non sentiens, sed *sentiens*, quod particula negans *non* tollit. Quod de omni conceptu negativo diximus, id de conceptu nihili absoluti, seu negationis absolutae quoque dicendum est; si quidem obiectum, seu terminus negationis absolutae non est non ens communissime sumtum, sed ipsum ens communissime sumtum, quod a non ente negatur.

52. Denique falsum est non ens verbo significari non posse. Id et *a priori*, et *a posteriori* demonstrare in promptu est. *A priori*, quia quidquid cogitari potest, significari quoque posse apud omnes in confesso est. Atqui non ens, ut modo ostensum est, cogitari potest. Ergo non ens verbo significari quoque potest. *A posteriori* autem, quia in cunctis linguis voces inveniuntur, quae nihilum cum absolutum, tum relativum significant.

53. Ad Heghelium progrediamur. Hic ex eo, quod Ens, sive, ut ait, Ens-Ideam esse aliquid indeterminatum sensit, ipsum *Absolutum nihilum* esse perperam confecit. Ut id plane intelligatur, sciendum est indeterminationem, uti ab Henrico Gandavensi observatum fuit [1], esse vel *privativam*, vel *negativam*. Privativa ea est, qua ens, cum non sit hoc, vel illud ens, nempe ens individuum et singulare, natura sua ita comparatum est, ut plures determinationes accipere, ac proinde ad hoc, vel illud ens determinari queat. Negativa vero est, qua aliquid per se ipsum est ens, ita ut omne *esse* complectatur, proindeque nihil extra ipsum esse possit, ex quo determinetur. Iam, si Heghelius unicum suum Ens, hoc est, *Ens-Ideam*, tamquam indeterminatum privativum accipit, ipsum, dummodo cohaerere sibi velit, tamquam absolutum nihilum intelligere non potest. Nam nihilum capax non est ullius determinationis, dum e contrario indeterminatum privativum eiusmodi est, ut in singulis naturis rerum diversis modis determinari posse intelligatur. Sane ex evolutionibus Entis-Ideae, Heghelii sententia, Absolutum, sive Deus, spiritus, et mundus emergunt. At, ut Wilmius scite monuit [2], quid obtusius hoc dici potest, mundum, spiritum, et Deum *ab actione vacui super vacuum, et nihili super nihilum* oriri? Quod si Heghelius unicum *ens* tamquam indeterminatum negativum intelligat, dicendum est illud non modo non esse absolutum nihilum, sed esse ipsum *esse actuale*, nempe *esse*, quod omne *esse* actu habet, et quod nonnisi Deus est, quia solum *Esse Divinum*, quippe quod est ipsum *esse* subsistens, est *indeterminatum negativum*, nempe indeterminatum, quod omnem determinationem ad aliquod genus entis respuit [3].

54. Ceterum, quocumque modo *Ens-Idea* explicetur, nunquam in-

---

[1]) *Op. cit.*, art. XXIV, q. VII, n. 6. Cf s. Bonaventuram, *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 1 *ad arg.*, et q. 2 *ad arg.*

[2]) Wilm. *Diction. phil.*, art. *Hegel*, t. III, p. 35, Paris 1847.

[3]) « Infinitum, scribit s. Thomas, negative dicitur, quod nullo modo finitum est, et hoc est quiddam, quod se ad omnia extendit, perfectissimum »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. 1, a. 1 ad 4. Cf p. 29, not. 1.

telligi posse veluti unum, idemque cum *nihilo* illud quoque commonstrat, quod, cum nihil sit negatio entis, *Ens-Idea*, si est nihil, est ens, quod non est ens, sive est ens, et non ens [1].

55. Secundo ex doctrinis, quas de ente statuimus, intelligitur Ontologos valde decipi, cum autumant ens, quod mens humana principio apprehendit, non esse ens communiter sumtum, et abstractum, sed ens realissimum, et concretum, nempe ens, quod Deus est. Ipsi non inficiantur mentem humanam notionem entis communiter sumti habere; sed pertendunt hanc non esse directam, et primam, sed reflexam, et posteriorem cognitione directa entis realissimi, quam mens humana per intuitionem immediatam naturaliter habet. Quaestio igitur in eo versatur, utrum, necne mens humana immediatam, et naturalem intuitionem entis realissimi, nempe Dei, habeat. At, quandoquidem haec intuitio, uti alias ostendimus, omnino commentitia, atque absurda est, restat, ut notio entis quam mens principio adquirit, sit notio entis communiter sumti, ideoque abstracta, et subiectiva.

56. Denique in refellenda sententia Rosminii nihil immorari opus nobis est. Etenim illa duo, quae ipse docet, nempe ens, quod primo cognoscimus, esse ens possibile, et primam cognitionem entis ope abstractionis comparari non posse, ex doctrinis antea statutis nullo negotio explodere licet [2].

ARTICVLVS QVARTVS

Principium, quod ex notione entis dimanat, exponitur

57. Postquam mens humana notiones entis, et non entis assecuta est, *principium*, quod vocant *contradictionis*, facile, atque, ut Scholae aiunt, naturaliter nanciscitur. Etenim, quoniam ipsa cognoscit non ens esse id, quod tollit ens, intelligit fieri non posse, ut ens sit non ens, sive ut aliquid simul sit, et non sit. Hinc conficit iudicium: *Non est possibile idem simul esse, et non esse.* Hocce iudicium *principium contradictionis* nuncupatum est, quia est iudicium per se perspicuum, quod ceterorum, ut mox dicemus, principium est, atque *esse* et *non esse*, quae sunt eius termini, contradictoria sunt. Ne vero ullus locus aequivocationi detur, advertendum est cum Aristotele, et Scholasticis contradictionem tum revera existere, cum aliquid non solum *idem*, sed etiam *in eodem subiecto*, et *secundum eamdem rationem* esse dicitur, quippe quod, si de uno subiecto *esse*, et de altero *non esse* dicatur, *non esse* non tollit *esse*, atque idem, quod diversis rationibus de eodem dicitur, non est re ipsa idem, sed diversum. Quare ad contradictionem

---

[1]) De absurditate huius sententiae hegelianae videsis ea, quae disseruimus in *Ideal.*, c. I, art. 3, vol. I, p. 465.

[2]) Cf p. 23-24, et vol. I, *Ideal.*, c. I, art. 2, p. 448.

tria requiruntur: 1° ut idem inesse, et non inesse dicatur; 2° ut sit idem subiectum, de quo inesse, et non inesse dicitur; 3° ut eadem sit ratio, secundum quam idem inesse, et non inesse dicitur [1]. Quae tria Aristoteles complecti volens, principium contradictionis significavit hoc modo: *Idem simul inesse, et non inesse eidem, et secundum idem impossibile est,* eumdemque modum in illo significando Scholastici constanter tenuere [2].

58. Iam ex dictis nullo negotio intelligitur, quomodo intellectus hoc iudicium conficiat, et quae sit eius natura. Intellectus, uti ex praefatis patescit, ex notionibus *entis*, et *non entis* iudicium, quod principium contradictionis est, efformat. Namque ipse notiones entis, et non entis secum comparans intelligit *non ens* non esse id, quod est *ens*, quia non ens tollit ens, proindeque fieri non posse, ut idem simul sit, et non sit. Quin autem hoc iudicium sit immediatum, et ex se perspicuum, sive quoddam axioma, ne in dubium quidem vocari potest: siquidem cum non ens intelligatur veluti id, quod tollit ens, nullo medio opus est intellectui nostro, ut id, quod est ens, esse non posse id, quod est non ens, intelligat. Ex quo vides audiendos non esse paucos recentes, qui, post quosdam antiquos ab Aristotele commemoratos [3], principium contradictionis demonstrare student [4]. Enimvero, quaecumque sit argumentatio, quae ad principium contradictionis demonstrandum instituitur, eius conclusio principium contradictionis sit oportet; quocirca necesse est enunciationes, quae conclusioni praecedunt, pro veris habere, antequam effatum contradictionis verum esse in conclusione compertum fuerit. Atqui, antequam enunciatum contradictionis verum esse compertum sit, nulla enunciatio pro vera haberi potest, quia statui nequit aliquid alicui inesse, aut non inesse, nisi non posse aliquid simul alicui inesse, et non inesse cognitum sit. Ergo nullo genere argumentationis effatum contradictionis demonstrari potest. Hinc Aristoteles illos *ignorantiae* iure, meritoque accusavit, qui principium contradictionis demonstrare conabantur [5].

59. Verum, si hac de re inter fere cunctos Philosophos convenit, ab eis disputatum est, 1° utrum principium contradictionis sit primum tam in ordine cronologico, quam in ordine logico cognitionis, an in alterutro solum, an denique in neutro; 2° num, praeter ipsum, aliud primum principium in ordine logico cognitionis admittendum sit; 3° utrum illud sit subiectivum, an obiectivum.

60. A prima quaestione ordientibus illud certum nobis est, quod

---

1) *Met.*, lib. III, c. 3, § 8.

2) Cf B. Alb. M., *Met.* lib. IV, tract. II, c. 2, et s. Thom., *In lib. IV Met.*, lect. VI.

3) *Met.*, loc. cit.

4) Vid. de his Storchenau, *Inst. Log. et Met.*, *Ontol.*, sect. I, c. 1, § 17, Schol., p. 18, Venetiis 1794.

5) *Ibid.* Cf B. Alb. M. *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 3, et s. Thom. *Op. cit.*

Scholastici post Aristotelem docuerunt, principium contradictionis esse primum tum in ordine cronologico, tum in ordine logico cognitionis. Et sane ipsum esse primum in ordine cronologico demonstratur hoc brevi, planoque argumento : Iudicium , quod effatum contradictionis est, ex notionibus entis, et non entis efficitur. Atqui notiones entis, et non entis sunt, ut ante vidimus, primae omnium, quas intellectus adquirit. Ergo iudicium, quod ex ipso efficitur, nempe effatum contradictionis est primum omnium , quae intellectus conficit. Audiatur s. Thomas: « Illud, quod primo cadit in apprehensione, est ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare, et negare, quod fundatur supra rationem entis, et non entis [1] ».

61. Praeterea effatum contradictionis est quoque primum principium in ordine logico cognitionis. Id a s. Thoma post B. Albertum M. ostensum est argumento, quod huc redit: Ad constituendam rationem primi principii in ordine logico cognitionis tria expostulantur. Primum est, quod sit omnium *firmissimum*, ita ut de ipso ne ulla quidem dubitatio existere queat, quia, nisi huiusmodi esset, firmitatem reliquis principiis conciliare non posset; alterum, quod non sit *suppositum*, nempe nullum aliud principium *supponat*, quia, si ab alio principio penderet, primum omnium non foret; tertium denique, quod sit *indemonstrabile*, quia principium, quod per aliud demonstratur, eo, per quod demon-

---

[1]) 1ª 2ae, q. XCIV, a. 2 c. Atque alibi: « Quod quidem ea ratione primum est, quia termini eius sunt ens, et non ens, qui primo in consideratione intellectus cadunt ». (*In lib. XI Met.*, lect. V; cf B, Alb. M., *Met.*, lib. IV, tract. 2, c. 1). Ex hoc intelligitur a vero longe aberrasse cum Cartesium, qui docuit principium, quod primum omnium a nobis cognoscitur, esse illud: *Cogito, ergo sum* (*Princip. phil.*, part I, n. 7; cf *Epist. ad Interpretem Gallicum*, quae operi, praefationis instar, praemittitur); tum Auctorem *Artis cogitandi* (part. IV, c. 6 et 7 , ed cit.), Purchotium (*Inst. phil. Met.*, pars I, c. 4, p. 229, ed. cit.), aliosque, qui senserunt illud principium, de quo hic agitur, esse, *Quidquid continetur in alicuius idea clara, et distincta, potest vere de illo affirmari*; tum, ne de cunctis dicamus, Rosminium, qui ceteris principiis dixit praecedere istud: *Obiectum cognitionis est ens* (*N. S.*, sez. V, Part. 3, c. I). Et sane principium cartesianum, praeterquam quod non enunciatio, sed syllogismus esse videtur (cf *Criteriol.*, c. I, art. 2, p. 547, not. 3), primum dici nequit, quia expostulat cognitionem alius principii, hoc est, fieri non posse , ut, dum aliquis cogitat, proindeque est, non sit. Principium vero, quod veluti omnium primum Auctor *Artis cogitandi* statuit, etsi detur esse verum, certe primum non est ; siquidem non potest vere affirmari de ulla re id, quod in ipsa continetur, nisi pro certo habeatur fieri non posse, ut aliquid in ipsa simul sit, et non sit, idemque de eodem simul affirmetur, et negetur. Idem denique dicendum est de principio, quod Rosminius aristotelico suffectum voluit; nisi enim sciatur fieri non posse, ut non sit non ens, statui nequit ens, non vero non ens esse obiectum cogitationis. Re vera Hegelius, qui ens, ut paullo ante diximus, cum non ente confudit, et principium contradictionis, ut mox videbimus, reiecit, non solum non negavit non ens esse obiectum cogitationis, sed contendit non ens, seu nihil , quod idem esse cum ente voluit, esse principium et scientiae, et universitatis rerum.

stratur, posterius est. Atqui haec tria in principium contradictiouis adamussim quadrant. Enimvero hocce principium est firmissimum, sive, ut voce magis frequentata utamur, certissimum. Nam, cum evidentissimum sit ens per non ens tolli, ipsum notissimum est; atqui mentem humanam in notissimis decipi haud possibile est; ergo principium contradictionis omnium certissimum est. Est etiam principium, quod nulli alii principio innititur. Etenim ipsum ex conceptibus entis, et non entis conficitur; atqui conceptus entis, et non entis sunt illi, ad quos, veluti ad omnium supremos, reliqui omnes reducuntur; ergo principium contradictionis eiusmodi est, ut ad ipsum omnia reliqua principia reducantur. Denique est etiam indemonstrabile. Nam illud, per quod aliud demonstratur, superius est eo, quod demonstratur; atqui principio demonstrationis nullum aliud principium superius est; ergo principium contradictionis per nullum aliud principium demonstrari potest [1].

---

[1]) Ex his perspicitur in errore versari tum Veisseum (Veisse, *De vera vi, et notione identitatis*, germ., in *Ephem. philos.* Fichtei, Part. IV, I, p. 1), et I. H. Fichteum (Fichte, *De principiorum contradictionis, identitatis, et exclusi tertii in logicis dignitate et ordine*, passim, et praesertim, p. 16, not. *, Bonnae 1840), qui post nonnullos Scholasticos principium *identitatis*, hoc est, *Id quod est, est*, seu, *Ens est ens*, primum omnium principiorum in ordine logico cognitionis esse contendunt; tum alios, qui dubitant, utrum principium contradictionis sit prius principio *exclusi medii inter contradictoria*, hoc est, *Quodlibet aut est, aut non est*, an contra. Et sane principium contradictionis principiis *identitatis*, et *exclusi tertii inter contradictoria* est prius ordine logico. Nam unum principium alteri ordine logico praecedit, si hoc in illud resolvitur; atqui tam principium *identitatis*, quam principium *exclusi tertii medii* in principium contradictionis resolvuntur; ergo principium contradictionis principiis *identitatis*, atque *exclusi medii* ordine logico praecedit. Minor ex eo probatur, quod si quis causam inquirat, propter quam principia identitatis, ac exclusi medii negari nequeunt, non aliam inveniet, quam quod simul esse, et non esse impossibile est. Re vera, si quis id, quod est, esse neget, idem posse simul esse, et non esse sumit, et, si quis aliquid medii inter *ens*, et *non ens* esse dicat, illud medium esse *ens, et non ens* re ipsa dicit. At, si nec principium identitatis, nec principium exclusi medii inter contradictoria est principium primum scientiae, principium *tertii intervenientis*, quod Heghelius excogitavit, non modo non est primum principium scientiae, sed etiam valde absurdum. Nimirum ex Heghelii sententia, quam saepe exposuimus, omnia quotquot sunt, et cogitantur, per evolutionem *Entis-Ideae* producuntur, et cognoscuntur. Iamvero id, quod evolvitur, nec ens, nec non ens, sed aliquid medium inter utrumque est; siquidem, dum evolvitur, nec est illud, quod erat, nec illud, quod futurum erit, sed aliquid utriusque particeps. Ergo praeter ens, et non ens est aliquid admittendum, quod veluti tertium inter utrumque intervenit. Itaque unicum principium tum generationis, tum scientiae rerum non est illud, quo idem non posse simul esse, et non esse statuitur, sed principium *tertii intervenientis*, quia per τὸ evolvi, seu *devenire*, quod veluti tertium inter ens, et non ens intervenit, omnia sunt, atque cognoscuntur. Hanc suam theoriam de principio *tertii intervenientis* Heghelius ex Heracliti, et Anaxagorae placitis circa naturam, et ortum rerum mutuatus est (vid. *Lect. hist. phil.*, vol. I, p. 301, *Opp.*, germ., ed.

62. Quod cum dicimus, cave, ne intelligas principium contradictionis Scholasticis primum principium existimatum fuisse, quia per ipsum cetera principia probantur, ideoque est unicum totius humanae scientiae principium. Auctor *artis cogitandi* [1], et post eum Genuensis [2] hoc modo a Scholasticis principium contradictionis acceptum fuisse putant, eamque ob causam ipsum esse primum omnium principiorum inficiati sunt. At hae vehementer errarunt. Etenim principium contradictionis, Scholasticorum, nostrique sententia, est omnium primum, non quod ipsum est universae scientiae principium, sed quod est fundamentum, seu radix reliquorum principiorum [3]. Certe non est principium unicum universae scientiae, quia principia scientiarum, ut secundum Scholasticos vidimus, sunt axiomata propria, scilicet illa, quae ad speciales materias spectant [4]; et principium contradictionis neque est medium, per quod principia communia demon-

---

cit., t. XIII, et I. H. Fichte, *Dissert.* cit., p. 23, et 24). Quoniam illa alibi a nobis excutienda erunt, illud solum, quod ad praesentem rem facit, observamus, scilicet haud posse fieri, ut aliquid medium inter ens, et non ens sit, aut cogitetur. Et sane, si quid medii inter ens, et non ens esse, aut cogitari posset, id esse oporteret aliquid quod nec omnino ens, nec omnino non ens foret. Atqui haud possibile est esse, aut cogitare aliquid, quod nec omnino ens, nec omnino non ens est, quia non ens omnino tollit ens, et conceptus non entis conceptum entis omnino destruit. Ergo haud possibile est esse, aut cogitare aliquid, quod sit medium inter ens, et non ens. Iam, cum huiusmodi medium sit tertium intervenieus Hegbelii, principium tertii intervenientis, quod ipse effinxit, esse omnino absurdum concludendum est (Cf vol. I, *Log.* par. I, c. II, art. 5, p. 91, not. 1). Id ex ipsa Hegbelii argumentatione colligitur; namque ab ipsa consequitur in illo, quod evolvitur, medium esse inter modum, quo erat, et modum, quo futurum erit, non vero medium esse inter ens, et non ens. «Omne quod movetur, apposite inquit s. Thomas, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit» (I, q. IX, a. 1 c.). Sed, ut haec magis perspicua fiant, advertendum est cum eodem sancto Doctore *fieri*, sive, ut Hegbelius ait, *devenire* duplici significatione accipi posse, nempe vel *sine motu*, vel *cum motu*. Iam « in his, quae fiunt sine motu, similiter est fieri, et factum esse. . . . Et in his, quod fit, est, cum dicitur fieri » (I, q. XLV, a. 2 ad 3). In iis, quae fiunt cum motu, « quod fit, non est: quia, quamdiu durat motus, aliquid fit, et non est. In ipso autem termino motus, in quo incipit quies, iam non fit aliquid, sed factum est » (*Contr. Gent.*, lib. II, c. 17, n. 4; cf *Quodlib.* VII, a. 9 ad 4). Itaque, quoniam illud, quod fit, aut iam est, aut nondum est, nullum medium inter *esse*, et *non esse*, cum de *fieri* agitur, esse, aut cogitari potest. Omittimus repugnantes sententias, ineptiasque multas, quas in suo principio exponendo, et tuendo Hegbelius commisit; has enim videre licet in Commentario Herbartii, *De principio logico exclusi tertii inter contradictoria non negligendo*, Gottingae 1833.

[1]) Part. IV, c. 7.

[2]) *Elem. Met.*, Part. I, Prop. 1, et 2, Schol., p. 67, et 68, Neapoli 1756.

[3]) Hinc vides Aristotelem secum non pugnare, quod asseruit (*Met.*, lib. IV, c. 3), et negavit (*Anal. Post.*, lib. I, c. 8) effatum contradictionis esse principium supremum. Cf Snarez, *Dispp. Met.*, Disp. III, sect. 3, c. 8, et 9.

[4]) Cf *Log.*, par. II, c. III, art. 1, p. 155 vol I.

strantur, quia haec, cum ex se perspicua sint, non expostulant, ut per aliud probentur [1], neque est causa, ex qua principia propria promanant, sive eliciuntur [2]. Est autem fundamentum reliquorum principiorum. Namque, uti etiam diximus, principia propria a communibus, atque haec a principio contradictionis vim suam accipiunt [3], tum quia reliqua principia, etsi ab intellectu immediate cognoscantur, tamen non possunt ab eo omnino intelligi, nisi ad principium contradictionis referantur [4]; tum quia reliqua principia possunt *indirecte* demonstrari per principium contradictionis contra illos, a quibus impugnantur; cum quisquis aliquid illorum impugnat, ad idem simul esse, et non esse asserendum tandem cogi possit [5].

63. Soluta prima quaestione, ad alteram transeamus. Leibnitius, cum adverteret duo esse genera veritatum, unum contingentium, alterum necessarium, statuit *principium contradictionis* esse primum principium veritatum necessariarum, et *principium rationis sufficientis*, quod significavit his verbis: *Nihil est sine ratione sufficiente*, esse primum principium veritatum contingentium. Ratio sufficiens a Leibnitianis, qui istiusmodi principium longe, lateque propagarunt, definiri solet: *id, ex quo intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit*; atque enucleatius: *id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit, aut non sit, et sit potius uno modo, quam alio.*

64. Reliqui philosophi principium rationis sufficientis, quod Leibnitius a veteribus sumpsit [6], admittunt; sed quid rationis sufficientis nomine intelligendum sit, inter eos non convenit. Sunt, qui existimant rationem sufficientem a causa re ipsa non distingui, proindeque nec principium rationis sufficientis a principio causalitatis, atque adiiciunt id ex nonnullis exemplis patefieri, quae Wolfius adduxit [7]. Sed alii,

---

[1]) Cf *Logic.* II. citt.

[2]) Vid *Log.*, par. III, c. IV, art. 2, p. 206 vol. I. — [3]) *Ibid.*

[4]) « Nec aliquis, s. Thomas ait, potest secundum hanc operationem intellectus *(iudicium)* aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto. Sicut enim totum, et partes non intelliguntur, nisi intellecto ente; ita nec hoc principium, *Omne totum maius est sua parte, nisi intellecto praedicto principio firmissimo* »; *In lib. IV Met.*, lect. VI.

[5]) Cf Suarez, *Op. cit.*, loc. cit., c. 10. Hinc Bonghius *(Metafisica d'Aristot.*, trad. etc., lib. IV, c. 3, p. 165, not. 1, Torino 1854) scripsit axioma contradictionis esse « formulam generalem reductionis ad absurdum ». Cf vol. I, *Criteriol.*, c. 1, art. 3, p. 572, not. 2.

[6]) Hoc principio, quod Leibnitius in recenti aetate plus aequo extulit, Parmenidem, Democritum, in primisque Archimedem iam usos fuisse inter omnes constat (vid. Corsini, *Inst. phil., Met.*, Part. I, c. 8, § 9, p. 67, Venetiis 1764). Id ipsemet Wolfius ingenue fassus est (*Ontol.*, § 71, ed. cit.); unde miramur Corsinium (*ibid.*), Genuensem (*Elem. Met.*, Part. I, *Def.* 49, Schol., p. 38, 39), aliosque Wolfio succensuisse, quod illius principii auctorem Leibnitium venditasset.

[7]) Vid. *Op. cit.*, ibid. § 70. Cf de hac re Tamagna, *Inst. phil., Met.* Part. I, sect. I, art. 5, ed. 2, Romae 1780, et Dmwoski, *Inst. phil., Met. gen.*, art. 1, p. sq q, ed. 4, Romae 1843.

iique plures rectius, et, ni fallimur, mentis Leibnitii, et Wolfii cohaerentius, contendunt rationem sufficientem a causa distingui, quia ipsa non est id, quod efficit, ut aliquid sit, et sit hoc potius, quam alio modo, sed id, ex quo agens hoc, et non alio modo ad aliquid efficiendum determinatur; unde a Leibnitio *ratio determinans* etiam nuncupata fuit [1]. Quin immo Baldinottius advertit rationem sufficientem non solum confundendam non esse cum causa, sed ne cum fine quidem, quia ipsa non est id, cuius consecutionem agens actione sua spectat, sed id, ex quo ad assequendum finem determinatur [2]. Quod si quis nosse cupiat, cur Leibnitius vocibus *rationis sufficientis* usus fuerit, advertat cum Bilfingero [3] *rationem* recte dici *id ex quo intelligi potest, quare alterum sit*, ipsamque recte quoque dici *sufficientem, quousque nil est in re, quod non ex ea ratione intelligi possit, quare sit.* Cum hoc ita sit, liquet effatum, quod principium *rationis sufficientis* vocatur, non aliud significare, nisi quod nihil in rerum natura existit sine aliquo motivo, quod illius existentiam determinat, atque ex quo intelligi potest, cur sit potius, quam non sit.

65. Quoniam novimus, quid principium rationis sufficientis significet, licet nobis quaestiones exsolvere, quae de illius veritate, usuque agitantur.

Atque in primis non inficiamur, immo secundum omnes optimae notae philosophos contendimus nihil sine aliqua ratione sufficiente existere. Re vera, ut aliqua res potius existat, quam non existat, atque existat potius hoc, quam illo modo, non solum requiritur aliquid, quod sit causa, cur existat, atque aliquid, quod sit finis, ob quem existit, sed etiam aliquid, per quod ad potius existendum, quam non existendum, atque ad existendum potius hoc, quam illo modo determinetur. Atqui illud, a quo res ad certo quodam modo existendum determinatur, est ratio existentiae sufficiens eius. Ergo nihil sine aliqua ratione sufficienti existit. Quo veritas huius effati penitus perspi-

---

[1]) *Thèod.*, Part. I, § 44, p. 515, ed. Erd.

[2]) Baldinotti *Tentamina metaphysica*, lib. I, c. 12, § 879, Patavii 1817. Iuvat ad id declarandum afferre exemplum a Wolfio adhibitum (*Op. cit.*, § 56), quod huiusmodi est: Si quis, cui me reverentiam debere cognosco, in conclave intret, ac ego, abiecto calamo, illico surgam, ratio sufficiens, ob quam calamum abiicio, et surgo, certe non est causa, quae efficit, ut calamum abiiciam, et surgam, scilicet actus facultatis locomotivae, nec finis, cuius gratia calamum abiicio, et surgo, nempe signum reverentiae meae erga introeuntem in conclave, sed est, quod ille in conclave intret, quodque illi me reverentiam debere cognosco, et, si calamum non abiiciam, et non surgam, me illi reverentiam non exhibere iudico. Haec enim omnia me movent, sive, ut aiunt, *determinant ad agendum*, nempe ad calamum abiiciendum, ac assurgendum, ut *finem* consequar, quem mihi proposui, scilicet reverentiam introeunti in conclave exhibere.

[3]) *Dilucidationes philosophicae de Deo, anima humana, mundo, et generalibus rerum affectionibus*, sect. I, c. 3, § 70, p. 56, Tubingae 1768.

ciatur, e re est illam magis, magisque declarare hoc alterò argumento: Primo certum est Deum hunc mundum non sine aliqua ratione condidisse. Nam, cum creatio mundi non sit necessarium, sed liberum opus Dei, aliquid esse debuit, per quod Deus se ad mundum creandum determinavit. Atqui id, per quod Deus se ad mundum creandum determinavit, est ratio sufficiens, ob quam mundus existit. Ergo mundus non sine ratione sufficiente existit [1]. Secundo, certum quoque est omnes res, ex quibus mundus conflatur, inter sese connexas esse, alioquin unitas mundi ab illis effici haud potuisset. Iamvero haec connexio rerum mundanarum commonstrat Deum singulis naturis rerum certos existendi modos non sine peculiaribus rationibus dedisse, quia ad illam connexionem efficiendam requiritur, ut unaquaeque natura eum modum existendi habeat, qui loco, quem occupat, muniisque, quibus fungi debet in mundo, respondeat [2]. Atqui id, quo res ad certo modo existendum determinatur, est ratio sufficiens, cur existat. Ergo, praeter rationem sufficientem existentiae mundi, rationes sufficientes existentiae singularum rerum, ex quibus mundus constat, esse debent. Quocirca nihil sine aliqua ratione sufficiente existere pro certe habendum est.

66. Praeterea contendimus non solas res contingentes, uti Leibnitio, Wolfio, innumerisque recentibus placuit, sed necessarias quoque habere rationes sufficientes suae existentiae. Ad cuius rei intelligentiam praemonendum est, si mundus ad Deum referatur, nullas res in eo inveniri, quae absolutam necessitatem habent, quia Deus mundum ex sua libera voluntate creavit; verum, si res, ex quibus mundus constat, in se spectentur, in multis absolutam necessitatem inveniri, quippe quod multae ita a Deo productae sunt, ut aliter esse nequeant; puta, ut suo loco dicemus, essentiae, et quae ab essentia necessario promanant, proprietates. Quod cum ita sit, error Leibnitii, eiusque asseclarum manifestus est. Etenim nihil eorum, quae existunt, est, ut ostendimus, sine aliqua ratione sufficiente; atqui in mundo sunt non solum res contingentes, sed etiam necessariae; ergo non solum rerum contingentium, sed etiam necessariarum rationes sufficientes sunt.

67. Ex duabus propositionibus, quas modo statuimus, facile intelligitur cunctas veritates cum contingentes, tum necessarias in effatum rationis sufficientis posse resolvi. Et sane, si cuiusque rei sive contingentis, sive necessariae aliquid esse debet, a quo ipsa ad certo modo existendum determinatur, consequens est in analysi, sive, ut Scholae aiunt, in *resolutione* cuiusque veritatis cum contingentis, tum necessariae tandem ad aliquid posse perveniri, ex quo, cur potius uno,

---

[1]) De hac re in *Theologia naturali*.

[2]) Cf s. Thom., loc. cit., et *In lib. De Causis*, lect. XII. Apposite Tertullianus: « Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione tractari intelligique voluit » ; *De Poenit.*, c. I, *Opp.* t. I, col. 1227, ed. Migne.

quam alio modo existat, intelligatur. Atqui id est, quod ratio sufficiens dicitur. Ergo omnes veritates tam contingentes, quam necessariae in effatum rationis sufficientis resolvi possunt. Resolvi possunt, inquimus, non vero debent, quia, quamvis certum sit nihil esse sine aliqua ratione sufficiente, tamen non semper rationes rerum sufficientes detegere nobis licet.

68. Quandoquidem veritates tam contingentes, quam necessariae in effatum rationis sufficientis resolvuntur, investigandum nobis est, num hoc effatum primum principium illarum dici possit. Leibnitius, ut diximus, sensit effatum rationis sufficientis esse primum principium omnium veritatum contingentium eodem iure, quo effatum contradictionis est primum principium omnium veritatum necessariarum. Sed ipsum, uti ex dictis facile intelligitur, si principii primi naturam habet, non modo veritatum contingentium, sed etiam necessariarum principium sit oportet. At vero effatum rationis sufficientis neque contingentium, neque necessariarum veritatum primum principium esse potest. Et sane, si quodlibet principium, eo magis primum omnium principiorum eiusmodi esse debet, ut nulla demonstratione egeat. Atqui veritas effati rationis sufficientis sine demonstratione cognosci non potest. Ergo effatum rationis sufficientis primum principium veritatum sive contingentium, sive necessariarum esse nequit. Assumptio huius argumenti, praeterquam quod ex iis, quae ad ipsum evincendum iam diximus, patescit, exemplo ipsorum Wolfianorum comprobatur. Revera Leibnitius quidem effatum rationis sufficientis sine ulla demonstratione sumpsit; at Wolfius, eiusque sectatores illud variis argumentis demonstrare studuerunt. Storchenavius vero cum aliis, quamvis contenderet effatum rationis sufficientis esse per se perspicuum; nihilominus nonnullis, qui ab eius perspicuitate se perstringi negabant, satisfacturus demonstrationem illius exhibuit [1]. Sed nae vehementius erravit. Nam veritates per se perspicuae non solum demonstratione non egent, sed etiam veram, hoc est, proprie sumtam demonstrationem non admittunt. Reliquas veritates per se perspicuas saltem *indirecte*, uti ostensum est, demonstrare nobis licet, quia qui ipsas inficiantur, ad contradictionem amplectendam perduci possunt; at veritas per se perspicua, quae est primum principium, demonstrationem *indirectam* quoque respuit, quippe quod principium omnium primum, cum nullo principio superiori contineatur, ad nullum aliud principium reduci quit.

69. Sed, etsi effatum rationis sufficientis esse per se perspicuum Leibnitio daretur; tamen ipsum non solum non necessariarum, sed ne contingentium quidem veritatum primum principium dici posset. Enimvero illud principium omnium primum dici nequit, quod in aliud se superius resolvitur. Atqui effatum rationis sufficientis, nonnullis Wol-

[1]) Storchenau, *Op. cit.*, ibid., sect. I, c. 2, § 20, p. 27, ed. cit.

fianis quoque concedentibus, in principium contradictionis resolvitur. Ergo effatum rationis sufficientis, etiamsi principium, seu veritas ex se perspicua esse dicatur, primum principium dici nequit. Minor probatur hoc modo: Si nihil in re est, quo ipsa ad certum modum existendi determinatur, nihil in ea quoque esse debet, quod prohibet, quin ad illum modum existendi non determinetur. Atqui, si nihil in re est, quo ipsa ad certum modum existendi potius determinatur, quam non determinatur, consequens est posse eamdem rem certo quodam modo simul esse et non esse; id quod contradictionem involvit. Ergo effatum rationis sufficientis in principium contradictionis resolvitur.

70. Quae cum ita sint, statuere nobis licet effatum rationis sufficientis esse omnino verum, illudque non modo pro contingentibus, sed etiam pro necessariis veritatibus valere, sed non esse veluti principium primum ipsarum habendum, cum sit pronuntiatum demonstrationis indigum, quod in principium contradictionis resolvitur.

71. Restat, ut tertiae quaestioni satisfaciamus, nempe utrum principium contradictionis sit subiectivum, an obiectivum. Leibnitius, cui Wolfius, eiusque sectatores adstipulati sunt, principium contradictionis veluti prorsus subiectivum habuit, quia ipsum tantum pro veritatibus abstractis, non vero pro veritatibus *facti* valere dixit[1]. Kantius[2], et nuper Herbartius[3] voluere locum illi principio non alibi, quam in logicis dandum esse, cum sit mera lex cogitandi, qua sancitur contraria non posse, nisi admissa contradictione, cogitari. Contra ea, Heghelius contendit illud esse prorsus obiectivum; quia contradictio, quippe quae essentiam rerum constituit, in ipsa natura invenitur[4]. Nobis opinio Aristotelis, et Scholasticorum, quae media est inter utramque, probatur. Nam primo certum nobis est, principium contradictionis non esse obiectivum, sed subiectivum, quia intellectus ipsum non e rebus, quae in natura sunt, sed, uti ostendimus, ex notionibus abstractis entis, et non entis sibi efformat. Opinio Heghelii omnino reiicienda est, cum quod in perabsurda identificatione entis, et non entis fundatur, quam ante confutavimus, tum quod naturis rerum contradicit, quia, cum naturae rerum, observante Aristotele[5], sibi undequaque consentaneae sint, ipsae contradictionem non solum non continent, sed omnino respuunt. At, quamvis principium contradictionis procul dubio sit subiectivum; tamen cavendum est tum ab errore Leibnitii, qui illius vim ad solas veritates abstractas coarctavit, tum ab errore Kantii, et Herbartii, qui illud esse meram legem cogitandi voluere. Et sane, quandoquidem quamlibet naturam sibi omnino congruere intelligi-

---

[1]) LL. cit. — [2]) *Critique de la raison pure*, etc., Introd., ed. cit.
[3]) *Comment. cit.*
[4]) Vid. p. 35, not. 1.
[5]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 32, § 1.

mus, principium contradictionis in ipsa natura rerum fundari inde perspicimus, quia si naturae sibi undequaque consentiunt, nae ipsae ex principiis, quorum unum altero tollitur, componi non possunt. Id Aristoteles haud latenter innuit, quippe qui principium contradictionis modo prout ad naturam [1], modo prout ad intellectum [2] refertur, significavit.

ARTICVLVS QVINTVS

De entium essentia, et existentia

72. Hactenus de ente disseruimus prout intellectus illud in rebus absolute considerat [3], comperimusque quidquid in natura rerum nobis occurrit, velut quoddam *esse* a nobis intelligi. Verum, quandoquidem intellectus in rebus creatis et *esse essentiae*, et *esse existentiae* intelligit, necesse est, ut, postquam ens absolute spectavimus, duas eius rationes *essentiae*, et *existentiae* exponamus. Quod breviter hoc articulo praestabimus.

73. *Esse essentiae,* vel simpliciter *essentia* definitur *id, quo aliquid in certa rerum specie collocatur* [4]. Quoniam vero res ex eo, quod ad certam speciem pertinet, efficitur id, quod est [5], atque a ceteris rebus discriminatur, essentia definiri etiam solet *id, per quod res est id, quod est, ac a ceteris rebus discriminatur* [6].

74. Sciendum porro est essentiam dici quoque 1° *rationem rei*, quia

---

1) « Idem enim simul inesse, et non inesse eidem, et secundum idem, impossibile est »; *Met.* lib. III, c. 3, § 8.

2) « Impossibile namque est quempiam idem putare esse, et non esse »; *ibid.* Cf de hac doctrina Aristotelis Trendelenburg, *Disq. log.*, vol. I, p. 18 sqq, Berolini 1840, et I. H. Fichte, *Comment.* cit., p. 5-7.

3) « Unumquodque, inquit s. Thomas, dicitur ens, in quantum absolute consideratur »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXI, a. 5 c.

4) Apposite idem sanctus Doctor: « . . . oportet, quod essentia significat aliquid commune omnibus naturis, per quas diversa entia in diversis generibus collocantur, sicut humanitas est essentia hominis, et sic de aliis »; *De ente, et essentia*, c. 1.

5) Quoniam res per essentiam est id, quod est, efficitur, ut ipsa, aiente eodem s. Thoma, « per essentiam et in essentia proprie habeat *esse* » (*ibid.*). Hinc etiam vides nomen *essentia* ab *esse* derivari. « Ab eo, quod est esse, inquit s. Augustinus, dicta est essentia »; *De Trin.*, lib. V, c. 2, n. 3. Cf Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XXI, q. 3, n. 7.

6) Ex hoc facile perspicere licet illud discrimen, quod inter ens, et essentiam Caietanus adnotavit his verbis: « Sicut ens significat aliquod commune omnibus existentibus, ita essentia, cum ab illo sumatur, significat aliquod commune omnibus generibus et speciebus; et sicut ens significat id, quod est in quolibet genere, et qualibet specie, ita essentia oportet quod significet, id, quo aliquid est in unoquoque genere, et quavis specie; habent enim se ens, et essentia, ut quod, et quo »; *De Ente, et essent.*, c. 1.

ipsa est ratio, ob quam res est id, quod est; 2° *quidditatem*, quia est id, quo respondetur ad quaestionem, *quid res sit?* [1]; 3° *formam*, quia forma, ut suo loco videbimus, est id, quo res in specie constituitur, et a materia distinguitur, per quam forma in aliquo individuo determinatur; 4° *naturam* [2], quia ipsa est principium, ex quo proprietates, et operationes rei *nascuntur*, seu promanant [3]; 5° denique *definitionem rei*, quia definitio, uti in *Logica* diximus [4], denotat, quid res sit [5].

75. *Existentia* autem variis modis exponi solet, qui ad idem recidunt. Ipsa enim dicitur *actus, quo res sive essentia est*, vel *id, quo res actu est*, seu *quo res, seu essentia extra nihilum* sistitur, vel brevius *actualitas essentiae* [6]. Ex quo vides existentiam esse id, quo respondetur quaestioni *an sit*.

76. Si hae notiones essentiae, et existentiae secum conferantur, facile perspicitur essentiam ad existentiam se habere, veluti potentiam ad actum [7]. Nam existentia, ut modo diximus, est actus, seu actualitas essentiae; atqui actus respondet potentiae, quia actus est id, quod potentiam perficit; ergo essentia se ad existentiam, velut potentia ad actum, habet.

77. Cum vero *esse existentiae* sit quidam actus, qui ab *esse essentiae* recipitur, consequitur *essentiam* spectari posse tamquam aliquod subiectum, et *existentiam* tamquam aliquid, quod *essentiae* inest. Hinc *esse existentiae quasi accidens*, seu per *quamdam similitudinem* accidens dici posse s. Thomas monuit [8]. *Quasi accidens*, et non simpliciter accidens consulto inquimus. Namque *esse existentiae* non est accidens eo modo, quo est accidens id, quod substantiae opponitur, sed

---

1) *De Ente, et essent.*, loc. cit.

2) I, q. XXXIX, a. 1 ad 4. « Natura, inquit s. Augustinus, nihil est aliud, quam id, quod intelligitur in suo genere aliquid esse »; *De mor. Man.*, lib. II, c. 2, n. 2. Cf sanct. Damasc. *Dialect.*, c. XL.

3) « Uniuscuiusque, inquit s. Bonaventura, forma substantialis, et completiva... potest considerari in se, et sic dicitur essentia. Potest considerari in comparatione ad operationem propriam, et sic dicitur natura »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, p. 2, dub. 4.

4) Pars I, c. 1, art. 5, p. 62. Cf s. Thom., *De Ente et essent.*, loc. cit.

5) Cf s. Thom., I, q. XXIX, a. 2 ad 3.

6) « Esse existentiae, inquit Henricus Gandavensis, est esse in effectu acquisitum essentiae »; *Op. cit.*, art. XXVII, q. I, n. 33.

7) Cf s. Thom., I, q. III, a. 4 c.; *ibid.* q. LIV, a. 3 c.; *Quod lib.* IX, a. 3 c.; *De Ente, et ess.*, c. 7; necnon Henr. Gand., *Op. cit.*, a. XXVII, q. I, n. 7.

8) « Accidens dicitur large omne, quod non est pars essentiae, et sic est esse in rebus creatis » (*Quodlib.* XII, a. 5 c.). Atque alibi: « Dicendum, quod esse est accidens non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae » (*Quodlib.* II, a. 3 ad 2). Addatur, maioris perspicuitatis gratia, hic aljus locus: « Dicendum, quod esse non dicitur accidens, quod sit in genere accidentis. . . , sed per quamdam similitudinem, quia non est pars essentiae, sicut nec accidens »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 4 ad 3.

ex eo, quod pars essentiae non est, essentiaeque, tamquam actus potentiae, *accidit*.

78. At vero intellectus in rebus creatis non solum deprehendit *esse essentiae*, quo res in certa specie constituitur, et *esse existentiae*, quo res actu est, sed etiam aliud esse, quod essentiae adiicitur, eamque variis modis determinat. Huiusmodi *esse* proprium est attributorum, seu *proprietatum*, quae, ut in *Logica* diximus, vel necessario, vel contingenter ab essentia iam constituta promanant, et dicitur *esse accidentale* non solum quia pars essentiae non est: sed etiam quia substantiae opponitur [1].

79. Ex iis, quae hactenus perspeximus, pronum est nonnullos Philosophorum errores refutare. Primo, Gioberti*us naturam* velut aliquid medium inter *essentiam* et *attributa* perperam obtrudit [2]. Etenim quidquid intellectus in re intelligit, non aliter intelligere potest, quam vel tamquam aliquid, quod ipsam efficit id, quod est, vel tamquam aliquid, quod rei iam constitutae adiicitur. Atqui id, quo res efficitur id, quod est, vocatur *essentia*, atque id, quod essentiae adiicitur, est attributum, quod vel necessario, vel fortuito essentiae obvenit [3]. Ergo nihil aliud in re, praeter essentiam, et attributa sive necessaria, sive fortuita, inveniri potest. Hinc pro certo habendum est naturam non significare aliud, nisi essentiam, sed hanc significare non prout est *esse*, quod rem constituit, se prout est *esse*, quod est proprietatum, atque operationum principium [4].

80. Secundo, prorsus abnormis est opinio Lockii [5], Condillachi [6], aliorumque Sensistarum, qui in rebus solas proprietates, seu qualitates inveniri, ac essentias non esse aliud, nisi opus abstractum mentis nostrae, blaterarunt. Et sane, notio proprietatis aliquid denotat, quod rem non constituit, sed ipsi iam constitutae advenit. Atqui nihil potest alteri advenire, nisi ex aliquo huius principio manet; hoc autem principium illud est, quod essentia dicitur. Ergo in qualibet re non solum proprietates, sed etiam essentia, quae illarum principium est, inveniri debet. Ad haec, quisnam non intelligit qualitatem sine re, quae qualitate afficitur, et proprietatem sine re, cui id, quod proprietas denotat, proprium est, notiones esse, quae secum invicem pugnant? Certe, cum qualitates, seu proprietates *esse accidentale* habeant, eae non *esse* sed *inesse* proprie dicuntur. « Esse, inquit s. Bonaventura, dicit actum entis absolute, sed inesse actum esse accidentis [7] ».

---

1) Cf *Logic.* p. I, c. I, a. 2, p. 49, not. 1, vol. I.

2) *Protolog.*, Saggio II, t. I, p. 364, ed. cit.

3) Cf s. Thom., I, q. III, a. 4 c.

4) Cf nostrum opus, *I principali sistemi della Filosofia sul Criterio*, c. 3, § 11, p. 554, 557, Napoli 1858.

5) *Op. cit.*, lib. III, c. 3, ed. cit.

6) *Traité des sensat.*, part. II, c. 7, ed. cit.

7) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, p. I, a. 1, q. I *ad arg.* Unde accidens, quemadmo-

Iam inesse, et esse non in aliquo subiecto secum pugnant [1]. Repugnet igitur necesse est dari complexionem qualitatum, seu proprietatum sine aliqua re, cui, tamquam subiecto, illae proprietates, seu qualitates inhaerent.

81. Tertio. Idem Lockius primo, cum arbitraretur essentias nil aliud esse, nisi ipsas ideas abstractas, illas *nominales* appellavit, atque ab essentiis *realibus* distinxit. *Reales* essentiae, eius iudicio, sunt, quae physice res constituunt; *nominales* vero, quae a rerum constitutione haud pendent, sed opus sunt nostrae mentis, quae res varias ad nonnullas revocat species, et generalia quaedam nomina ad illarum discrimen designandum confingit. Secundo, nominales quidem essentias, numquam vero reales a nobis cognosci decernit [2]. Eamdem sententiam tuitus est Gioberti us: hic enim, quas Lockius dixit essentias *nominales*, *rationales* vocavit, atque essentias reales non solum impervias nostro intellectui, sed in se *inintelligibiles*, sive *inexcogitabiles* esse pertendit [3]. At huius sententiae absurditatem tum experientia, tum quae eius fautores docent, tum denique consectaria, ad quae ducit, manifesto evincunt. Et sane, 1° dubitari nequit, quin multis in rebus quasdam differentias concipiamus, quae illas in determinato entium gradu a ceteris distincto constituunt, suntque veluti fontes, unde earum attributa pullulant. Re vera quisquis admittit bruta differre a plantis, et plantas a lapidibus, eo quod bruta sentiunt, non vero plantae, et plantae vegetant, non autem lapides. At quidem huiusmodi differentiae sunt reales, ipsamque rerum constitutionem, hoc est, essentiam ingrediuntur; nam sive cogitentur, sive non cogitentur, sive his, sive aliis nominibus illae appellentur, sive ad has, sive ad alias species revocentur, semper verum est bruta sentire, ob idque a plantis differre. Ratum igitur, firmumque sit essentias rerum a nobis cognosci. Quod si non raro essentias rerum ex se ipsis non cognoscimus, possumus quidem illas detegere ex proprietatibus, vel accidentibus ipsarum rerum, quae magis nota nobis sunt, ita ut illas, si non *a priori*, certe *a posteriori* cognoscamus [4]. Neque, cum rerum essentias

---

dum cum s. Thoma diximus (p. 16, not. 1), non est *ens*, sed *entis*. Cf I, q. XLV, a. 4 c., et alibi passim.

1) « Monstruosum, aiebat s. Augustinus, et a veritate alienissimum est, ut id, quod non esset, nisi in ipso (*subiecto*) esset, etiam cum ipsum non fuerit, possit esse »; *Soliloq.*, lib. II, c. 13, n. 23.

2) *Essai sur l'entend. hum.*, lib. III, c. 3, § 15-17, III, p. 83 sqq, ed. cit. Hac ratione, ut suo loco dicemus, innixus est anglus Philosophus, ut demonstrari non posse assereret materiam esse cogitationis incapacem.

3) *Introd.*, lib. I, c. 8, not. 2, p. 150, 151.

4) « Dicendum, ait s. Thomas, quod quia essentiales rerum differentiae sunt ignotae frequenter, et innominatae, oportet interdum uti accidentalibus differentiis ad substantiales differentias designandas, sicut docet Philosophus *in VIII Met.* »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 2 ad 5. Cf I, q. LXXVII, a. 1 ad 7; *De Ente et ess.*, c. VI; *In lib. I de Anim.*, lect. I.

hac ratione apprehendimus, deceptioni locus esse potest; siquidem, cum proprietates, et accidentia nonnisi ab essentia, tamquam a radice, fluant, istam ab illis optimo iure nobis arguere licet [1]. Essentias rerum, ipsis Lockio, et Giobertio fatentibus, per genera, et species significamus. Atqui genera, et species, quemadmodum alibi ostendimus [2], illam essentiam denotant, quae conditionibus singularibus determinata in rebus invenitur. Ergo ex eo ipso, quod essentias *nominales*, sive *rationales* apprehendimus, earum realitatem vere dignoscimus. Hocce argumentum maiorem contra Giobertium vim ex eo acquirit, quod ipse genera, et species tamquam realia comminiscitur [3]. Nam, si essentiae *rationales* genera, et species significant, ipsas essentias reales significent oportet; unde, quemadmodum illae, ita etiam istae innotescere nobis possunt. Illud autem, quod Giobertius addit, essentiam non solum, prout ad nostrum intellectum refertur, sed etiam, prout *absolute*, et *obiective* spectatur, esse *inexcogitabilem*, omnino falsum est. Nam primo intelligibilitas rerum non est aliqua ipsarum absoluta proprietas, sed denotat ipsarum *esse*, prout ad intellectum refertur [4]. Secundo, illud maxime absurdum inde flueret, nempe ne Deum quidem essentias rerum cognoscere posse, quia, cum essentiae rerum, ipsius Giobertii iudicio, sint immutabiles, consequitur, si ipsae *obiective in se inexcogitabiles* sint, nunquam posse fieri, ut intelligibiles evadant. Denique, si nullius rei essentia comperta nobis esset, nonne purus, putusque scepticismus obtineret? Sane, « res, aiente Aquinate, per suam essentiam cognoscibilis est, et in specie ordinatur, vel in genere [5] ». Hinc, si realis cuiuslibet rei essentia nos lateret, haud possibile foret nos scientiam rerum adquirere, quia omnis nostra cognitio non circa ea, ex quibus res constituuntur, sed circa ea, quae de rebus nobis apparent, sive, ut Sceptici aiebant, non circa *noumena*, sed circa *phaenomena* versaretur [6].

82. Ex omnibus, quae de notionibus essentiae, existentiae et pro-

---

[1]) Cf Dandini, *De corpore animato, in lib I De Anim.*, Comm. XVIII, col. 354, Parisiis 1610. Nemini autem negotium facessat, quod, cum essentiae rerum proprium, et naturale, proindeque primum obiectum intellectus sint, ex proprietatibus, et accidentibus argui dicuntur. Etenim cognitio confusa a distincta secernenda est. Cognitione confusa essentias rerum intellectus primo apprehendit; cognitionem autem ipsarum distinctam ex cognitione proprietatum, et accidentium, quae rebus insunt, ipse sibi comparat. Cf Dandini, *ibid.*, col. 353, et Suarez, *De Anim.*, lib. IV, c. 4, n. 7, p. 190, Lugduni 1653.

[2]) *Ideal.*, c. II, art. 2, p. 527 vol. I.

[3]) Cf *ibid.*, art. 1, p. 517, not. 6.

[4]) Vid. *Dynamil.* c. III, art. 1, vol. I p. 282.

[5]) *De Ente, et ess.*, c. 2.

[6]) Cf quae de hac re disseruimus in *Op.* cit. *I principali sistemi* etc., c. 3, § 11, p. 559 sqq.

prietatis hactenus statuimus, luculenter apparet, quomodo intellectus illas acquirat. Nam, postquam intellectus notionem entis, ope abstractionis, sibi confecit, et quidquid in rebus invenitur, esse ens novit, illico intelligit aliquod *esse* in rebus inveniri oportere, quo illae sunt id, quod sunt, scilicet *esse essentiae* [1]. Deinde, quoniam intelligit essentias non posse extra intellectum inveniri, prout abstractae in ipso sunt, intelligit quoque in rebus, praeter *esse essentiae*, inveniri *esse existentiae*, nempe *esse*, quo essentiae *actu* sunt, atque hoc modo notionem *existentiae* adipiscitur. Denique intelligit oportere, ut ab *esse* essentiae aliud *esse* promanet, quo ipsa principium operationum suarum est, aliudque *esse* ei extrinsecus obveniat, quo in singulis individuis determinatur. Inde notiones proprietatis, atque accidentis sibi conficit; siquidem proprietas est omne id, quod ab essentia necessario fluit, atque accidens id, quod essentiae extrinsecus obvenit, et quo ipsa in individuis determinatur. Quocirca intellectus, postquam notionem entis adeptus est, eamque, ope abstractionis, distinctam effecit, ex hac notiones essentiae, existentiae, proprietatis, atque accidentis sibi comparat, quatenus *esse*, quod in re apprehendit, aut veluti essentiam, aut veluti existentiam, aut veluti proprietatem, aut veluti accidens ipsius intelligit. Ast huiusmodi notiones, non secus ac de notione entis dictum est, principio sunt confusae, quia intellectus, nonnisi postquam super illas vim reflectendi intendit, illarumque analysim instituit, cognoscere potest, quid sit essentia, quid existentia, quid proprietas, quidque accidens.

83. Restat, ut quasdam quaestiones ad notionem essentiae magis, magisque declarandam valde utiles solvamus.

Prima quaestio in eo versatur, utrum essentiae rerum sint simplices, an compositae. Cartesiani censuere essentias rerum esse omnino simplices, easque in unica proprietate consistere, a qua ceterae ordine quodam scaturiunt. Haec autem proprietas, uti alias videbimus, quod ad spiritum attinet, cogitatio, et quod ad corpus, extensio, eorum sententia, est. Genuensis non negavit posse dari quasdam essentias simplices, sed quamplurimas esse compositas contendit [2]. Scholastici vero, Aristotelem secuti, pro re certa, exploratagque habuerunt omnes essentias esse ex quibusdam principiis compositas, sed principia, ex quibus quaelibet essentia constat, ita inter se cohaerere, ut, aliquo illorum sublato, essentia illico pereat. Haec quaestio, uti ex se patet, circa essentias rerum creatarum versatur, quia, cum Essentia, sive Esse Dei simplicissimum sit, nulla in Eo compositio inveniri potest.

---

1) Hinc non immerito s. Thomas docuit notiones entis, et essentiae esse primas omnium, quas intellectus acquirit. « Ens autem, ait, et essentia sunt, quae primum ab intellectu concipiuntur »; *De Ente et essent.*, Prooem.

2) *Met.*, pars I, c. 3, § 27, Schol,

84. Sententia Scholasticorum procul dubio veritati consentanea est. Et sane, quaelibet natura, sive essentia eiusmodi esse debet, ut habeat tum aliquid, per quod cum aliis consentit, tum aliquid, per quod a ceteris discriminatur; quia, si primum ei deesset, res, quae in mundo sunt, nullo nexu continerentur, sin alterum, omnes res unum, idemque forent. Id non alii philosophi inficiari possunt, quam qui essentias rerum nobis ignotas esse obganniunt. Revera omnes ii, qui a scepticismo abhorrentes non negant nos posse essentias rerum cognoscere, fateri debent ipsas posse definiri, quia definitio, uti alibi ostensum est, declarat, quid res sit. Atqui omnis definitio constat ex *genere*, quod aliquid rei definitae cum aliis commune, atque ex *differentia*, quae aliquid, ex quo res definita a ceteris rebus discriminatur, significat. Ergo omnes essentiae sunt compositae [1].

85. Verum, quamvis essentiae rerum sint compositae, tamen ipsae *in indivisibili*, ut Scholae aiunt, consistunt, quippe, si ab essentia vel minimum tollatur, eadem non remanet. Quod quidem facile intellectu est; nam, cum omne id, quo res est id, quod est, essentiam rei constituat, subtracto vel minimo eorum, quibus res est id, quod est, essentia rei pereat necesse est. Hinc Scholastici sapienter decreverunt essentias numerorum instar se habere, quia, si ex numero vel unitas tantum subtrahatur, non manet idem specie numerus [2].

86. Obiic. Illud, quod primum in re concipitur, et a quo multa ordine quodam procedunt, nonnisi simplex esse potest. Atqui essentia est primum, quod in qualibet re concipitur, atque ab ea proprietates rei quodam ordine procedunt. Ergo essentia rei nonnisi simplex esse potest.

87. Resp. *Neg. mai.* Prob. *mai.* Illud, quod primum in re concipitur, et a quo multa quodam ordine procedunt, non potest esse nisi unum. Atqui id, quod est unum, est simplex. Ergo etc.

88. Resp. *Dist. mai.*: unum eo sensu, quod excludat pluralitatem principiorum, *neg. mai.*, eo sensu, quod consistat *in indivisibili*, *conc. mai.*; *eodem modo dist. min*; *Neg. cons.* Procul dubio illud, quod intelligitur esse primum in re, et a quo multa promanant, debet esse unum, quippe quod, si multa a diversis procederent, ordo in illorum processu inveniri non posset. At necesse non est esse eiusmodi unum,

---

[1]) S. Thom. *In lib. VIII Met.*, lect. III.

[2]) Apposite s. Thomas: « Si aliquid addatur, vel subtrahatur alicui numero, etiamsi sit minimum, non erit idem numerus secundum speciem. Minimum enim in numeris est unitas, quae si addatur ternario, surgit quaternarius, quae est alia species numeri. Et hoc ideo, quia illa ultima differentia dat speciem numero. Et similiter est in definitionibus. . . quia, quocumque minimo addito, vel ablato, est alia definitio, et alia natura speciei. Sicut enim substantia animata sensibilis tantum est definitio animalis, cui si addas et rationale, constituis speciem hominis: si autem subtrahas sensibile, constituis speciem plantae »; *In lib. VIII Met.*, lect. III, cf I, q. L, a. 2 ad 1.

ut omnem pluralitatem excludat; quia plura, si ita inter sèse uniuntur, ut unum aliquod indivisibile efficiant, sunt unicum principium illorum, quae ab ipsis promanant. Quocirca, si ab unico principio multa quodam ordine promanare possunt, non repugnat ab essentia rei, quamvis haec ex pluribus componatur, multas proprietates quodam ordine procedere, quia plura, ex quibus essentia componitur, unum indivisibile, ut modo ostendimus, efficiunt [1].

89. Altera quaestio est, num *esse existentiae* ab *esse essentiae* re ipsa distinguatur. Haec quoque quaestio ad res creatas tantum spectat, in Deo enim, ob infinitam Eius simplicitatem, omnia unum, idemque esse nullus sanae frugis philosophus inficiatur. Iam fere omnes recentes philosophi post Durandum [2], aliosque mediae aetatis Nominales, existentiam ab essentia *cogitatione* tantum distingui praefracte contendunt. At s. Thomas, eiusque discipuli, quos Corsinius [3], aliique pauci recentes secuti sunt, existentiam ab essentia non cogitatione tantum, sed re, sive, ut Scholae aiunt, *realiter* distingui docuerunt [4]. Quod ad proprietates attinet, non pauci recentes, inter quos Auctor *Institutionum Lugdunensium* [5], ipsas esse unum, idemque cum essentia censent.

90. Iam primo inter essentiam, atque existentiam realis distinctio admittenda est. Namque, si existentia esset unum, idemque cum essentia, certe haec sine illa intelligi non posset; quia, cum essentia *in indivisibili* consistat, liquet ipsam non posse intelligi, nisi omnia, ex quibus constituitur, intelligantur. Atqui indubium est nos posse intelligere essentiam alicuis rei, quin ipsam esse in rerum natura, sive existere intelligamus. « Possum, ait s. Thomas, a quo hocce argumentum mutuati sumus, intelligere, quid est homo, vel phoenix, et tamen ignorare an esse habeat in rerum natura [6] ». Essentia igitur, atque existentia non sunt unum, idemque, sed aliud est essentia, aliud vero existentia. Adde, quod si existentia in rebus creatis esset unum, idemque cum essentia, res creatas per suam essentiam existere dicendum foret. Sed hoc absurdum est. Nam, cum res creatae non existant a se, sed a Deo ad existentiam perducantur, existentia non essentialiter, et necessario, sed tantum accidentaliter, et contingenter illis convenire potest. Quocirca existentia ab essentia in rebus creatis realiter distinguatur necesse est [7].

---

1) Cf s. Thom., *In lib. VIII Met.*, lect. III. — 2) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. II.

3) *Inst. phil.*, tom. V, *Metaph.* pars I, c. 3, p. 17, ed. cit.

4) Omittimus Scotistas, qui magistrum suum secuti, *formalem* distinctionem inter essentiam, ac existentiam intercedere pugnarunt; haec enim distinctio, quam veluti mediam inter *logicam* et *realem* Scotus agnovit, ut alibi dicemus, commenticia, atque absurda est.

5) *Op. cit.*, *Met. gener.*, c. 2, q. II, t. II, p. 13, Bassani 1791.

6) *De Ente, et ess.*, c. 5.

7) Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 52, n. 7.

91. Secundo, realis distinctio inter essentiam, et proprietates quoque admittenda est. Nam intellectus proprietates, sive quae intrinsecus, sive quae extrinsecus essentiae obveniunt, essentiae adiici intelligit, ita ut, si non tempore, saltem natura, ei praecedant. Iamvero, si essentia proprietatibus, saltem natura, praecedit, duo inde intelligere licet, quibus opiniones adversariorum omnino explodantur. Primum est, quod *esse* essentiae cum *esse* proprietatum non est unum, idemque, quia unum, idemque sibi ipsi, ne natura quidem dumtaxat, praecedere intelligi potest. Alterum est, quod *esse* essentiae ab *esse* proprietatum non constituitur, quia proprietates, cum essentiae iam constitutae obveniant, *esse* essentiae non efformant, sed in ipsa dumtaxat novum *esse* gignunt, quod *esse secundum* vocatur. Hinc proprietates ab essentia non cogitatione tantum, sed etiam re ipsa distingui dicendum est [1].

92. Obii. 1° Essentia non est aliquid, nisi propter existentiam, atque, hac exclusa, est merum nihil. Sed si ab existentia realiter distingueretur, per se, atque exclusa existentia, aliquid foret. Ergo essentia ab existentia re ipsa non distinguitur.

93. Resp. *Neg. mai.; conc. min. Neg. conseq.* Et sane, non negamus essentiam rei non esse aliquid, quod *actu* est, sive existit, nisi ex eo quod res *esse actuale existentiae* in se recipit; sed contendimus ipsam, cum *esse actuale existentiae* in se habet, realitate proprie gaudere, quippe quod, cum omne ens creatum ab *esse* essentiae, et ab *esse* existentiae, tamquam a duobus principiis, constituatur, utrumque *esse* aliquid reale in ipso sit oportet. Ut locus aequivocationi tollatur, sciendum est essentiam, et existentiam posse duobus modis spectari, scilicet vel prout ambae coniunguntur in re, quam constituunt, vel prout intellectus alterutram ab altera seiunctam, ope abstractionis, intelligit. Si posteriori modo spectentur, neutra illarum est realis, sed logica, quia ambae sunt conceptus, quos intellectus ex contemplatione rerum sibi conficit. Sed si priori modo considerentur, ambae sunt reales, quia reale est obiectum, quod ab ipsis efficitur. Iam, si essentia, et existentia sunt duo principia realia, ex quibus res efficiuntur, procul dubio distinctio realis inter ipsas admittenda est.

94. Obii. 2° Ea, quae ab se invicem seiungi nequeunt, re ipsa inter se non distinguuntur. Atqui existentia ab essentia seiungi nequit. Ergo existentia ab essentia re ipsa non distinguitur.

95. Resp., *Neg. mai.; trans. min. Neg. cons. Maiorem* negavimus, quia deceptum esse existimamus Henricum Morum, quod asseruit ea, quae realiter distinguuntur, eiusmodi esse oportere, ut separari possint [2]. Et sane non repugnat plura ita secum cohaerere, ut, dum distincta manent, unum ab altera seiungi nequeat. Quis enim, e. g., di-

---

1) Cf s. Thom., *De Ent. et ess.*, c. 7.

2) *Enchiridion*, Part. I, c. 4, Londini 1671.

ceret sensibilitatem in homine re ipsa non distingui a ratione, quia in eo una ab alia separari non potest, quin homo pereat? Diximus autem, *transeat minor*, quippe quod virtute Divina fieri potest, ut existentia ab essentia seiungatur. Enimvero in Iesu Christo humanitas ab existentia sua separatur, quia ipsa, uti Theologi, Patrum, et Conciliorum auctoritate freti, docent, non in se, sed in Verbo existentiam habet [1].

96. Tertia quaestio in eo versatur, utrum essentiae rerum sint immutabiles, an mutabiles. Cartesius sensit essentias rerum a voluntate Dei pendere, quia ex hac, e. g., efficitur, ut bis duo sint quatuor, et circulus sit rotundus; indeque confecit ipsas non posse aliter esse quam sunt, non quod intrinsecus ita sunt, sed quod Deus voluit, ut ita essent [2]. Non pauci, ut opinioni Cartesii aliquid temperamenti adhiberent, docuerunt essentias, si ad Deum, in quo illarum typi, sive ideae sunt, relatae considerentur, esse aeternas, necessarias atque immutabiles, sed, si in rebus ipsis considerentur, esse in tempore, contingentes, et mutabiles [3]. At non solum Scholasticis, sed cunctis etiam politioribus Philosophis tum antiquis, tum recentibus visum est essentias rerum, sive prout in Intellectu Divino, sive prout in seipsis sunt, considerentur, esse immutabiles, et necessarias, atque, si ad Deum referantur, quoque aeternas.

97. Opinio Cartesii portento similis est. Et sane, si Deus ex voluntatis arbitrio efficere potuisset, ut essentiae rerum, quas condidit, aliter se haberent, quam se habent, dicendum foret Deum posse res efficere, quae sibi contradicunt. Nam, cum res per essentiam suam sint id, quod sunt, consequitur ipsas, si alias essentias haberent, quam quas modo habent, simul esse aliquid, et non esse. E. g., si Deus voluisset, ut triangulum ex quatuor lateribus, et quatuor angulis constaret, aliquid existeret in natura rerum, quod triangulum simul esset et non esset quia triangulum, quod plus, quam tria latera, et tres angulos habet, triangulum dici nequit. Praeterea scitum est essentias rerum ideis consentaneas esse, quae in intellectu divino sunt, quia Deus, ut suo loco ostendemus, res, secundum ideas, sive *rationes* illarum, quas ab aeterno habuit, condidit [4]. Atqui absurdum, immo impium est asserere ideas, quae in intellectu divino sunt, esse mutabiles,

---

1) Cf s. Thom. III, q. XVII, a. 2. De qua re legendi sunt Rosellius, *Met.*, quaest. II, a. 5, *Op. cit.*, vol. V, p. 37, not. 2, et Maurus, *Qq. phil.*, t. II, q. VI. Ea, quae Suarez, contrariae sententiae assertor, obiecit, acute excussit, et confutavit P. M. Liberatore, *Inst. phil. ad triennium* etc., *Met. gen.*, c. 1, art. 3, § 16, ed. 2, Romae 1861.

2) *Respons. ad Obiect. sextas*, § 6, p. 160, et § 8, p. 163, Amstel. 1685.

3) Inter hos recensetur Genuensis, *Op. cit.*, pars I, *Defin.*, c. 3, § 28, Schol., p. 25, et 26.

4) « Singula, s. Augustinus ait, sunt propriis creata rationibus; has autem ratio-

quippe quod quidquid in Deo est, immutabile est. Ergo essentias rerum esse mutabiles non sine absurditate dici potest [1].

98. Neque omni ex parte illud consentaneum veritati est, quod non pauci, ut vidimus, ad opinionem Cartesii emolliendam docuere. Nos enim non diffitemur, quin immo profitemur essentias, si prout in natura rerum sunt, spectentur, non esse aeternas, sed in tempore, quippe quod, quoniam Deus res in tempore condidit, oportet essentias illarum esse etiam in tempore, nec esse aeternas, nisi in Intellectu Divino, qui illas ab aeterno novit. Apposite s. Thomas: «Ex hoc ipso, quod quidditati esse attribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia, antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu Creantis [2] ». At vero contendimus ipsas non modo prout in Intellectu Divino, sed etiam prout in natura rerum sunt, esse necessarias, et immutabiles. Quod ut probe intelligatur, praemonendum est, 1° aliquid posse dici necessarium duobus modis, scilicet vel *absolute*, vel *hypothetice*, quia necessitas alicuius rei esse potest vel *absoluta*, hoc est, eiusmodi, ut a nulla hypothesi seu conditione pendeat, vel *hypothetica*, hoc est, eiusmodi, ut, nonnisi statuta aliqua conditione, existat; 2° necessitatem essentiarum, prout in natura sunt, posse considerari vel relatam ad suum principium, nempe Deum, a quo essentiae ad actum reducuntur, vel relatam ad principia proxima, ex quibus constituuntur. Iam, si essentiae, prout in natura sunt, priori modo considerentur, ipsae sunt necessariae, sed illarum necessitas hypothetica, non vero absoluta est. Et sane non est absoluta, quia Deus res, quae illas essentias habent, ex libera sua voluntate creavit [3]; at procul dubio hypothetica est, quia cum Deus res illis essentiis, quas modo habent, donaverit, ne virtute quidem ipsius Dei evenire potest, ut essentiis suis destituantur, novasque adquirant, alioquin, ut modo ostendimus, essent simul, et non essent id, quod sunt [4]. Quod si es-

---

nes ubi arbitrandum est esse, nisi in mente Creatoris? » *Lib. QQ. LXXXIII*, q. XLVI.

[1]) Cartesius, ut vim huius argumenti effugeret, contendit ideas rerum in Intellectu Divino non fuisse, priusquam Deus voluit, ut res tales essent, quales condidit (*ibid.*). At vero, si res ita se haberet, dicendum foret Deum, quidquid agit, coeco modo agere, quia nullus intellectus id agnoscere potest, cuius ideam non habet. Quod quidem de Deo, in quo esse, ac intelligere unum, idemque sunt, asserere non modo impium sed valde absurdum est. Quare scite s. Thomas: « Quia mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agente, necesse est, quod in Mente Divina sit forma, ad similitudinem cuius mundus est factus »; I, q. XV, a. 1 c.

[2]) *Qq. dispp., De Potent.*, q. III, a. 5 ad 2.

[3]) « Cum Deus, s. Augustinus inquit, summa Essentia sit, hoc est summe sit, et ideo immutabilis sit; rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse, sicut ipse est; aliis dedit esse amplius, aliis minus; atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit »; *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 2.

[4]) Hanc ob rationem s. Augustinus aiebat: « Res quaelibet, prorsus qualicumque

sentiae posteriori modo considerentur, ipsae necessitatem absolutam habent. Namque illud absolute necessarium dicitur, cuius oppositum repugnat. Atqui repugnat essentiam iis principiis destitui, ex quibus constituitur, quippe quod simul esset, et non esset; scilicet esset ex hypothesi, quia sumitur esse, simulque non esset, quia non haberet principia, ex quibus constituitur. Ergo essentiae, si ad principia proxima, ex quibus constant, relatae considerentur, absolute necessariae sunt [1]. Quoniam essentiae, prout sunt in natura rerum, sunt necessariae, sequitur ipsas esse quoque immutabiles, quia illud, quod aliter, ac est, esse nequit, immutabile est [2].

99. Hinc colligere nobis licet essentias rerum esse aeternas, necessarias, et immutabiles; sed aeternas esse tantum, prout in Intellectu Divino sunt, necessarias autem, et immutabiles non solum prout in Intellectu Divino, sed etiam prout in se ipsis sunt.

100. Obii. Essentiae rerum, prout sunt in natura, sunt aliquid factum. Atqui quidquid est factum, intrinsecus mutabile est, quia cuncta, quae in hac rerum universitate cernuntur, continuis mutationibus subiiciuntur. Ergo essentiae rerum sunt intrinsecus mutabiles.

101. Resp. *Conc. mai.*; *dist. min.*, est intrinsecus mutabile *ratione accidentium*, quibus essentiae in rebus individuantur, *conc. min.*, *ratione principiorum proximorum*, ex quibus quaelibet res constituitur, *neg. min. Neg. cons.* Ratio distinctionis satis ex se manifesta est; siquidem quamlibet rem, quamdiu eadem manet, semper eadem essentia pollere indubium est. Enimvero res, quae corruptioni obnoxiae non sunt, essentias suas numquam amittunt, sed dumtaxat accidentia, quibus essentiae in illis determinantur, variant [3]. Puta, si-

---

excellentia, si mutabilis est, non vere est; non enim est ibi verum esse, ubi est et non esse. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat; si non est, quod erat, mors quaedam ibi facta est, peremptum est aliquid ibi quod erat, et non est»; *In Ioan. Evang. c. VIII*, tract. 38, n. 10.

[1]) «Sciendum est, perbelle ad hanc rem s. Thomas ait, quod si rerum creatarum universitas consideretur, prout sunt a primo principio, inveniuntur dependere ex voluntate, non ex necessitate principii, nisi necessitate suppositionis, sicut dictum est. Si vero comparentur ad principia proxima, inveniuntur necessitatem habere absolutam: nihil enim prohibet aliqua principia non ex necessitate produci; quibus tamen positis, de necessitate sequitur talis effectus: sicut mors animalis huius necessitatem absolutam habet propter hoc, quod iam ex contrariis est compositum, quamvis ipsum ex contrariis componi, non fuisset necessarium absolute. Similiter autem quod tales rerum naturae a Deo producerentur, voluntarium fuit: quod autem eis sic statutis aliquid proveniat, vel existat, absolutam necessitatem habet»; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 30, n. 4.

[2]) «Quod non potest, inquit s. Bonaventura, aliter se habere, convertitur cum necessario»; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, a. 2, q. II *ad arg.*

[3]) «Principia rerum, subdit idem sanctus Doctor,...si considerentur secundum esse naturae, sic de necessitate habent accidentia coniuncta, et possunt variari; variatio autem accidentalis respicit esse»; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 1, a. 2, q. II *ad arg.*

ve Titius ex indocto doctus, sive ex docto rursus indoctus fiat, humanitas in eo non mutatur, quia principia, ex quibus eius essentia constat, scilicet *animalitas*, et *rationalitas* in eo semper sunt. Rerum vero, quae corrumpuntur, quamdiu eaedem manent, eadem essentia manet, et tantum accidentia variant. Ita aqua, quamdiu manet, atque in aliud corpus non transmutatur, potest quidem ex calida in frigidam, vel ex frigida in calidam mutari, sed eius essentia eadem perdurat, quia, quamdiu aqua est, in ea duo principia, nempe oxygenium, ac hydrogenium, ex quibus constituitur, inveniuntur.

ARTICVLVS SEXTVS

De proprietatibus omnium entium communibus, et primum de unitate

102. Proprietates maxime generales entis *transcendentales* a Philosophis dicuntur, ut a *categoricis* attributis distinguantur, quae peculiaribus solum entis generibus, iis nimirum entibus solum conveniunt, quae certo quodam genere, sive categoria continentur. S. Thomas quinque recensuit, quae sunt *unum*, *verum*, *bonum*, *res*, et *aliquid* [1]. Harum duae, scilicet *unum*, et *res* consequuntur omne ens, prout est in se, quippe quod omne ens, quin ad aliud referatur, est unum, et res. Reliquae tres, nempe, *verum*, *bonum*, et *aliquid* consequuntur omne ens, prout hoc ordinem ad aliud habet, quia omne ens, ut mox videbimus, est verum, prout ad intellectum; bonum, prout ad appetitum; et aliquid, prout ad quoddam aliud, a quo distinguitur, ordinem habet. De re, et de aliquo nihil dicemus, quia haec fere nihil differunt ab ente, ita ut non tam proprietates entis, quam vocabula dicenda sint, quibus ens significatur. Enimvero *res* denotat *esse essentiae* [2], atque *aliquid* ens, prout est aliud, quam cetera [3]. Itaque tantum disseremus de iis, quae ad *unitatem*, *veritatem*, et *bonitatem* spectant. Quibus absolutis, de *pulcritudine* entis, quae cum bonitate eius arcte coniungitur, nonnihil delibabimus.

103. « Unum, ut s. Thomas advertit, nihil aliud significat, quam ens indivisum [4] »; unde haec est, aiente eodem sancto Doctore, vera definitio unius: *Unum est ens, quod non dividitur* [5]. Iam dubitari non

---

1) *Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 1 c.

2) « . . . et sic imponitur hoc nomen res, quod in hoc differt ab ente. . ., quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem, sive essentiam entis »; *Ibid.* Cf s. Bonavent., *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, dub. 3.

3) « . . . dicitur etiam aliquid, quasi aliud quid; unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid, in quantum est ab alio divisum »; *Ibid.*

4) I, q. XI, a. 1 c.

5) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. 1, a. 3 ad 3. Hinc idem s. Thomas et s. Bo-

potest, quin omne ens sit indivisum in se. Id luculenter probatur hoc argumento iam laudati Aquinatis: Omne ens per suam essentiam est id, quod est. Atqui essentia est id, quo unumquodque ens ab aliis distinguitur, et ens ex hoc ipso, quod ab aliis distinguitur, est indivisum in se. Ergo omne ens est indivisum in se. Quod si ens, prout est in se indivisum, dicitur unum, liquet omne ens esse unum [1]. Itaque apposite s. Augustinus: « Unum est quidquid est [2] ».

104. Iam intellectus ex conceptibus *entis*, et *non entis* per conceptum divisionis sibi comparat conceptum *unius*. Et sane, intellectus, postquam *entis*, et *non entis* notiones adeptus est, statim intelligit aliquid, dum est hoc ens, non esse aliud ens, proindeque esse ab eo divisum. Atqui, si intelligit quodlibet ens esse divisum ab illo ente, quod ipsum non est, simul intelligit quodlibet ens, dum est ab omni alio ente divisum, non esse a se ipso divisum, quia ens, prout est ens, omne non ens respuit. Ens autem prout est in se indivisum, et divisum ab omni alio, unum dicitur. Ergo intellectus ex conceptibus entis, et non entis per conceptum divisionis [3] sibi conficit conceptum unius [4].

105. Ex his intelligitur 1° unum non addere enti aliquid reale, sed tantum aliquam negationem, quia ipsum, cum non aliud, nisi ens indivisum significet, divisionem entis negat [5]; 2° unum, quemadmodum a Scholasticis post s. Augustinum scitum, decretumque est, cum ente converti; siquidem, cum omne ens per essentiam suam sit unum, itemque per essentiam suam sit id, quod est, liquet aliquid ex eo, quod est ens, esse unum, atque ex eo, quod est unum, esse ens [6],

---

naventura unitatem simpliciter sumtam in indivisione consistere docuerunt. Vid. s. Thom., loc. cit., et s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXV., part. 2, a 1, q. 3 *resol.*

1) « Est autem unumquodque ens per suam formam, unde et unumquodque per suam formam habet unitatem » (*Quodlib.* VI, a. 1 c.). Idem innuerat s. Augustinus, ubi ait: « Vis ipsa formae commendatur nomine unitatis. Hoc est enim vere formari, in unum aliquod redigi » *Lib. imperf. De Gen. ad litt.*, c. 10, n. 52.

2) *De vera Relig.*, lib. unic., c. 36, n. 66.

3) Quamvis unum sit in se prius divisione, tamen nos prius divisionem, quam unitatem intelligimus, quia « divisio, ut s. Thomas inquit, cadit in intellectu ex ipsa negatione entis » (I, q. XI, a. 2 ad 4). Id consentaneum est naturae intellectus humani, qui, ut saepe dictum est, simplicia nonnisi per composita intelligit. « Unde oportet, ait idem Aquinas, quod divisio sit prius unitate non simpliciter, sed secundum rationem nostrae apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita »; *ibid.*

4) « Primum, sanctus Doctor subdit, quod in intellectum cadit, est ens, secundum vero est negatio entis, ex his autem duobus sequitur tertio intellectus divisionis; ex hoc enim, quod aliquid intelligitur ens, et intelligitur non esse hoc ens, sequitur in intellectu quod sit divisum ab eo, quarto autem sequitur in intellectu ratio unius, prout scilicet intelligitur hoc ens non esse in se divisum »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15. Cf *In lib. I Sent.* Dist. XXIV, q. I, a. 3 ad 2.

5) I, q. XI, a. 1 c.

6) « Nihil est, s. Augustinus scribit, esse, quam unum esse. Itaque in quantum quidquam unitatem adipiscitur, in tantum est »; *De mor. Manich.*, lib. II, c. 6, n. 8.

sive, ut Scholae aiunt, unum, ac ens secum converti [1]. Illud advertendum est, quamvis unum enti non aliud, quam negationem divisionis addat; tamen conceptum unius non esse negativum, sed affirmativum. Etenim, cum unum significet ens, quod est indivisum, liquet ipsum non significare dumtaxat negationem divisionis, sed ens, seu substantiam cum ipsa. Audi s. Thomam: « Unum non addit supra ens, nisi negationem divisionis: non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa; est enim unum idem, quod ens indivisum [2] ». Iam, si unum substantiam cum negatione divisionis significat, profecto substantiam principaliter, et negationem divisionis secundario significat. Atqui conceptus negativus ille dicitur, qui negationem per se, et principaliter significat. Ergo conceptus unius non est negativus. Nec aliter res se habere potest. Si enim conceptus unius esset negativus, negativus quoque conceptus entis dicendus foret, quippe quod unum cum ente convertitur. Atqui repugnat conceptum entis esse negativum, quia ens non enti omnino opponitur. Ergo conceptum entis esse negativum omnino repugnat [3].

106. Declarata notione unitatis, opus nobis est diversa eius genera exponere. Nam, quandoquidem unum cum ente convertitur, atque entis plura sunt genera, pluresque modi, quibus a nobis intelligi potest, plura genera unitatis sive *realia*, sive *logica* ab se discriminentur oportet. Si naturas rerum spectes, primo aliquid est unum vel unitate *simplicitatis*, vel unitate *compositionis*. Nam, si non solum est indivisum *actu*, sed etiam *potentia*, dicitur unum unitate *simplicitatis*; siquidem simplex, nempe id, quod partes non habet, eiusmodi est, ut non solum re ipsa non sit divisum, sed ne dividi quidem possit. Manifestum vero est, quo perfectior est actus entis, eo maiorem esse eius unitatem, quia actus, quo perfectior est, eo minus potentiae admixtum habet. Hinc Angelus, qui est substantia intellectualis subsistens, est magis unus, quam anima humana, quia haec, etsi sit spiritualis, tamen ad corpus informandum destinatur; et Deus est maxime unus, quia, ut alias ostendemus, non modo compositionem partium, sed quamlibet aliam compositionem respuit. Sin aliquid est in se indivisum *actu*, non vero *potentia*, dicitur unum *unitate compositionis*, quia id, quod ex partibus componitur, eiusmodi est, ut, cum re ipsa sit in se indivisum, dividi queat. Ita homo est unus *unitate compositionis*, quia anima, et corpus, ex quibus ipse componitur, aliquid in se *actu* indivisum

---

[1]) S. Thomas totam hanc rem explicuit his paucis: « . . . . unum non addit supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis. Unum enim nihil aliud significat, quam ens indivisum. Et ex hoc ipso apparet, quod unum convertitur cum ente » (I, q. XI, a. 1 c.). « Eodem, Scotus ait, est aliquid ens, et unum »; *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. II.

[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 c.

[3]) Cf *Goudin, Op. cit.*, p. 3, q. II, art. I, t. IV, p. 35, et 36, ed. cit. Idem monuit Corsinius, *Op. cit., Met.*, p. I, c. 2, p. 7, ed. cit.

constituunt, sed eiusmodi sunt, ut ab se dividi queant, quia animam seiunctam a corpore, et corpus aliquandiu seiunctum ab anima existere haud repugnat. Recentes priorem unitatem *metaphysicam*, et posteriorem *physicam* adpellitant. Ex dictis patet unitatem metaphysicam esse physica longe praestantiorem, quia unitas metaphysica est unitas absoluta, unitas vero physica ex partibus, quae in unum coalescunt, efficitur; unde s. Augustinus unitatem physicam esse imitationem unitatis metaphysicae dixit [1].

107. Secundo, aliquid est unum vel *per se*, vel *per accidens*. Unum *per se* dicitur ens, quod aut est expers compositionis partium, puta *substantia intellectualis separata*, aut ex partibus constat, quarum una ab altera, veluti potentia ab actu, perficitur, puta *homo*, qui ex anima, et corpore in unicam substantiam perfectam coalescit. Unum vero *per accidens* dicitur ens, quod vel ex substantiis componitur, quarum una non est actus alterius, sed distinctam existentiam habent, uti *acervus lapidum*, *populus*, *civitas*, aliaque huiusmodi, vel componitur ex subiecto, et accidentibus; quia, cum accidentia ea sint, quae intellectus essentiae rei iam constitutae addi intelligit, unum per se cum essentia non constituunt [2].

108. Quod si ordinem spectaveris, quem intellectus inter conceptiones suas ponit, unitatem vel *genericam*, vel *specificam*, vel *numericam* esse comperies. Et sane, quoniam unum, tamquam ens indivisum, intelligimus, intellectus tot unitates in rebus distinguere debet, quot sunt modi, quibus res ab se invicem dividi intelligit. Atqui intellectus res ab se dividi intelligit vel genere, ut *lapidem* ab *homine*, vel specie, ut *belluam* ab eodem *homine*, vel numero, ut *Petrum* a *Paulo*. Ergo intellectus tres unitates in rebus ab se distinguere debet, quarum una divisionem generis, altera divisionem speciei, postrema divisionem numeri negat. Quarum illa, quae divisionem generis negat, *generica*; illa, quae negat divisionem *speciei*, *specifica*; illa demum, quae negat divisionem numeri, *numerica* vocatur. Illud hic prae oculis habendum est, quod s. Thomas advertit [3], hasce unitates illum ordinem inter se habere, ut posterior priorem sequatur, sed non vicissim. Nam, quoniam id, quod continetur in genere, invenitur in qualibet eius specie, atque id quod continetur in specie, invenitur in singulis individuis eius ambitu comprehensis, sed non e contrario, consequitur ea, quae sunt unum specie, esse quoque unum genere, et quae sunt unum numero, esse quoque unum specie, at non vicissim.

109. Unitati opponitur *multitudo*, prout est multitudo [4], sive ut recentes frequentius aiunt, *multiplicitas*, quippe quod, dum unitas

---

1) *De mor. Manich.*, lib. II, c. 6, n. 8.

2) Cf s. Thom., *In lib. V Met.*, lect. VII; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 35.

3) *In lib. V Met.*, lect. VI.I.

4) Prout est multitudo, inquimus, quia multitudo, ut paulo ante diximus, est unitas per accidens.

divisionem negat, multitudo ex divisione efficitur. Hinc, si unum dicitur id, quod vel *potentia*, et *actu*, vel dumtaxat *actu* indivisum est, multiplex illud esse debet, quod ex pluribus componitur, quae non solum *potentia*, sed *actu* divisa sunt, sive ex pluribus, quorum unumquodque unum per se est. Unde s. Thomas dixit multitudinem esse « id, quod est ex pluribus, quorum unum non est alterum [1] ». Ex quo perspicitur multitudinem ab unitate, quam *physicam* vocant, immane quantum differre. Namque unum *unitate compositionis* ex pluribus constat, quorum unum ab altero, veluti potentia ab actu, perficitur, quaeque idcirco unicam substantiam completam constituunt, unamque existentiam habent. Contra ea, multiplex ex pluribus constat, quorum unum ab alio, veluti potentia ab actu, non perficitur, sed singula substantiam completam constituunt, propriamque existentiam habent. Ita homo est unus *unitate compositionis*, sive *physice* sumtus, quia anima, et corpus ita in eo coniunguntur, ut unica substantia completa inde existat, quae homo nuncupatur; verum exercitus non est aliquid unitate *compositionis*, sive unum physicum, sed aliquod multiplex, quia unusquisque militum, ex quibus componitur, est per se substantia completa, atque existentiam a ceteris militibus distinctam habet.

110. Quomodo autem intellectus conceptum multiplicis adquirat, non est, duce s. Thoma, difficile cognitu. Enimvero intellectus, postquam apprehendit unum ens esse divisum ab alio, proindeque tam illud, quam hoc, esse unum, intelligit duo, pluraque una posse aliquo ex respectu ita inter se coniungi, ut quoddam multiplex, seu quamdam multitudinem efficiant. Quamobrem conceptus multitudinis in intellectu conceptum unitatis proxime consequitur [2]. Advertendum tamen est, nos, si intellectu prius unum, quam multiplex, concipimus, sensu prius multiplex, quam unum, apprehendere. Id adnotavit, breviterque ostendit s. Thomas his verbis: « Et ideo unum in intellectu est prius, quam multitudo, quamvis secundum sensum, vel imaginationem sit e converso . . . , quia sic composita priora sunt simplicibus, et divisa indivisis [3] ».

ARTICVLVS SEPTIMVS

De identitate, et distinctione, aliisque affinibus notionibus

111. Ex unitate oritur *identitas*. Haec in eo posita est, quod ens cum seipso consentit. Et sane, si omne ens est unum, atque unum est id, quod est indivisum, sequitur omne ens cum se ipso omnino

---

1) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 3 ad 2.
2) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15.
3) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 3 ad 2.

consentire, ac proinde esse *idem* sibi [1]. Hinc s. Thomas identitatem ab unitate essentiae effici docuit. « Idem, ait, significat unitatem in substantia [2] ». Identitati opponitur *distinctio*, quae consistit in eo, quod unum ens non est aliud. Ex quo patet, quemadmodum identitas ab unitate, ita distinctionem a mutiplicitate oriri [3]. Itaque intellectus, cum rem tamquam consentaneam sibi ipsi intelligit, notionem *identitatis*; et cum unam rem, tamquam non aliam, intelligit, notionem *distinctionis* adipiscitur.

112. Ad *identitatem* quod attinet, quemadmodum aliquid est unum vel *numero*, vel *specie*, vel *genere*, ita quoque aliquid potest esse idem vel *numero*, vel *specie*, vel *genere*. Numero idem est omne individuum cum se ipso [4]; specie est idem omne individuum cum aliis, quae ad ipsam speciem pertinent; genere denique eadem est quaelibet species cum aliis, quae illo genere continentur [5] E. g., Petrus est idem numero cum se ipso; idem specie cum Paulo, aliisque hominibus; idem genere cum brutis. Ex his colligitur identitatem, ut Aristoteles monuit [6], considerari posse in aliqua re vel prout est in se ipsa, seu respectu sui ipsius, vel prout cum alia comparatur. At vero quoniam identitas in sui conceptu negationem divisionis a se, nempe, ut idem Aristoteles inquit, *unitatem ipsius esse* [7] includit, nonnisi prior proprie, et stricte dici potest identitas, posterior autem tantum *secundum quid* [8], quippe quod non unitatem ipsius *esse*, sed potius convenientiam plurium rerum distinctarum in aliquo uno denotat [9].

113. Quod vero spectat ad distinctionem, singulae eius species expendendae sunt, atque unde ipsae oriantur, investigandum est. Distinctionem in rebus inveniri uni Pantheistae inficiari possunt; nam ii, qui ullam distinctionem in rebus inveniri negant, fateri coguntur omnia unum, idemque re ipsa esse, et varietatem, quae in mundo conspicitur, non esse, nisi *phaenomenicam*, seu *adparentem*. At non modo in rebus, sed in conceptibus quoque intellectus distinctio admittenda est; siquidem intellectus nullam scientiam adquirere potest, nisi

---

1) Cf B. Alb. M., *Met.*, lib. X, c. 2.

2) *In lib. I Sent.*, Dist. IV, q. 1, a. 3 ad 3.

3) Cf B. Alb. M., *loc. cit.*

4) Quoniam identitas ex unitate essentiae oritur, illud intelligitur, quod s. Thomas (*Quodlib.* XI, a. 6 c.) luculenter advertit, individuum, quamdiu accidentia eius variant, idem manere, quippe quod variatio accidentium unitatem essentiae non tollit. Puta Petrus, cum e puero vir, et e viro senex efficitur, idem cum se ipso manet, quippe quod in tribus illis vitae statibus principia essentialia, ex quibus unitas essentiae eius existit, eadem manet.

5) Cf B. Alb. M., *Met.*, lib. X, c. 2.

6) *Met.*, lib. V, c. 9.

7) *Met.*, loc. cit.

8) De creaturis hic loquimur, quocirca omittimus identitatem trium Divinarum Personarum in una numero essentia

9) Cf Suarez, *Op. cit.*, Disp. VII, sect. 3.

quemdam ordinem inter conceptus suos ponat; ordo autem sine distinctione existere nequit [1]. Ex his conficitur duplicem distinctionem esse admittendam, scilicet *realem* et *logicam*. Distinctio realis inter res existit, cum una res non est alia, sed duae res sunt; logica autem, seu rationis est, cum intellectus rem in se unicam in varios conceptus distinguit. Prior vocatur *realis*, quia in rebus re ipsa invenitur; posterior autem dicitur *logica*, seu rationis, quia per considerationem intellectus efficitur.

114. Utraque distinctio in plures alias dividitur. Et sane, quoniam nos intelligimus non solum unam rem non esse aliam, sed etiam aliud esse substantiam, aliud vero quemlibet modorum, quibus substantia afficitur, distinctionem realem esse vel *substantialem*, vel *modalem* statuamus oportet. Distinctio substantialis ea est, quae inter unam rem, et aliam, nempe inter duas res intercedit. Hae autem res esse possunt vel substantiae separatae, puta *Petrus* et *Paulus*, vel principia, quae substantiam compositam constituunt, puta *anima humana*, et *corpus*, quae *hominem* efficiunt, quia etsi huiusmodi principia unicam completam substantiam constituant, tamen singula per se verae substantiae sunt. Distinctio modalis vero ea est, quae inter substantiam, et quemlibet modum eius, vel inter modos eiusdem substantiae viget. Huiusmodi distinctio inter aliquod corpus, eiusque extensionem, necnon inter extensionem, et figuram eius existit [2].

115. Nonnulli duabus hisce distinctionibus tertiam addiunt, quam *virtualem* appellant, atque hanc in re inveniri dicunt, quae, cum in se una sit, plura virtute continet, seu pluribus aequivalet. Exemplum afferunt animae humanae; haec enim quamvis unica sit, tamen non modo id, quod est proprium hominis, sed etiam id, quod est proprium animae vegetabilis, et animae belluinae, praestat; unde non solum intelligendi, sed etiam sentiendi, et vegetandi principium est. Verum, quandoquidem in re, quae plura virtute continet, iisdem Scholasticis fatentibus, non tam distinctio virtualis, quam fundamentum, quod intellectui praebet plura in re distinguendi, invenitur, idcirco distinctio virtualis potius distinctio rationis, quam rei existimanda est. Et sane, intellectus interdum quaedam inter se distinguit, quae in se unum

---

[1]) Apposite s. Thomas: « Ad hoc, quod aliqua habent ordinem, oportet quod utrumque . . . sit distinctum, quia eiusdem ad seipsum non est ordo »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 11 c.

[2]) Quoniam inter Tres Personas Divinas nec substantialis, nec modalis distinctio est, deducendum inde non est ipsas inter se realiter non distingui. Nam, cum in Deo, ob infinitam, et absolutam Eius simplicitatem, omnia unum, idemque sint, distinctio realis in Eo nonnisi ex relationis oppositione oriri potest (vid. s. Anselm., *Lib. de process. Spiritus S.* c. 2, et passim). Iam haec oppositio relationis re ipsa in Divinis Personis invenitur, quia Pater relative opponitur Filio, et Pater, Filiusque relative opponuntur Spiritui S., cuius unicum principium sunt. Vid. Petav. *Op. cit. De Trinit.*, lib. IV, c. 10.

sunt, quin in hoc uno ulla ratio sit, ob quam distingui ab eo possint; puta, si *hominem*, et *animal rationale* distinguit. Id, ni fallimur, evenit, cum idem obiectum duplici ratione intelligit, nempe una confusa, altera autem distincta; quod in exemplo nuper allato perspicuum est, in quo conceptum hominis, *homo*, confuse, *animal* autem *rationale* distincte exhibent. Interdum vero intellectus plura inter se distinguit, quae unum re ipsa sunt, sed hoc unum intellectui fundamentum plura in ipso distinguendi praebet. Ita, si intellectus in anima humana tria principia, scilicet *rationale*, *sensitivum*, et *vegetativum* distinguit, fundamentum huius distinctionis in ipsa anima invenit, quia anima humana, quamvis sit re ipsa unicum principium, tamen triplicem virtutem exercet, scilicet rationalem, sensitivam, et vegetativam. Hinc duplex distinctio rationis agnoscenda est; una, quae in intellectu ratiocinante dumtaxat existit, altera autem quae, dum opus intellectus est, in natura rerum fundatur [1]. Iam, si secunda distinctio parumper mente recolatur, manifestum fit ipsam non aliam esse, quam quae a Philosophis *virtualis* vocatur. Namque intellectus per ipsam obiectum, quod unum in se est, tamquam multiplex, intelligit, quia illud, cum unum revera sit, virtute multis aequivalet, ideoque ipsi fundamentum ad efformandos plures conceptus obiectivos illius praebet.

116. Ex his intelligitur 1° distinctionem commode dividi posse in *realem*, *logicam*, et *virtualem*, atque harum primam inter plures res existere, quorum una non est alia, secundam autem illam esse, cui nihil in natura rerum respondet, quaeque idcirco non aliud, nisi opus intellectus est, tertiam denique esse, quae ab intellectu efficitur, sed fundamentum habet in ea re, ex qua intellectus ipsam efficit; 2° distinctionem virtualem esse mediam inter logicam, et realem, quia ipsa est logica, quatenus ab intellectu efficitur, et realis, quatenus ei quidquam respondet in re, ex qua intellectus ipsam efficit [2].

117. Iam non plures tribus hisce distinctionis generibus admittendas esse satis per se perspicuum est. Nam distinctio non alibi, quam vel inter res, vel inter conceptiones intellectus cogitari potest. Si inter res, nonnisi una distinctionis species inde existere potest, nempe

---

[1]) Harum duarum distinctionum prior a Scholasticis dicta est distinctio *rationis ratiocinantis*, posterior vero distinctio *rationis ratiocinatae*. Cuius denominationis origo ex eo repetenda est, quod ratio, ut s. Thomas advertit (*In lib. I Sent.*, Dist., XXXIII, q. 1, a. 1 ad 3), sumi potest, vel prout significat actum potentiae, quae ratio est, vel prout significat essentiam, quam ratio apprehendit. Ratio, si primo modo sumatur, est dumtaxat in intellectu, qui ratiocinatur: sin secundo modo, est quoque in re, quia denotat essentiam, prout ab intellectu apprehenditur; unde primo modo sumta a Scholasticis *ratio ratiocinans*, et secundo modo sumta *ratio ratiocinata* non immerito noncupata fuit (vid. s. Thom., *ibid.*, Dist. XXII, a. 3 ad 4). Inde factum est, ut distinctio rationis, quae in re non fundatur, distinctio *rationis ratiocinantis*, et distinctio, quae in re fundatur, distinctio *rationis ratiocinatae* diceretur.

[2]) De hac distinctione virtuali cf. s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. 1, a. 3 ad 6.

realis. Nam, cum et substantiae, et modi quaedam res sint, distinctio, quae inter duas substantias extat, et distinctio, quae inter substantiam, et modos eius, vel inter modos eiusdem substantiae intercedit, unicam speciem distinctionis realis constituunt. Sin inter conceptiones intellectus, non plures duabus, scilicet *logica*, et *virtualis* cogitari possunt, quia nonnisi alterutrum evenire potest, scilicet, ut illae conceptiones in re, circa quam versantur, aut nullum, aut aliquod fundamentum habeant.

118. Quod cum ita sit, manifestum est distinctionem *formalem* a Scoto invectam, quam Genuensis noster amplexatus est [1], vel ex hoc tantum reiiciendam esse, quod nec distinctio rei a re, nec distinctio rationis, sed distinctio formae a forma in eadem re est. Nihilominus, quandoquidem de commentitia ista distinctione acerrima, diuturnaque lis inter Scotistas, et Thomistas exarsit, iuvabit ipsam breviter expendere, et refutare.

119. Ut quid Scotus nomine distinctionis *formalis* significaverit, intelligatur, sciendum est eum in hac sententia versatum esse, quod naturae communes, seu genera, et species, in rebus individuis vera, et reali existentia gaudent, eaeque per differentias ita contrahuntur, et variantur, ut natura generica in specificam, et specifica in singularem evadat; puta in Petro *animalitas* per differentiam *rationalitatis* ad *humanitatem* contrahitur, atque *humanitas* per differentiam *petreitatis* contrahitur ad Petrum. Inde confecit in quolibet individuo plures formas inveniri, quas Scotistae *gradus metaphysicos*, vel *entitativos* vocarunt; e. g., in Petro esse *hominem*, esse *animal*, esse *vivens*, esse *corpus*, atque esse *ens*. Iamvero ipse contendit istas diversas formas tum ab individuo, in quo sunt, tum inter se non distingui realiter, quia ipsae una res cum individuo sunt, atque ipsarum una sine alia esse nequit; nec *ratione* dumtaxat, quippe quod formae sunt entitates et ab individuo, et a se invicem re ipsa distinctae, cum ante omnem actionem intellectus ab individuo, atque a se ipso invicem distinguantur: verum *formaliter*, quia intellectus unam sine altera concipere, atque idcirco diversos eius conceptus adquirere potest [2].

120. Hanc doctrinam Scoti esse prorsus absurdam haud difficile probatu est. Enimvero ipsa in primis falso innitur fundamento, quia genera, et species, ut suo loco demonstratum est, non inveniuntur re ipsa in individuis, sed sunt conceptiones intellectus, quae in rebus individuis fundantur [3]. Praeterea falsa per se est. Nam, quidquid extra

---

[1]) *Op. cit.* part. I, c. 4, § 37. Schol. p. 31, et 32. Principio Thomistis adhaeserat; unde ait: « in quo palinodiam recino, nullo licet beneficio a Scotistis affectus ».

[2]) *Super univers. Porphyr.*, passim. *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. 1, *Quodlib.* q. II, a. 2. Cons. prae ceteris Philip. Fabrum, et Boyvin, quos citavimus in vol. I, *Ideal.*, c. II, art. 1, p. 517, not. 2.

[3]) Cf vol. I, *Ideal.*, c. II, art. 2, p. 520.

intellectum est, aliquid reale sit oportet, quia quidquid extra intellectum est, aliqua res est. Ergo extra intellectum, uti Ockamus advertit [1], non alia distinctio inveniri potest, quam quae inter res viget. Iam distinctio formalis, eodem Scoto docente, non est distinctio, quae in intellectu dumtaxat invenitur, seu distinctio rationis. Distinctio igitur formalis Scoti debet esse distinctio, quae inter res existit. Sed ipsa nequit esse distinctio, quae inter substantias ab se disiunctas locum habet, quia diversae formae secundum Scotum neque inter se invicem, neque ab individuo, in quo sunt, realiter distinguuntur. Itaque restat, ut, quemadmodum paulo ante ostendimus, sit ea distinctio, quae ab intellectu in re una, sed pluribus aequivalente fit, nempe distinctio virtualis. Quare distinctio formalis a Scoto conficta, si alia, quam virtualis, esse dicatur, intelligi non potest, vehementerque ipse deceptus est, quod illam virtuali sufficere voluit. Denique opinio Scoti ad absurdas conclusiones ducit. Et sane, si natura communis, utpote quae est quoddam universale, una est in cunctis individuis, atque a differentiis, per quas in quolibet individuo contrahitur, realiter non distinguitur, dicendum est 1° unam, eamdemque rem esse simul propriam, et communem; 2° uni, eidemque rei opposita convenire, quia individuum, et commune opposita sunt; 3° tot esse naturas communes, quot sunt differentiae individuales; 4° id, quod est unum, idemque cum differentia individuali, non solum ipsi individuo, sed aliis etiam convenire [2]; quae omnia absurda esse per se patet.

121. Postquam intellectus ex conceptu multitudinis conceptum distinctionis confecit, ad conceptus *diversitatis*, et *differentiae* facile progreditur [3]; unde de his nonnihil, quod huc spectat, innuamus necesse est.

122. Quae ab se invicem distinguuntur, eiusmodi esse debent, ut unum non sit aliud; alioquin non plura distincta, sed unum, idemque re ipsa essent. Iam, quae inter se realiter distinguuntur, si eo respectu considerentur, quo unum non est aliud, *diversa*, vel *differentia* dicuntur. *Diversa*, si *absolute*, nempe ex eo tantum, quod unum non est id, quod est aliud, considerentur; *differentia* vero, si considerentur ex ordine, quem ad aliquid habent, nempe ex eo, per quod aliquid commune in ipsis diversimode determinatur [4]. E. g., si consideratur *hominem* non esse id, quod est *brutum*, et *brutum* non esse id, quod est *homo*; *homo*, et *brutum* veluti duae *diversae* res intelliguntur; sin consideretur *hominem* non esse id, quod est brutum, quia *anima-*

---

1) *Summa log.*, c. XV, ed. cit.

2) Haec, aliaque Scoto idem Ockamus obiecit; *Op. cit.*, ibid.

3) Cf B. Alb., M., *Met.*, lib. X, c. 2.

4) « Dicendum, Aquinas ait, quod differens, et diversum differunt; nam diversum absolute dicitur, quod non est idem; differens vero dicitur ad aliquid, nam omne differens aliquo differt »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 3 ad 2.

litas in homine per differentiam rationalitatis determinatur, et *brutum* non esse id, quod est *homo*, quia *animalitas* in eo per differentiam *irrationalitatis* determinatur; *homo*, et *brutum* intelliguntur veluti duae res *differentes*[1].

123. Ex quibus perspicitur conceptus diversitatis, et differentiae ab se quodammodo differre. Nam primo aliquid dicitur diversum *ex se ipso*, hoc est ex eo tantum, quod non est idem, ac aliud; sed non dicitur *differens*, nisi *ex aliquo*, hoc est, quatenus id, quod ei cum alio commune est, secus in eo, quam in alio determinatur[2]. Ita, *homo*, et *brutum* dicuntur res *diversae* ex eo quod homo non est idem, ac brutum, et brutum non est idem, ac homo; sed dicuntur res *differentes*, quatenus *animalitas*, quae ipsis communis est, alia differentia in homine, alia autem differentia in bruto determinatur. Secundo in iis, quae sunt diversa, unum consideratur, scilicet id, quo unumquodque illorum non est idem, ac aliud; sed in iis, quae sunt differentia, duo considerentur oportet, scilicet aliquid, quod ipsis commune est, atque aliquid, quo id, quod ipsis commune est, determinatur, nempe differentia. Puta tam in homine, quam in bruto invenitur aliquid eis commune, hoc est, *animalitas*, sed praeter hanc, in homine invenitur *rationalitas*, atque in bruto *irrationalitas*, quarum prima animalitas ad hominem, altera ad brutum contrahitur. Ex quo patet non posse esse differentia, nisi quae quodammodo composita sunt, cum simplicia tantummodo diversa sint[3].

124. His de discrimine inter diversum, et differens adnotatis, ad divisionem diversi, quae eadem est, ac differentis, accedamus. Iam perspicuum est aliqua tot modis diversa esse posse, quot modis sunt eadem, quia, quemadmodum uni opponitur multiplex, ita eidem, quod cum uno convenit, opponitur diversum, quod ex multiplici manat. Hinc, sicut aliqua eadem esse queunt vel genere, vel specie, vel numero, ita diversa vel genere, vel specie, vel numero esse possunt. Ita Petrus diversus est *genere* a planta, quia aliud est genus animantium, aliud vegetantium; *specie* a bellua, quia ab hac per differentiam specificam rationalitatis seiungitur; *numero* demum a Paulo, quia humanitas aliis accidentibus in eo, aliis in Paulo individua fit, sive, ut scholae aiunt, individuatur. Diversitas, quae a genere, et specie efficitur, dicitur *essentialis*, quia, ut in *Logica* diximus, genus essentiam rei inchoatam, et species essentiam rei perfectam continet. Diversitas autem, quae efficitur ab accidentibus, dicitur *accidentalis*. Quandoqui-

---

[1]) Advertendum est nos hic loqui de rebus creatis; namque tres Personae Divinae, etsi sint realiter distinctae, tamen nec diversae, nec differentes dici possunt. Vid. s. Thom., *Op. cit.*, ibid., q. IX, a. 8 ad 2.

[2]) Cf s. Thom., *In lib. X Met.*, lect. X. Id innuerat Clemens Alex., in *Strom.*, lib. VIII, c. 6.

[3]) I, q. XC, a. 1 ad 3.

dem vero essentia rei, uti alias dicemus, ex *forma* constituitur, atque accidentia a *materia* oriuntur, ideo diversitas essentialis a s. Thoma, aliisque Scholasticis *formalis*, et diversitas accidentalis *materialis* nuncupata fuit[1]. Ex quibus conficitur diversitatem in *essentialem*, seu *formalem*, atque in *accidentalem*, seu *materialem* dividi, atque ex illa res in diversis generibus, diversisque speciebus collocari, ex hac vero individua, quae eadem specie continentur, inter se distingui [2]. Illud praetermittendum non est, quemadmodum sola differentia specifica nomen differentiae stricte, et simpliciter sumtae meretur, ita solam diversitatem, quae ab essentia efficitur, esse veram, proprieque sumtam diversitatem: quocirca, si stricte loqui velimus, ea quae genere, aut specie differunt, *diversa*, et ea, quae numero tantum discriminantur, *distincta* nobis dicenda sunt [3].

125. Ex his quae circa notiones *diversitatis*, et *differentiae* explicavimus, facile est perspicere ipsas ex eo oriri, quod intellectus in rebus, quae inter se distinguuntur, earum principia essentialia considerat [4]. Iam, si intellectus ad earum qualitates, vel quantitatem mentem applicet, alios conceptus sibi efformat, nempe conceptus *similitudinis* vel *dissimilitudinis*, prout illas qualitatibus secum convenire, vel discrepare; et *aequalitatis*, vel *inaequalitatis*, prout illas quantitate convenire, vel discrepare deprehendit [5]. Itaque *similia* ea dicuntur, quae in qualitatibus; *aequalia*, quae in quantitate conveniunt. E. g., ex albedine lac nivi simile esse, et ex quantitate triangulum quadrato aequalem esse dicimus.

126. Ut huiusmodi notiones magis perspicuae fiant, haec mente recolenda sunt:

1° Cum res ex eo, quod in qualitate conveniunt, similes esse dicuntur, id accipiendum est, vel quatenus eiusdem qualitatis participes sunt, vel quatenus qualitas eodem gradu in eis invenitur [6], vel etiam qua-

---

[1]) Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXII, q. II, a. 3 ad 1, et ad 6. Illud quoque prae oculis habere iuvat, quod sanctus Doctor adnotavit hoc in loco: « Diversitas magis pertinet ad essentialem divisionem; nam qualiscumque formarum multitudo facit differentiam; diversitas autem fit solum per formas substantiales »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 8 ad 2.

[2]) Cf s. Ioann. Damasc., *Dialect.*, c. 17. Ex his vides hanc divisionem diversitatis etiam convenire distinctioni, in qua diversitas fundatur, quia diversa sunt etiam distincta. « Duplex, scribit s. Thomas, distinctio invenitur in rebus. Una formalis in his, quae differunt specie; alia vero materialis in his, quae differunt numero »; I, q. XLVII, a. 2 c.

[3]) Cf vol. I, *Log.*, p. I, c. I, art. 2, p. 43.

[4]) « Diversitas, inquit s. Bonaventura, attenditur secundum principia essentialia, sive substantialia »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, dub. 4.

[5]) « Unum in substantia, ait s. Thomas, facit idem; unum in quantitate facit aequale; unum in qualitate facit simile »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 *sol.* Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*

[6]) « Similitudo, et dissimilitudo, subdit Aquinas, non solum attenditur secundum

tenus aliqua res particeps est illius qualitatis, quae secundum ipsam suam essentiam in alia re est. Haec postrema ratio similitudinem inter creaturas, et Deum constituit [1].

2° Quoniam nonnullae qualitates ex essentia contingenter oriuntur, fieri potest, ut res, etiamsi diversas habeant essentias, in quibusdam qualitatibus conveniant, ac proinde, ut iam s. Augustinus monuit, aliqua ratione sint inter se similes. « Non, ait, ea tantum, quae unius, eiusdemque naturae sunt, dicuntur inter se esse similia . . . , verum etiam naturae disparis sunt, et dicuntur multa similia [2] ».

3° Quoniam quantitas, ex qua aequalitas rerum exurgit, vel *dimensiva*, vel *virtualis* esse potest [3], res aequales, vel inaequales dici queunt, vel quia in quantitate *dimensiva*, vel quia in iis perfectionibus, ex quibus quantitas virtualis oritur, conveniunt, aut discrepant [4].

127. Ex his in promptu est solvere illam quaestionem, num dentur, aut dari queant duo *perfecte similia* in rerum natura. Leibnitius, post Stoicos [5] inter antiquos, et Iord. Brunum [6] inter recentes, utrumque praefracte negavit, et quoniam arbitratus est, si duo perfecte similia darentur, ea ab se discerni non posse, hanc suam doctrinam *principium indiscernibilium* vocavit. Itaque secundum Leibnitium 1° non existunt in mundo duo perfecte similia, sive *indiscernibilia*, quia ea numquam in ipso inventa sunt; 2° nec dari possunt, non quidem *abso-*

---

qualitatem eamdem, vel diversam, sed etiam secundum eumdem, vel diversum participationis medium. Est enim dissimile non solum nigrum albo, sed etiam minus album magis albo »; 1ª 2ae, q. LII, a. 3 c.

1) Audiatur idem sanctus Doctor: « Contingit aliqua dici similia . . . . vel ex eo, quod unum, quod participative habet formam, imitatur illud, quod essentialiter habet; sicut si corpus album diceretur simile albedini separatae, vel corpus mixtum igneitate ipsi igni. Et talis similitudo, quae ponit compositionem in uno, et simplicitatem in alio, potest esse creaturae ad Deum participantis bonitatem, vel sapientiam, vel aliquid huiusmodi, quorum unumquodque in Deo est Essentia Eius » (*In lib. I Sent.* Dist. XLVIII, q. I, a. 1 *sol.*). Hinc s. Augustinus: « Multis modis dici res possunt similes Deo; aliae secundum virtutem, et sapientiam factae, quia in Ipso est Sapientia, et Virtus non facta; aliae in quantum solum vivunt, quia Ille summe, et primitus vivit; aliae, in quantum sunt, quia Ille summe, et primitus est »; *Lib. Qq. octoginta trium*, q. LI, n. 2.

2) *Contr. Faust.*, lib. XVI, c. 15.

3) Cf vol. I, *Log.* p. I, c. I, art. 4, p. 57.

4) « Aequale, et inaequale, inquit s. Bonaventura, est propria passio consequens quantitatem. Quantitas autem dicitur dupliciter, proprie, scilicet quantitas molis, et translative, quantitas virtutis; et quia illa est propria passio quantitatis, aequalitas consequitur utramque quantitatem; ergo ubi est ponere quantitatem virtutis, ibi est ponere aequalitatem, vel inaequalitatem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. 1, a. 1, q. 1 *resol.*

5) « Stoicum est quidem, nec admodum credibile; nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum »; Cicer., *Acad.* lib. II, c. 26, ediz. cit.

6) *De triplici minimo, et mensura*, p. 871, Francofurti 1591.

lute, quia duas res perfecte similes existere naturae ipsarum rerum non repugnat, sed *hypothetice*, quia, si Deus duas res perfecte similes crearet, aliquid sine ratione sufficiente ageret, ideoque sapientiae suae derogaret [1]. Wolfius sententiam Leibnitii probavit, eamque e nexu, quo res mundanae continentur, probare studuit [2]. Wolfio Zimmermanus [3], aliique multi adstipulati sunt. At Kantius cum aliis pugnavit theoriam indiscernibilium principio contradictionis inniti, quia, si duo indiscernibilia darentur, ea unum, idemque re ipsa forent. Ex quo confecit non *hypothetice*, sed *absolute* fieri non posse, ut duo perfecte similia in mundo existant [4].

128. Verum Leibnitius, eiusque discipuli omnino hallucinati sunt. Et sane, quod ad primam partem quaestionis attinet, duo, nostra quidem sententia, certa, exploratagque sunt. Primo, si de notione similitudinis in universum sumta, quam modo tradidimus, agatur, dubitari neutiquam potest, quin multa, immo plurima similia in mundo existant. Similia enim dicuntur, quorum eaedem specie qualitates sunt; atqui plurima in mundo sunt, quorum eaedem specie qualitates sunt; plurima igitur similia in mundo existunt. Re vera, quis, nisi scepticus, dubitare potest, quin aqua sit aquae similis, ignis igni, aliaque eiusmodi? Quis unquam negabit similes esse fructus, quos plantae eiusdem speciei producunt, aut similes esse partus, quos bruta eiusdem speciei edunt? Secundo, si similitudo duorum, pluriumve ita intelligatur, ut ipsa non solum in cunctis suis qualitatibus, sed etiam in gradu uniuscuiusque consentiant, certe definiri nequit, utrum, necne duo similia in mundo existant. Etenim haud possibile est et omnia, quae in mundo sunt, observatione complecti, et ea, quae observari possunt, adeo introspicere, ut non modo num in cunctis suis qualitatibus, sed etiam num in gradibus ipsarum consentiant, nobis patescat. Iam, quoniam similitudo perfecta consensum tum in cunctis qualitatibus, tum in gradibus ipsarum expostulat, consequens est non posse a nobis definiri, utrum, necne duo perfecte similia in mundo existant [5].

129. Quod ad alteram partem quaestionis spectat, duo perfecte similia existere nec *absolute*, nec *hypothetice* impossibile est. Non quidem *absolute*, quia nihil prohibet, quominus qualitates, quae in una re sunt, in alia etiam, atque in eodem gradu, ac in illa, sint. Nec *hypothe-*

---

[1]) Vid. *Lettres entre Leibniz et Clarke*, 3e *Ecrit.* § 5, *Opp.* ed. cit. p. 750, 4e *Ecrit.* § 5, p. 756, 5e *Ecrit.*, § 21, p. 765, etc.

[2]) *Cosmolog.*, sect. II, c. 3, § 245 sqq, ed. cit.

[3]) Disput. *De perfecte similibus*, § 6-21, p. 6 sqq, Tubingae 1753.

[4]) *Medit. phil.*, Cap. *De princip. indiscernib.*, Franc., et Lips. 1755.

[5]) Hinc s. Augustinus scribebat perfectam aequalitatem, et perfectam similitudinem non cadere in sensus sed intellectu apprehendi. « Vera aequalitas, ait, et similitudo non oculis carneis, neque ullo tali sensu; sed mente intellecta conspiciuntur »; *De vera Relig.* c. 30, n. 55.

tice, cum quod ratio, ob quam Deus res extra se produxit, uti alias ostendemus, in ipso Deo quaerenda est, tum quod, si in rebus quaeratur, nihil causae est, cur valde dissimilia, et non perfecte similia ad ordinem mundi efficiendum aliquid conferant.

130. Obii. Kantius: Quidquid ab altero, ne tennissimo quidem modo, differt, unam, eamdemque rem cum altero efficit. Atqui duorum perfecte similium alterum ab altero nullo modo differt. Ergo duo perfecte similia sunt eadem res sub diversis nominibus.

131. Resp. *Neg. mai.; dist. min.*: secundum qualitates, earumque gradus, *conc. min.*, secundum substantiam, *neg. min. Neg. conseq.*

Ratio, quam Kantius ad *principium indiscernibilium* tuendum adduxit, Leibnitii quoque est. Hic enim, quamvis non negaret absolute posse fieri, ut duo perfecte similia existant, tamen docuit, « si duo indiscernibilia ponantur, poni eamdem rem sub duobus nominibus[1] ». Qua in re sibi contradixit, quippe quod, cum duas res esse unam absolute impossibile sit, dicendum ei erit, quemadmodum Kantius dixit, non tantum hypothetice, sed absolute etiam fieri non posse, ut duo perfecte similia in mundo existant. At tam Leibnitius, quam Kantius ex eo decepti sunt, quod notiones *identitatis*, et *similitudinis* confuderunt. Etenim « identitas, ut s. Thomas advertit, ponit unitatem in essentia secundum numerum . . . . aequalitas, et similitudo . . . . non important unitatem quantitatis, vel qualitatis in numero, sed sufficit, quod sint idem specie. Haec autem unitas est in diversis suppositis; et ideo aequalitas, et similitudo simul cum unitate important distinctionem [2] ». Id a Clarkii obiectionibus pressus idem Leibnitius asseruit: « Fateor, si duae res perfecte indiscernibiles existerent, illas fore duas: ast hypothesis est falsa, et magno principio Rationis adversatur [3] ».

132. Obii. Wolfius: Si duo perfecte similia in mundo existerent, hoc sine ulla ratione sufficiente foret, quia nulla ratio excogitari potest, propter quam unum sit potius in uno loco, quam in alio, atque alterum potius in isto, quam in illo. Atqui esse aliquid sine ratione sufficiente impossibile est. Ergo, posito principio sufficiente, haud possibile est duo perfecte similia in mundo existere.

133. Resp. *Neg. mai.* Prob. *mai.* Illa ratio vel in alterutro eorum, vel in aliis rebus, ad quas utrumque refertur, quaerenda esset. Atqui non potest quaeri in alterutro illorum, quia utrumque habere idem sumitur, nec in aliis rebus, quia harum eadem foret relatio ad utrumque. Ergo etc.

134. Resp.: quod ad *maiorem* attinet, addi potest tertium membrum, scilicet vel in ipso Deo, qui mundum e nihilo eduxit, ordinemque in

---

[1]) *Quatrieme écrit*, § 6, p. 756, ed. cit.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 2.

[3]) *Cinquieme Écrit.* § 26, p. 765 ed. cit.

eo constituit, *neg. min.*; quod ad secundam partem; *neg. conseq.* Primo enim ratio eorum, quae Deus extra se agit, in ipso Deo, ut modo diximus, quaerenda est; hinc intelligitur Deum potuisse res in mundo ita componere, ut quaedam sibi perfecte similia essent. Secundo, nihil prohibet, quin ratio, ob quam duae, vel plures res perfecte similes sunt, in aliis rebus, ad quas referuntur, quaeratur, quia nihil prohibet, quin cogitemus mundum ita comparatum esse, ut duas, pluresque res ad alias eodem modo referri ad eius ordinem, et pulcritudinem concurrat.

135. Superest, ut de notione, quae rerum *oppositionem* exhibet, aliquid innuamus; siquidem, aiente Aquinate, « distinctio aliquorum habentium unam naturam saltem generis esse non potest, nisi ratione alicuius oppositionis; unde invenimus quod cuiuslibet generis differentiae sunt oppositae [1] ».

136. Iam, cum notio *oppositionis* in intellectu ex eo exurgat, quod ipse quamdam inter res repugnantiam deprehendit, opposita ea dicenda sunt, quae aliqua ratione secum pugnant[2]. Quandoquidem vero haec repugnantia ex diversa ratione effici potest, diversae oppositionis species existunt. Enimvero oppositio rerum vel ex unius ad alteram relatione, vel ex eo, quod una alteram excludit, enascitur. Si primum, oppositio dicitur *relativa*. Sin alterum, potest ea esse aut *contraria*, aut *privativa*, aut *contradictoria*. Oppositio contraria inter ea existit, quae se ab eodem subiecto invicem expellunt; puta contraria sunt *calor*, et *frigus*, quia fieri nequit, ut idem corpus sit simul calidum, et frigidum. Ex quo perspicitur contraria esse non posse, nisi quae ob diversitatem formae inter se differunt. Unde s. Thomas: « Contrarietas est differentia secundum formam [3] ». Oppositio *privativa* est inter aliquam qualitatem, quam alicuius subiecti natura expostulat, et illius qualitatis defectum [4]; puta inter visum, et caecitatem in homine. Denique oppositio *contradictoria* est repugnantia inter ens, et non ens.

137. Nulla alia, praeter has tres oppositionis species, quae ex aliqua remotione oriuntur, excogitari potest [5]. Nam cum unum alterum removet, aut relinquit subiectum, et genus, aut dumtaxat subiectum, aut nihil. Si primum, opposita dicuntur *contraria*, quia « in contrariis est convenientia non solum quantum ad subiectum, sed etiam quantum ad genus, quia scilicet sunt in eodem genere [6] ». Si alterum, dicuntur *privative* opposita, quia « in privative oppositis importatur

---

1) *Qq. dispp., De Pot.*, q. X, a. 5 c.

2) De oppositione rerum hic loquimur, non vero de oppositione enunciationum, de qua vid. *Log.* part. I, c. II, art. 5, p. 89 sqq vol. I.

3) 1ª 2ªe, q. XXXV, a. 4 c.

4) Discrimen inter privationem, et negationem explicavimus p. 19.

5) Cf s. Thom., *In lib. V Met.*, lect. XII.

6) *In lib. I Sent.*, Dist. V, q. I, a. 1 ad 1.

convenientia quantum ad subiectum, quia nata sunt fieri circa idem [1] ». Si tertium, sunt *contradictoria*, quia in eis non importatur aliqua convenientia [2] ».

138. Circa huiusmodi notiones haec notatu digna censemus:

1° Oppositio *relationis*, cum tantum duo extrema distinguat, neque aliquod eorum destruat, *minima* iure appellatur [3]. E contrario oppositio *contradictionis* est « prima, et maxima oppositio », quia ei « non admiscetur aliqua convenientia ». Ex quo fit, ut sit « causa omnis oppositionis, et distinctionis », quia « maximum, et primum in aliquo genere . . . . est causa omnium aliorum [4] ».

2° Contrariorum alia sunt, inter quae non est ullum medium, ita ut alterutrum illorum subiecto inesse necesse sit; alia vero, inter quae unum, vel plura media sunt, ita ut necesse non sit alterutrum subiecto inesse. Prioris generis contraria sunt *par*, et *impar*, quia numerum aut parem, aut imparem esse oportet; posterioris autem contraria sunt *albedo*, et *nigredo*, quia plures alii colores inter istos medii sunt, ideoque necesse non est, ut corpus aut album, aut nigrum sit [5]. Contradictorie autem opposita eiusmodi sunt, ut nullum medium inter ea existere possit, quia nihil medii est, uti ante ostendimus, inter *esse*, et *non esse* rei [6].

ARTICVLVS OCTAVVS

De entium veritate

139. Postquam unitatem, quae entis in se considerati proprietas est, eisque agnatas notiones exposuimus, ratio ordinis postulat, ut ad notiones *veritatis*, et *bonitatis*, quarum illa pertinet ad ens, prout ad intellectum, ista autem ad ens, prout ad voluntatem refertur, declarandas progrediamur. Iam veritas primum locum sibi vindicat, siquidem, cum voluntas non possit ferri, nisi versus id, quod iam apprehensum ab intellectu est, ens veluti bonum intelligi non potest, nisi veluti verum ab eo ante intellectum sit [7].

140. Principio, memoria repetamus necesse est pauca, quae in *Logica* statuimus [8], scilicet: 1° veritatem in universum sumtam in *adaequatione rei, ac intellectus* positam esse; nam si ens dicitur verum, prout ordinem ad intellectum habet, liquet illud non posse dici ve-

---

1) Ibid. — 2) Ibid.

3) Haec oppositio distinctionem realem inter Personas Divinas, ut paullo ante diximus, constituit.

4) Ibid. — 5) Cf Arist., *Categ.*, c. 10, t. l, p. 112, ed. Vaitz.

6) Cf Arist., *Anal. Post.*, lib. I, c. 2, vol. II, p. 3, ed. cit., et s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 3, *sol.* 2 ad 3.

7) Cf s. Thom., I, q. XVI, a. 4 c.

8) Pars I, c. II, art. 3, p. 76 vol. I.

rum, nisi cum intellectu consentiat; 2° quandoquidem res ad intellectum refertur, vel quatenus intellectus illam efficit, vel quatenus intellectus illam apprehendit, veritatem aliam ab adaequatione rei cum intellectu, aliam vero ab adaequatione intellectus cum re effici; 3° primam iure dici *ontologicam*, seu *metaphysicam*, quia respicit ens, seu τὸ *esse*, quod res habet extra intellectum, et in consensu eiusdem cum τῷ *esse ideali*, quod in intellectu ipsam efficiente habet, consistit; alteram vero *logicam*, quia respicit τὸ *esse ideale*, quod res in intellectu ipsam cognoscente habet, et in consensu huius cum τῷ *esse reali*, quod res in se habet, posita est. Iam quisquis ex se intelligit tantum de veritate ontologica in hac parte philosophiae nobis esse agendum, praetereaque veritatem ontologicam considerandam dumtaxat, prout est propria rerum naturalium, quae ut in *Logica* diximus[1], ex harum convenientia cum archetypis Intellectus Divini constituitur, non vero prout ad res artificiosas, quas nempe homines ex varietate rerum naturalium concinnant, referri potest[2], quia Ontologia non de principiis, legibusque artium, sed de supremis principiis entis, seu rerum naturalium disputat.

141. De veritate ontologica hoc modo accepta disserere aggredientes, principio statuimus, quidquid est in natura rerum, esse verum. Id omnibus illis, qui Deum esse auctorem mundi fatentur, adeo perspicuum esse debet, ut demonstratio fere supervacanea sit. Nam, si res naturales non accuratissime responderent ideis archetypis, seu exemplaribus, secundum quae Deus illas condidit, dicendum foret Deum aut nescivisse, aut non potuisse res condere, quales in se intelligit. Atqui illud infinitae sapientiae, hoc infinitae potentiae Dei repugnat. Ergo repugnat res naturales non ratissime respondere exemplaribus, quae in Intellectu Divino reperiuntur. Quoniam veritas rerum naturalium in hoc consensu sui cum Ideis Intellectus Divini posita est, omne id, quod in natura rerum existit, esse verum concludendum est[3].

142. Ex his intelligitur nullam falsitatem ontologicam, seu falsitatem metaphysicam in rebus inveniri posse, et, si quae res falsae dicuntur, id veluti *improprie* dictum accipiendum esse. Quod ut planum fiat, advertendum est res naturales, quemadmodum ex iis, quae paulo ante, et in *Logica* diximus, perspicitur, dum effectus cognitionis Divinae sunt, seu ad Intellectum Divinum, qui illas produxit, referuntur, causam esse cognitionis humanae, nempe ad cognitionem sui in nostro intellectu gignendam concurrere[4]. Iam, si res naturales ad Intel-

---

[1]) Loc. cit.

[2]) Res artificiosae, si respondent exemplaribus, quae in intellectu artificis reperiuntur, sunt verae; secus falsae. Cf s. Thom., I, q. XVI, a. 1 c.

[3]) Cf s. Thom. *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 10 c.

[4]) « Ad Intellectum Divinum (*veritas rei*) comparatur quasi ad causam; ad humanum autem quasi quodammodo ad effectum » (*Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 4 c.). Hinc res naturales mensurari dicuntur ab Intellectu Divino, quia ipsae ex eo verae

lectum Divinum referuntur, nemini, ut modo ostensum est, dubium esse potest, quin ipsae nullo modo falsae dici possint; verum si referantur ad intellectum humanum, quodammodo falsae dici possunt, quia sunt quaedam, quae, etsi vera in se sint, tamen ita natura sua sunt comparata, ut sensibus nostris, « quae non sunt, aut qualia non sunt », apparere queant. Ita aurichalcum per se, perinde ac aurum, est verum, quia natura eius, non secus ac auri, exemplari mentis Divinae consentanea est; at, quia speciem, seu similitudinem auri habet, proindeque occasionem intellectui nostro praebet, ut illud esse aurum iudicet, falsum quodammodo dici potest [1]. Quomodo id fiat, iam declaratum a nobis fuit, ubi de *Criterio veri* egimus; in praesentia illud cum s. Thoma demonstremus oportet, nullam rem naturalem posse *simpliciter* dici falsam, sed tantum *per accidens*. Et sane « unumquodque, ut sanctus Doctor argumentatur, secundum id, quod convenit ei per se, simpliciter nominatur, secundum autem id, quod convenit ei per accidens, non nominatur, nisi secundum quid [2] ». Atqui res naturales *per se*, et *principaliter* ad Intellectum Divinum, et *per accidens*, ac *secundario* ad intellectum humanum ordinem habent. Ergo « simpliciter loquendo omnis res est vera, et nulla res est falsa, sed secundum quid, scilicet in ordine ad intellectum nostrum, aliquae res dicuntur falsae [3] ».

143. Quoniam novimus omne ens esse verum, investigare opus nobis est, in quo ratio veri, sive, ut Scholae etiam loquuntur, in quo verum *formaliter* consistat. Neminem fore arbitramur, qui hanc inquisitionem veluti frustraneam detrectet; siquidem hac de re graviter a recentibus peccatum est. Enimvero ii, qui e Wolfii [4] schola percrebuere, concorditer docent veritatem metaphysicam positam esse in convenientia entis cum iis sumti, quae ipsum constituunt [5]. Contra

---

sunt, quod conceptibus Intellectus Divini respondent; et mensuram esse intellectus humani, quia conceptus intellectus humani sunt veri, quoties naturis rerum, quas repraesentant, consentanei sunt. Cf s. Thom., *Qq. dispp., De Ver.*, q. 1, a. 2 c.; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 61; I, q. XVI, a. 1 c.

[1]) I, q. XVI, a. 1 c. « Unde res, alibi ait, dicitur vera, quae nata est de se facere veram apprehensionem, quantum ad ea, quae apparent exterius in ipsa, et similiter dicitur falsa res, quae nata est facere, quantum ad id, quod exterius apparet de ipsa, falsam apprehensionem, sicut aurichalcum dicitur aurum falsum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 c. Cf quoque *Qq. dispp., De Verit.*, q. 1, a. 10.

[2]) I, q. XVI, a. 1 c.

[3]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. 1, a. 1 c. Praeter ll. citt. legere quoque iuvat *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 *sol.*, et *In lib. V Met.*, lect. XXII. — Aquinati, aliisque Scholasticis praeiverat s. Augustinus in *Confess.* lib. VII, c. 15, n. 21, et *Soliloq.*, lib. II, c. 6, n. 10, et c. 12.

[4]) *Ontol.*, Part. I, sect. III, c. 6, § 495.

[5]) Cf prae ceteris Storchenau, *Op. cit.*, *Ontol.*, sect. 2, c. 5, § 82, Schol., p. 92, ed. cit. Horum opinionem amplexus est Wittenbachius, *Brevis descriptio institutionum metaphysicarum, Ontol.*, c. 3, § 4, Gandavi 1826.

ea, Lockius, quem eius discipuli secuti sunt, docuit veritatem metaphysicam esse convenientiam existentiae realis rerum cum ideis per voces denotatis, quae ad res designandas adhibentur [1]. At Scholastici utramque opinionem post ss. Patres iam exploserant, veritatemque rerum in adaequatione sui cum Intellectu Divino positam esse tradiderant. Horum theoriam breviter exponendam, tuendamque suscipimus. Quoniam ens non potest dici verum, nisi quatenus ordinem ad intellectum habet, duo ad veritatis notionem efficiendam concurrant oportet; eaque sunt *entitas rei*, atque *adaequatio eius ad intellectum*. Apposite s. Thomas: « . . . . veritas rerum existentium includit in sui ratione entitatem earum, et superaddit habitudinem adaequationis ad Intellectum Divinum, vel humanum [2] ». Quod si haec duo ad notionem veritatis efficiendam concurrere certum est, restat, ut, utrumlibet eorum sit *ratio formalis* veritatis, seu id, ex quo verum proprie constituitur, investigemus. Iam haud difficile intelligitur rationem formalem veritatis esse adaequationem rei cum Intellectu Divino, non vero entitatem rei, aut adaequationem eius cum intellectu humano.

144. Et sane, ratio veritatis esse nequit entitas rei, sive, ut Wolfiani aiunt, consensio rei cum iis, quae essentiam suam constituunt. Nam, si entitas rei veritatem eius constitueret, verum non adderet rei ullum respectum, sed esset omnino unum, idemque cum eo, proindeque entitas, et veritas non aliud essent, nisi duae voces, quae rem omnino eamdem significant. Ast hoc consectarium, ipsis Wolfianis concedentibus, falsum est, quia ipsi docent verum non esse ipsum ens, sed proprietatem transcendentalem eius. Ergo ratio veritatis in entitate rei consistere non potest [3].

---

[1]) *Op. cit.* lib. IV, c. 5, § 11, vol. IV, p. 43, ed. cit.

[2]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 8 c.

[3]) Wolfiani illud etiam concedunt, in notione veritatis convenientiam, seu consensum cum aliqua norma contineri. Nisi quod ipsi, ut Storchenavii verbis utamur, contendunt « hanc normam non esse extra ipsum ens quaerendam », quippe quod, « cum metaphysicus de ente in se spectato ratiocinetur, veritas metaphysica eidem sub hac ratione tribuenda est ». (*ibid*). Ast absurdum, quin immo impium est adserere res naturales esse sui ipsius normam; hoc enim est solius Dei, nec ulli rei creatae convenire potest. Enimvero, cum de norma disseritur, cum qua res convenire debet, non aliud huius nomine intelligi potest, nisi exemplar, nempe idea exemplaris, secundum quam res effecta est. Iam, quandoquidem Deus est ens a se, procul dubio aut nulla norma, seu exemplar τοῦ *esse* Eius admittendum est, aut hoc non aliud, nisi Essentia Eius esse potest. Cuius ratio est, quod, cum Deus, uti alias dicemus, per essentiam suam sit, et per essentiam suam se intelligat, essentia sua est quodammodo exemplar sui ipsius; unde Deum esse sui ipsius normam, ac exemplar dici potest. At, cum quaelibet res naturalis, non sit a se, sed *esse* suum a Deo accipiat, exemplar eius non aliud esse quit, nisi illud, quo Deus ipsam creavit. Atqui Deus quamlibet rem secundum ideam, seu exemplar, quod in Intellectu suo habet, creavit. Ergo norma cuiuslibet rei creatae non in ipsa re, quemadmodum Storchenavius voluit, sed in Intellectu Divino, qui causa eius est, quaeratur oportet. Quam-

145. Nec ratio veritatis in convenientia existentiae realis rerum cum ideis intellectus humani, quemadmodum Lockius voluit, ponenda est. Re vera, si certum est essentiam veritatis positam esse in convenientia sui cum intellectu, illud quoque certum est, hunc intellectum non esse humanum, sed Divinum. Namque essentia veritatis rerum ponenda non est in intellectu, ad quem res *per accidens*, se ad quem *necessario* referuntur. Atqui res necessario, seu *per se* referuntur ad Intellectum Divinum, per accidens autem ad intellectum humanum. Ergo veritas rerum in convenientia sui cum Intellectu Divino, non autem cum humano ponenda est. Idem ex eo comprobatur, quod intellectus humanus rem, postquam effecta est, cognoscit. Atqui res ex eo, quod effecta est, vera est, quia, quidquid existit, fatentibus Lockianis, veritatem habet. Ergo veritas rerum ex convenientia sui cum intellectu humano effici non potest.

146. Ex iis, quae hactenus ostendimus, colligitur: 1° veritatem *proprie dictam* inveniri tantum in intellectu, sive qui res efficit, sive qui res cognoscit; in rebus vero inveniri veritatem *improprie dictam*, quia, cum res non sint verae, nisi quatenus ordinem ad intellectum ipsas sive efficientem, sive cognoscentem habent, *esse* illarum non est verum per se, sed ex eo tantum, quod est id, in quo veritas illarum fundatur [1]. Hoc sensu veritatem s. Augustinus accepit, ubi illam post Platonem [2] definivit his verbis: *Verum est id quod est* [3]; 2° scite a Scholasticis sancitum fuisse quod *verum cum ente convertitur* [4]. Nam cum veritas rei in entitate eius fundetur, liquet quidquid est verum, esse ens; et cum omne ens ordinem ad Intellectum Divinum necessario habeat, liquet etiam, quidquid est ens, esse verum; unde omne ens est verum, et omne verum est ens.

147. Explorata notione veritatis, duas quaestiones, quae circa illam versantur, expendere iuvabit. Prima est, utrum una sit tantum veritas, an plures. Haec quaestio, quam Scholastici, nonnulla loca s. Au-

---

obrem, si veritas, asserente eodem Storchenavio, convenientiam rei cum quadam norma sui includit, dicendum est essentiam, seu rationem formalem veritatis positam non esse in entitate rei, sed in conformitate eius cum Intellectu Divino, hoc est, cum idea, secundum quam Deus rem creavit. Ratio autem, quam Storchenavius adduxit, philosopho, certe non ignobili, indigna est; siquidem, cum ens creatum non sit ex se, sed Deum auctorem sui agnoscat, haud possibile est notionem, proprietatesque eius omnino perspicere, nisi non modo prout est in se, sed etiam prout a Deo pendet, consideretur.

[1]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 4 c. Et sane res ex eo, quod est id, quod est, seu essentiam habet, respondet ideae, seu exemplari Divini Intellectus, et ad notitiam sui in intellectu humano gignendam concurrit. « Ex hoc enim, inquit idem sanctus Doctor, quod res formam habet, artem Divini Intellectus imitatur, et sui notitiam in anima gignit »; *Op. cit.*, ibid., a. 10 ad 3.

[2]) *In Phaedr.*, et *in Hyppia.*

[3]) *Solil.*, lib. II, c. 5, n. 8.

[4]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 2 ad 1.

gustini explicare volentes, solide, luculenterque tractarunt, non parvi momenti in hac aetate est. Etenim Ontologi docent, atque inculcant unam esse veritatem, ex qua omnia, quae sunt, vera sunt, eamque esse Deum, quippe quod, cum verum sit id quod est, consequitur, quemadmodum Deus est dumtaxat ens, ceteraeque res sunt τοῦ *esse* Eius participes, ita Deum esse unicam veritatem, ceterasque res veritate Eius esse veras. Ex quo colligunt, uti alibi dictum est, mentem humanam non posse ullum verum cognoscere, nisi Deum intueatur, quia, cum Deus sit unica, eaque summa Veritas, nulla res veluti vera alibi, quam in Deo, apprehendi potest [1].

148. Verum Ontologi hac in re, perinde ac in aliis multis, vehementer hallucinantur. Enimvero, si res naturales, et vis intellectrix mentis humanae ad Deum, tamquam ad primam, et supremam causam sui, relatae considerentur, neutiquam dubitari potest, quin omnes res naturales, omnesque conceptiones intellectus humani verae ex veritate Dei sint. Nam, cum quidquid in natura rerum est, a Deo *esse*, et vim operandi accipiat, consequitur *esse* rerum naturalium esse quamdam participationem τοῦ *esse* Dei, et lumen intelligibile mentis humanae esse quamdam participationem luminis increati Dei. Atqui res naturales, quatenus sunt, veritatem habent, et intellectus, ob lumen intelligibile, quo pollet, veritatem rerum apprehendit. Ergo si res naturales, et conceptiones intellectus humani ad Deum relatae considerentur, iure optimo dici potest ipsas esse veras ex veritate Dei, ideoque unam esse Veritatem, qua omnia vera sunt [2].

149. At, si quodammodo dici potest unam esse Veritatem, qua omnia vera sunt, inde inferendum non est, uti s. Thomas advertit, singulas res naturales, singulasque conceptiones intellectus propria veritate non gaudere. Enimvero, si exploratum est *esse* cuiusque rei esse quamdam participationem τοῦ *esse* Dei, et lumen intelligibile intellectus humani esse quamdam participationem luminis intelligibilis Dei, nemo, nisi qui pantheismum profitetur, negare potest *esse* cuiuslibet rei creatae esse re ipsa distinctum ab *esse* Dei, et lumen intelligibile intellectus humani esse in se re ipsa distinctum a lumine intelligibili Dei [3]. Atqui quaelibet res naturalis, ut modo diximus, est

1) Vid. Malebranche, *Entrèt. sur la mètaph.*, Entret. VIII, t. I, p. 524 sqq, Paris 1712, et Thomassin, *Dogm. theol., de Deo* etc., lib. I, III, et IV, t. I, passim, ed. cit.

2) « Te invoco, s. Augustinus scribit, Deus Veritas, in quo, a quo, et per quem vere sunt quae vera sunt omnia »; *Solil.*, lib. I, c. 1, n. 3. Cf *De vera Religione*, c. 36, n. 66.

3) Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 2 c. S. Thomae, aliisque Scholasticis praeiverat s. Augustinus, «Veritas, scribens, una est, qua illustrantur animae sanctae; sed quoniam multae sunt animae, in ipsis multae veritates dici possunt: sicut ab una facie multae in speculis imagines apparent» (*Enarr. in Psalm. XI*, n. 2). Hinc vides quanta iniuria Ontologistae a s. Augustino suam theoriam accepisse praedicent.

vera eo quod est ens, ac intellectus est verus, eo quod per lumen intelligibile veritatem rei assequitur. Ergo, si *esse* cuiuslibet rei est re ipsa distinctum ab *esse* Dei, et lumen intelligibile intellectus humani est re ipsa distinctum a lumine intelligibili Dei, consequens est quamlibet rem, et quamlibet conceptionem intellectus propria veritate gaudere [1]. Quamobrem, quamvis omnium rerum, omniumque conceptionum, si ad causam sui primam, et supremam, nempe Deum, referantur, una sit veritas; tamen plures sunt in intellectu humano veritates proprie dictae, pluresque in rebus naturalibus veritates improprie dictae, eaeque tot sunt in intellectu, quot sunt eius conceptiones, totque in natura rerum, quot sunt res [2].

150. Altera quaestio in eo versatur, num veritas rerum sit necessaria, immutabilis, ac aeterna. Quisquis ex se intelligit quaestionem hoc in loco esse de veritatibus, quae rerum essentias, et relationes sive reales, sive logicas spectant, non autem de veritate rerum singularium, prout singulares sunt. Nam, cum veritas rerum singularium, prout singulares sunt, versetur circa accidentia, quibus naturae universales in ipsis determinantur, ipsam variare nemo sanae frugis inficiabitur. Iam permulti recentes, cum, secundum Cartesii placita, essentias rerum esse necessarias, immutabiles, atque aeternas negassent, cohaerenter docuere non dari in rebus veritates, quae aeternae, immutabiles, ac necessariae sunt.

151. At vero, si veritates in se spectentur, ipsas esse aeternas, necessarias, ac immutabiles indubium est. Nam veritates in se spectatae exhibent relationes, quae inter res ab ipsarum essentiis oriuntur. Atqui essentiae rerum sunt necessariae, et immutabiles. Ergo necessariae quoque, et immutabiles sint oportet relationes, quae ab ipsis inter res oriuntur. Sin relatae ad Intellectum Divinum considerentur, non solum sunt immutabiles, et necessariae, sed etiam aeternae. Sunt necessariae, et immutabiles, quia, cum Intellectus Divinus sit causa rerum, essentiae, et relationes rerum, quae sunt obiectum illarum veritatum, necessitatem, et immutabilitatem suam repetunt ab Ideis Intellectus Divini, quibus ipsae respondent. Sunt et aeternae, quia omnes ideae rerum in Intellectu Divino ab aeterno sunt. Denique, si veritates non considerentur in se, sed relatae ad intellectum humanum, qui illas apprehendit, necessariae quoque, ac immutabiles dicendae sunt. Namque intellectus tum verum assequitur, cum se rebus adaequat, hoc est, cum res tales apprehendit, quales ipsae in se sunt. Atqui essentiae rerum, earumque relationes sunt necessariae, et immu-

---

[1]) Cf eumdem Aquinatem, *ibid.* Ex quo patescit Ontologismum vel ex hoc capite esse pantheismō adfinem.

[2]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. 1, a. 4 c. Breviter s. Bonaventura: « Similiter cum dicitur quod omnia sunt vera Veritate increata, ablativus dicit causam formalem exemplarem »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, pars 1, a. 1, q. 1 *ad arg.*

tabiles. Ergo veritates, quatenus sunt obiectum intellectus humani, necessariae quoque, et immutabiles dicendae sunt. Nihilominus, si huiusmodi veritates sunt necessariae, et immutabiles, certe intellectus, qui illas apprehendit, tum mutari, tum progredi potest. Ipse enim, cum in veri cognitione interdum fallatur, errorem suum detegere, proindeque ab errore ad veritatem transire potest; et cum in acquisitione scientiae gradatim natura sua progrediatur, cognitionem veritatis perficere in dies potest [1].

152. Quae cum ita sint, concludendum est a vero longe aberrare non solum Cartesianos, qui veritates non esse necessarias, et immutabiles docent, sed etiam Progressistas, qui, ut alibi diximus [2], illas ab una ad aliam aetatem progredi obganniunt; siquidem, cum rerum essentiae, earumque relationes necessariae, ac immutabiles sint, huiusmodi esse debent veritates, quae circa illas versantur.

ARTICVLVS NONVS

De bonitate entium

153. Perspecta notione veritatis, ad notionem bonitatis exponendam accedamus. Quae ut recte, penitusque cognoscatur, in primis opus nobis est declarare, in quo perfectio consistat; nam ratio boni, aiente s. Thoma [3], « consistit in perfectione ».

154. Wolfius docuit perfectionem esse consensum in varietate, seu plurium a se invicem differentium consensum in uno; subditque se voce *consensus* significare plurium inter se ita connexorum complexionem, ut ad idem obtinendum conspirent. Puta, horologium est perfectum, si plura, ex quibus componitur, ad horas accurate indicandas concurrant [4]. Hinc Wolfiani asserunt, inculcantque rem perfectam dicendam esse, cum omnia, ex quibus constat, ita connexa sunt, ut fini, ob quem effecta est, adprime respondeant [5].

155. Verum, haec doctrina Wolfii mancam, obscuramque notionem perfectionis nobis exhibet. Et sane, nemo inficiari potest perfectum

---

1) Id persaepe s. Augustinus nos monuit, ex quo haec pauca: « Mentes enim nostrae aliquando eam (*veritatem*) plus vident, aliquando minus, et ex hoc fatentur se esse mutabiles: cum illa in se manens nec proficiat, cum plus a nobis videtur, nec deficiat, cum minus, sed integra, et incorrupta et conversos laetificet lumine, et adversos puniat caecitate »; *De lib. arb.*, lib. II, c. 11, n. 34. Cf *ibid.*, c. 8, n. 20.

2) Vol. I, *Criteriol.*, c. II, art. 2, p. 606, not. 3.

3) I, q. V, a. 5 c., cf ibid., q. XLVIII, a. 5 c., et *Contr. Gent.*, lib. I, c. 37. Cf vol. I, *Dynam.*, c. IV, art. 1, p. 369.

4) *Ontol.*, p. 1, sect. III, c. 6, § 503.

5) Cf Bilfingerum, *Op. cit.*, sect. 1, c. 4, § 122, ed. cit., et Storchenau, *Op. cit.*, *Ontol.*, sect. 2, c. 5, § 85, p. 92, et 93. Eamdem definitionem Baldinotius probavit, *Op. cit.*, c. 5, § 201, p. 205.

dicendum esse omne illud, quod finem sibi praestitutum assequitur, quia, cum omnis res ob aliquem finem effecta sit, procul dubio perfecta dicenda est quaecumque res finem suum assequitur. At, quandoquidem consecutioni finis essentia, operatioque naturaliter praecedunt, perfectio rei tum a fine, tum maxime ab essentia, atque operatione oriatur necesse est. Hinc perfectio rei ex tribus capitibus, nimirum primo ab essentia rei, deinde a vi operandi, demum a fine repetenda est, quia operatio sequitur essentiam, atque operatione finis obtinetur [1].

156. Secundum hanc doctrinam triplex perfectio cum Aquinate nostro agnoscenda in rebus est, scilicet *entitatis, virtutis*, et *finis*. Perfectio *entitatis* existit, cum in re nihil eorum desideratur, quae ad eius integritatem requiruntur. Integritas rei vero est vel *essentialis*, nempe cum res ea omnia habet, quae essentiam eius constituunt, vel *quantitativa*, nempe cum rei non deest ulla partium, quas natura eius expostulat. E. gr., homo est perfectus secundum essentiam, quia animam, et corpus, quae eius essentiam constituunt, habet, atque est perfectus secundum quantitatem, si nulla partium, ex quibus corpus constat, corpori eius desit. Perfectio *virtutis* in re existit, cum ipsa tanta pollet virtute, quanta ad operationem sui propriam exercendam opus ei est. Ita medicus dicitur perfectus, quando artem medicam adeo callet, ut morbis mederi sciat. Denique perfectio *finis* in re agnoscitur, cum ipsa ita comparata est, ut finem suum consequatur. Finis autem vel est ipsa operatio, cuiusmodi est in horologio horas indicare, vel aliquid, quod operatione obtinetur, puta aedificare domum est finis artificis, qui extra artificem est.

157. Iamvero, cum de rebus naturalibus agitur, hasce tres species perfectionis sibi respondere perspicuum ex se est. Enimvero, quandoquidem in qualibet re essentia est principium operationis, et quaelibet res per operationem suam finem suum consequitur, necesse est, ut vis operandi essentiae, et finis utrique respondeat. Hinc, quo perfectior est rei essentia, eo perfectior vis operandi in ea esse debet, et perfectior etiam finis, ad quem res spectat. E. g., quia hominis essentia perfectior est essentia bruti, ipse actiones perfectiores, quam quae bruti propriae sunt, habet, scilicet *velle* et *intelligere*, atque ad nobiliorem, quam brutum, finem destinatur.

158. Notioni *perfecti* opponitur notio *imperfecti*. Quare quemadmodum *perfectum* id dicitur, cui nihil eorum, quae ad ipsum constituendum requiruntur, deest, quodque propriam operationem habet, propriumque finem assequitur; ita imperfectum vocatur id, quod vel uno, pluribusque eorum destituitur, quae ad ipsum constituendum necessaria sunt, vel actionem sui propriam exerere ab aliqua causa prohibetur, ideoque finem suum non assequitur. Ita imperfectum est horo-

[1]) I, q. LXXIII, a. 1 c.

logium, si una, pluresve partes in ea desiderantur, vel si, cum nulla parte destituatur, aliquo vitio laborat, ob quod horas vel perperam, vel nullo modo indicat.

159. Porro *absolute* perfectum a *relative* perfecto distinguendum est, *Absolute* perfectus, ut suo loco ostendemus, est unus Deus, quia quidquid entis esse potest, in Eo nullo limite circumscriptum invenitur. *Relative* perfectae sunt res creatae; hae enim, cum per diversa genera, diversasque species inter se discriminentur, unaquaeque illarum tantum perfectionis habet, quantum genus, quo continetur, expostulat [1].

160. Explorata notione perfectionis, in promptu est intelligere, quid sit bonitas, et quomodo ea sit proprietas entis. Wolfius, postquam perfectionem definivit, statim advertit illam esse ipsam bonitatem, quam Scholastici inter proprietates transcendentales entis numerarunt [2]; ex quo patet notionem bonitatis, Wolfii sententia, esse eamdem, ac notionem perfectionis. Wolfio frequentissima cohors sectatorum eius adhaesit. Ast hi cum duce suo valde hallucinati sunt. Enimvero bonitas in perfectione, ut Scholastici docuere, posita est, non quod notio bonitatis ex perfectione constituitur, sed quod haec illius principium, et fundamentum est. Et sane, ens dicitur perfectum, prout in se spectatur; siquidem omne ens habet id, quod est, seu essentiam, habet et propriam vim agendi, quae ab essentia eius manat, habet denique aliquem finem ad quem destinatur. Atqui ens, non prout est in se, sed prout ordinem ad aliud habet, vocatur bonum, quippe quod dicitur bonum, prout ad appetitum refertur. Ergo notio bonitatis ex notione perfectionis non constituitur. Verum, si notio perfectionis non constituit notionem bonitatis, procul dubio huius principium, et fundamentum est. Namque ens dicitur bonum, prout ad appetitum spectat. Atqui ens, prout est perfectum, est obiectum appetitus; quaelibet enim res naturaliter appetit id, quod ipsam perficit [3], atque ens, eo quod est perfectum, est principium, ex quo aliquid perfici potest. Ergo ens, ex eo quod est perfectum, bonum est. Apposite s. Thomas: « Ex hoc igitur unumquodque bonum est, quod perfectum est; et inde est, quod unumquodque suam perfectionem appetit, sicut proprium bonum [4] ».

161. Ex quibus omnibus intelligitur perfectionem non constituere, quemadmodum Wolfio, eiusque asseclis visum est, propriam ratio-

---

[1]) Advertendum est res creatas, si ad Deum relatae considerentur, posse imperfectas dici, quemadmodum a Philosophis Christianis re ipsa dictae fuere, quia limes, quo *esse* cuiuslibet rei creatae coarctatur, quaedam imperfectio est. « Quod perfectum, inquit s. Augustinus, videtur hominibus, illi perfectioni adhuc imperfectum est »; *Enarr. in Psalm. XCVIII*, n. 12.

[2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) Quomodo appetitus non solum in rebus, quae cognitione pollent, sed in iis etiam, quae cognitionis expertes sunt, inveniatur, explicuimus in *Dynamil.*, c. IV, art. 1, p. 370-371, vol. I.

[4]) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 37.

nem boni, sed ipsam, ut Scholae aiunt, *fundare*. Etenim ens non dicitur bonum ex eo dumtaxat, quod perfectum est, sed ex eo quod cum perfectum sit, *appetibile* est; quapropter ratio boni proprie posita non est in eo, quod ens est perfectum, sed in eo, quod est appetibile; et bonum proprie dicitur ens, quatenus est appetibile, non vero quatenus est perfectum [1].

162. Iamvero ex iis, quae ad notiones perfecti, et boni explicandas breviter diximus, omne ens esse bonum luculenter perspicitur. Etenim omne ens est perfectum, quippe quod, uti ex dictis patet, fieri non potest, ut quaelibet res essentia sua, ac proinde virtute, et fine, quae essentiae respondent, destituatur. Atqui ens, quatenus est perfectum, ab omnibus appetitur, et quatenus ab omnibus appetitur, bonum vocatur. Ergo omne ens est bonum. Quin etiam non modo omne ens est bonum, sed etiam bonum, perinde ac verum, idem *re* cum ente est, nec differt ab eo, nisi *ratione*. Idem *re* cum ente est. Nam ens est bonum, quatenus est appetibile; atqui est appetibile, quatenus est perfectum, et est perfectum, quatenus est ens, quia aliquid ex eo, quod est ens, tres perfectiones, quas diximus, habet; bonum igitur *re* idem cum ente est. Differt autem *ratione* ab ente, quia aliquid dicitur ens, prout absolute spectatur, bonum autem, prout ad appetitum refertur. Quocirca bonum, perinde ac verum, enti non aliquid reale, sed dumtaxat aliquam rationem, seu respectum addit [2].

163. Ad notionem boni, prout bonum est proprietas transcendentalis entis, probe assequendam, e re est praecipuas quasdam divisiones eius innuere. Et primo, bonitas in *essentialem* atque *accidentalem* dividitur. Id s. Thomas probavit hoc brevi argumento: Bonum, et ens secum convertuntur; atqui ens, ut antea vidimus, est vel essentiale, vel accidentale; ergo bonum quoque est vel essentiale vel accidentale. Ut exemplum ab eodem Doctore mutuemur, *esse sentiens*, et *rationale* est homini bonum essentiale, quia utrumque essentiam hominis constituit; *esse* autem *bona valetudine*, aut *scientia praeditum* est homini bonum accidentale, quia *valere*, et *scire* sunt accidentia eius [3], Iam bonitas essentialis unius rei maior, quam bonitas essentialis

---

[1]) « Ratio igitur boni, s. Thomas ait, in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile; unde Philosophus in I *Ethic.* dicit, quod *bonum est quod omnia appetunt* »; I, q. V, a. 1 c. Ex hoc illud fluit, quod iam in *Dynamil.* (loc. cit., p. 371, not. 1) innuimus, nempe bonum habere rationem finis. Nam finis cuiusque rei dicitur illud, in quod appetitus fertur. Atqui appetitus eiusque rei fertur in bonum, quia omnis res appetit id, quod est sibi conveniens, atque id, quod rei convenit, est eius bonum. Ergo bonum rationem finis habet. Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. III, c. 16, et I, q. V, a. 4 ad 1.

[2]) Cf s. Thom., I, q. V, a. 1 c. Hinc idem Doctor ait: « In rebus unumquodque tantum habet de bono, quantum habet de esse; bonum enim, et ens convertuntur »; 1ª 2ae, q. XVIII, a. 1 c, Cf s. Bonav., *In lib.* II *Sent.*, Dist. I, pars II, dub. 2.

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, q. I, a. 1 *sol.*, et *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXI, a. 2 ad 6.

alterius, esse potest; nam, quoniam naturas rerum alias aliis perfectiores esse non repugnat, nihil prohibet, quin bonitas essentialis quae in perfectione rei fundatur, maior in una, quam in alia sit. At bonitas essentialis cuiusque rei nullum augmentum aut diminutionem admittit, quia, si essentiae rei, uti ostendimus, quidquam addatur, aut detrahatur, res ipsa tollitur [1]. Contra ea, bonitatem accidentalem cuiusque rei augeri, aut minui non repugnat, quippe quod *esse* accidentale essentiam rei non constituit, sed constitutam expostulat [2].

164. Praeterea, bonitas *metaphysica* a *physica*, atque a *morali* distinguenda est. Bonitas enim *metaphysica*, seu *transcendentalis* rei in eo consistit, quod res, prout est ens, appetitur; unde bonum *metaphysicum* est ipsum *esse* rei ex ea parte spectatum, quatenus appetitum movere potest. Bonitas *physica* autem rei in eo posita est, quod res, non prout est ens universe spectatum, sed prout est aliquod determinatum ens, appetitur; hinc bonum *physicum*, seu *naturale* dicitur omne ens determinatum, quod aliqua natura, prout ab ipso perficitur, appetit. Denique bonitas *moralis* rei ex eo existit, quod res appetitur, prout cum regulis morum consentit. E. g., *scire*, si ab homine appetitur, prout est ens, est bonum *metaphysicum* eius; sin prout est ens, quod naturam eius peculiari quodam modo perficit, est bonum *physicum* eius; sin demum prout ei opus est ad obeundum aliquod munus, quod suscepit, puta medici, aut causidici, aut sacerdotis, est bonum *morale*.

165. Illud denique praetereundum non est, quemadmodum omnia vera sunt ex una veritate Dei, ita quoque omnia esse bona ex una bonitate Dei. Ex multis argumentis, quae s. Thomas attulit, seligimus hoc breve et valde luculentum: Bonum cuiuslibet rei id est, quod ipsam perficit, quia bonitas, uti ante diximus, in perfectione consistit. Atqui Deus omnes perfectiones infinita sua perfectione comprehendit. Ergo Deus infinita sua bonitate omnes bonitates comprehendit. Iam, si bonitate infinita Dei omnes bonitates continentur, certe quidquid extra Deum bonum est, ex una bonitate divina bonum est [3]. Verum enimvero, quoniam diversarum rerum perfectiones et a se invicem, et ab infinita perfectione Dei sunt distinctae, consequitur cuilibet rei creatae esse bonitatem propriam, proindeque tum a perfectione Dei, tum a perfectionibus reliquarum rerum creatarum distinctam [4]. Quamobrem concludendum est omnium rerum naturalium, si ad Deum relatae considerentur, unam esse bonitatem; sin in se ipsis, tot esse rerum bonitates, quot naturae rerum sunt, quia omne bonum creatum

---

1) Hinc s. Augustinus docuit tamdiu rem aliquam bonam permanere, quamdiu est, et corrupta non est; et, cum corrupta est, sicut non est amplius illa natura, sic nec bona est; *De natura boni*, c. IX, et XX.

2) *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, q. 1, a. 1 *sol.*

3) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 40, n. 1.

4) « Omnes creaturae, scribit s. Augustinus, habent quoddam bonum integritatis suae, et perfectionis naturae suae »; *In Ps. CIII*, n. 8.

« habet, ut s. Augustinus inquit, de illo Summo Bono, ut sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente [1] ».

166. A notione boni ad notionem mali, quod bono opponitur, intellectus facile progreditur. Revera ipse, postquam novit fundamentum bonitatis rei in eo positum esse, quod res essentiam, proprietatesque habet, quae ad naturam eius expostulantur, quaeque ipsi ad finem suum assequendum necessariae sunt, nullo negotio intelligit posse res aliquando carere aliquo modo entis, sive aliqua proprietate, quam natura eius expostulat quidem, sed non ita, ut, ipsa sublata, res tollatur. E. g., quoniam novimus visionem esse bonum hominis, quia ipsa ad naturam animalis perfecti constituendam requiritur, haud difficulter intelligimus fieri posse, ut homo, ob vitium oculorum, visione destituatur, nec tamen homo esse desinat. Iamvero defectus boni, quod res natura sua habere debet, malum rei vocatur; quapropter « malum, ut scite s. Thomas illud definivit, est defectus boni, quod natum est, et debet haberi [2] ».

167. Ex quo patescit malum non esse positum in aliqua entitate, et ne in simplici quidem defectu entitatis, sed in illo defectu entitatis, qui *privatio* dicitur; privatio enim, uti antea dictum est, denotat defectum entitatis in re, quae illam naturaliter habere debet. Apposite s. Augustinus: « Malum non secundum essentiam, sed secundum privationem verissime dicitur [3] ». Haec notio mali, quam s. Augustinus tradidit, ei cum cunctis Patribus graecis, et latinis communis est [4]; verum, his brevitatis gratia omissis, praestat audire s. Thomam, qui, quid defectus universe sumtus, et defectus, qui malum dicitur, differant, clare exposuit, exemplisque illustravit. « Malum, inquit, nomen privationis est, unde carentia alicuius, etiamsi non sit natum haberi, defectus potest dici, sed non potest dici malum, nisi sit defectus eius boni, quod natum est haberi; unde carentia vitae in lapide potest dici defectus, sed non malum; homini vero mors est et defectus, et malum [5] ».

168. Ex definitione mali, quam statuimus, multa perspicere nobis licet, quae et ad eius notionem omnino cognoscendam, et ad quosdam exitiales errores vitandos sunt necessaria.

---

1) *De mor. Manich.*, c. 4, n. 6. Cf de hac re s. Thom., I, q. VI, a. 4 c. Hinc illa divisio boni in bonum a se, et bonum per participationem, seu ab alio. Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. VIII, c. 2, et *Qq. LXXXIII*, q. XXIV.

2) I, q. XLIX, a. 1 c.

3) *De mor. Manich.*, lib. II, c. 4, n. 6. Cf *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 22,; *De vera Relig.*, c. 23, n. 4, et *De Doctr. Christ.*, lib. I, c. 32, n. 35.

4) Horum loca videre licet apud Suarez, *Dispp. Met.*, Disp. XI, sect. I, n. 3, et Vasquez, In 1ª 2ae, Disp. XCV, c. 4.

5) *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 2 *sol.* « Non autem, alibi scribit, quaelibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni et privative, et negative. Remotio igitur boni negative accepta mali rationem non habet: alioquin sequeretur, quod ea, quae nullo modo sunt, mala essent... Sed remotio boni privative accepta malum dicitur; sicut privatio visus caecitas dicitur »; I, q. XLVIII, a. 3 c.

1° Conceptus mali non est nec affirmativus, nec negativus, sed privativus. Cuius rei ratio est, quod, ut modo vidimus, conceptus mali non ponit absolute aliquod ens, uti conceptus affirmativus, nec tollit absolute aliquod ens, uti conceptus negativus, sed negat aliquod ens in subiecto, quod ad illud habendum naturaliter comparatur; hoc autem proprium conceptus privativi est [1].

2° Conceptui mali non respondet in rebus aliquid reale, quod natura quaedam, vel aliquid naturae sit, sed tantum defectus realitatis in aliqua natura, in qua malum invenitur. Nam, cum conceptus mali non significet ens, sed non ens, nihil reale in re respondere ipsi potest [2]; verum, quoniam non significat non ens absolute sumtum, sed non ens, quod est in ente, veluti subiecto sui, ei defectus realitatis in re, in qua est, vere respondet. Hinc sapienter Angelicus Doctor post s. Augustinum advertit malum quodammodo inveniri, et quodammodo non inveniri in natura rerum, quia, si non est in natura veluti pars eius, certe in natura, tamquam in subiecto sui, invenitur [3]. Quapropter, cum dicitur malum esse in aliqua natura. *esse*, quod malo tribuitur, non est ens, *actuale*, sive ens, quod per decem categorias dividitur, sed est ens *logicum*, seu ens, quod praedicatum cum subiecto coniungit [4]. Enimvero non est ens actuale, quia malum non ponit aliquid reale in subiecto, in quo est, sed est ens logicum, quia, cum dicitur aliquid *esse privatum* aliquo modo entis, privatio cum subiecto coniungitur [5]. Puta in hoc iudicio: *Petrus est caecus*, verbum *est* non denotat caecitatem habere aliquam realitatem in Petro, sed dumtaxat caecitatem cum Petro esse coniungendam.

3° Malum in aliquo bono fundatur. Etenim malum, ut modo diximus, cum non sit ens, sed defectus entis, non potest existere per se, sed oportet, ut in aliquo subiecto existat. Atqui omne subiectum est quoddam bonum, quia omnis substantia, uti ante ostendimus, est bona. Ergo malum in bono fundatur [6].

---

1) « Malum, ait s. Thomas, distat et ab ente simpliciter, et non ente simpliciter, quia neque est, sicut habitus, neque sicut pura negatio, sed sicut privatio »; I, q. XLVIII, a. 2 ad 1. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 4 ad 2.

2) « Nullum ens, ait s. Thomas, dicitur malum, in quantum est ens, sed in quantum caret quodam esse »; I, q. V, a. 3 ad 2.

3) *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVII, q. I, a. 1 ad 2. Brevissime s. Augustinus: «Nec ubi sit (*malum*) habet, nisi fuerit in natura »; *Cont. Iul. Pel.*, lib. III, c. 24, not. 56.

4) Cf p. 6, not. 3.

5) *Cont. Gent.*, lib. III, c. 9.

6) Vid. hoc, aliaque argumenta apud s. Thomam, *Cont. Gent.*, lib. III, c. 11, et *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 4. Cf s. Bonavent., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, a. 2, q. 3 *resol.* Nemo vero existimet malum non posse fundari in bono, ex eo quod malum negat bonum. Nam malum non negat bonum rei, in qua veluti in subiecto est, sed de re negat aliquod bonum, quod ipsa naturaliter habere debet. Apposite s. Thomas: « . . . malum non est, sicut in subiecto, in bono, quod ei opponitur, sed in

4° Malum non ex se, sed ex bono, quod in subiecto negat, cognoscitur. Etenim nihil, ut saepe diximus, cognoscitur, nisi prout est ens; sed malum non est aliquod ens, sed est non ens, quod aliquod ens in subiecto negat; ergo malum non cognoscitur ex se, sed ex ente, quod ipsum in subiecto negat. Iam ens, quod in subiecto negat, est aliquod bonum, quia omne ens est bonum; hinc reliquum est, ut malum ex bono, cui opponitur, cognosci dicatur [1].

5° Conceptus mali non est conceptus obiectivus, sed conceptus subiectivus, qui in natura rerum fundatur. Et sane, ipse non est obiectivus, quia ei nihil reale respondet in re, cui malum tribuitur; at non est mere subiectivus, quia in re, cui tribuitur, reapse est defectus alicuius realitatis, quam natura eius expostulat [2].

6° Causa mali non est malum, sed bonum. Id, quod s. Augustinus saepe docuit [3], dilucida argumentatione ab Aquinate demonstratum est hoc modo: « Malum est defectus boni, quod natum est, et debet haberi. Quod autem aliquid deficiat a sua naturali, et debita dispositione, non potest provenire, nisi ex aliqua causa trahente rem extra suam dispositionem... Esse autem causam non potest convenire, nisi bono; quia nihil potest esse causa, nisi in quantum est ens. Omne autem ens, in quantum huiusmodi, bonum est [4] ». Nisi quod bonum *per accidens* causa mali dici potest; idque fit, quoties malum ex bono oritur non propter ipsam virtutem efficientem causae, sed propter defectum, qui causae efficienti accidit, vel propter aliquod impedimentum, quod ipsi apponitur. Nam « malum, ut s. Bonaventura argumentatur, eo modo, quo habet esse, eo modo habet et fieri; et quoniam malum privatio est, et defectus, hinc est quod sicut malum esse non est aliquid vere esse, sic nec malum effici est vere ab aliquo fieri, ut efficiente, sed vi deficiente [5] ». E. g., imperfectio motus procedit in animali non ab ipsa vi motrice, prout est vis, sed ex eius debilitate, vel ex membrorum defectu [6]. Si quando ex ipsa virtute agentis oritur malum, hoc praeter eius intentionem, ac proinde etiam *per accidens* ab illa efficitur; nam cum omne agens, uti in *Dynamilogia* ostendimus [7], agat

---

quodam alio bono: subiectum enim caecitatis non est visus, sed animal »; I, q. XLVIII, a. 3 ad 3. Iuvat legere *Cont. Gent.*, lib. III, c. 11, n. 4.

[1]) I, q. XIV, a. 10 ad 4; *ibid.*, q. XLVIII, a. 1 c.; *Quodlib.* XI, a. 2 c.

[2]) Cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[3]) Puta, ubi ait: « Ex bono oritur malum, nec fuit omnino, unde oriri possit, nisi ex bono »; *De nuptiis, et concup.*, lib. II, c. 28, n. 48.

[4]) I, q. XLIX, a. 1 c. Cf *In lib II Sent.*, Dist. XXXIV, q. 1, a. 3 *sol.* Nihilominus, ut advertit sanctus Doctor, malum aliquid potest agere « formaliter, eo modo loquendi, quo dicitur albedo facere album. Et sic malum etiam ratione ipsius privationis, dicitur corrumpere bonum; quia est ipsa corruptio, vel privatio boni »; I, q. XLVIII, a. 1 ad 4.

[5]) *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[6]) Cf s. Thom., I, q. XLIX, a. 1 c.

[7]) Cap. IV, art. 1, p. 369 vol. I.

propter bonum, fieri nequit, ut agens sua actione ad malum spectet, sed tantum fieri potest, ut spectet ad bonum, cum quo illud malum coniungitur.

7° Non datur, nec dari potest malum *metaphysicum*. Multi recentes post Leibnitium[1], praeter malum *physicum*, et malum *morale*, malum *metaphysicum* quoque agnoscunt, atque hoc in imperfectione, sive in limitatione cuiuslibet rei creatae positum esse pertendunt[2]. Non defuere inter veteres, qui, teste Augustino, « dicebant Deum creasse malas naturas, atque substantias, in quantum sunt naturae, atque substantiae[3] ». Manichaei vero, ut suo loco dicemus, aliquod principium summum, et infinite malum admittebant, ut cur mala in mundo sint, inde explicarent[4]. At vero a Scholasticis post ss. Patres luculenter demonstratum est notionem mali metaphysici esse longe absurdam, sive pro malo metaphysico aliqua substantia, sive limitatio rerum creatarum propria intelligatur. Et sane, ullam dari naturam, seu substantiam malam omnino repugnat. Id probare lubet duobus argumentis, quae ex dictis facile intelliguntur. Primum huiusmodi est: Malum non est aliquid reale, quod per se existit, sed est defectus alicuius realitatis in subiecto, quod illam habere debet. Atqui natura, sive substantia est aliquid cum reale, tum per se existens, seu subsistens. Ergo malum aliqua natura esse non potest[5]. Alterum, quod fere ad idem redit, ita se habet: Malum in aliquo bono fundetur necesse est. Atqui natura, seu substantia est aliquid, quod est per se bonum. Ergo notioni mali repugnat esse aliquam substantiam[6]. Id ss. Patres contra Manichaeos constanter propugnarunt, ex quibus nominare satis est s. Augustinum, et s. Leonem. Ille: « Nulla natura, inquit, vel, si melius ita dicitur, substantia, sive essentia malum est[7] »; hic vero: « Prorsus nulla est substantia mala, nec ipsius mali est ulla natura[8] ». Nec dici potest imperfectionem, seu limitationem cuiuslibet rei crea-

---

1) *Theod.*, part. II, § 209.

2) Vid. Christian. Wolfium, *Theol. nat.*, par. I, § 372; Bilfingerum Comm. *De origine et permissione mali, praecipue moralis*, § 83 sqq, Francof. et Lipsiae 1724, et *Diluc. phil.*, c. IV, § 474, ed. cit.; Christoph. Wolfium, *Manichaeismus ante Manichaeos*, sect. 3, n. 16, Hamburgi 1707; King, *De origine mali*, c. 2, n. 2, Londini 1702; Genuensem, *Elem.*, part. III, c. 4, Prop. 25, et *Append.* ad c. 4, § 9; atque, aliis omissis, Baldinottium, *Op. cit.*, c. V, § 258.

3) *De haeres*, n. 59.

4) *Confess.*, lib. IV, c. 15, n. 24; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 27.

5) Vid. s. Thom., I, q. XLVIII, a. 1 c.

6) Hinc intelligis vel ex hoc tantum refelli Luthérum, Flacium Illyricum, aliosque, qui peccatum originale esse quamdam substantiam malam autumarunt. Vid. Bellarminum, *De amissione gratiae* etc., lib. V, c. 1 sqq.

7) *De vera Relig.*, c. 23, n. 4.

8) Serm. IV, *De Quadrag.* Idem Pontifex hanc doctrinam ad Fidem pertinere monuit. « Fides vera, ait, confitetur mali nullam esse naturam »; *Epist. ad Turribium*, c. 6.

tae esse malum metaphysicum. Nam malum est defectus alicuius realitatis in aliqua natura, quae illam habere debet. Atqui quaelibet res limitationem sui *esse* expostulat, nedum illam excludit. Ergo res creatae malae dicendae non sunt ex eo, quod illarum *esse* quibusdam limitibus circumscribitur. Si doctrina Leibnitii, quam permulti philosophi sectati sunt, vera esset, « sequeretur, ut iam s. Thomas advertit, ... quod quaelibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei; utpote, quod homo esset malus, quia non habet velocitatem caprae, vel fortitudinem leonis [1] »; id quod certe ferendum non est [2].

169. Denique, quamvis de manichaeismo alias agendum nobis sit; tamen non inopportunum est hic innuere, quomodo dogma de existentia primi, et summi principii mali, quod eius cardo est, ex dictis facile explodatur. Et sane, cum malum opponatur bono, summum malum, si re ipsa daretur, omne bonum tolleret; atqui bonum convertitur cum ente; ergo, si summum malum daretur, hoc tolleret omne ens, sive esset non ens absolute sumtum. Hinc summum malum non aliter concipi potest, quam veluti *Nihil absolutum*; sed notio Nihili absoluti, uti ante ostendimus, se ipsam destruit, quia esset simul omne ens, et nullum ens. Ergo notio mali summi est notio, quae se ipsam destruit. Praeterea nihil intelligi potest veluti summum malum, nisi quod malum per suam essentiam est, quemadmodum non aliud summum Bonum, nisi quod per suam essentiam est bonum. Atqui repugnat aliquid esse per essentiam suam malum, quia omne ens, prout est ens, est bonum. Ergo summum malum esse repugnat [3].

170. Quae cum ita sint, inde conficitur non alia malorum genera, quam *physicum*, seu naturale, et *morale* admittenda esse. Malum *physicum*, sive, ut s. Thoma ait, *malum naturae* est illud, quod invenitur in aliqua natura, cum ei quidquam illorum deest, quae ipsa habere debet, puta *caecitas* in homine. Malum autem morale est illud, quod in actione humana invenitur, cum haec ad morum regulas ordinem non habet. Has definitiones innuisse satis sit, quia in *Theologia naturali* aliquid delibandi de his occasio nobis se offeret. Hic dumtaxat illud monendum censemus, quod ex modo dictis sponte sua fluit, scilicet mala, quae in mundo sunt, non posse reduci ad aliquid, quod per essentiam suam malum est, quemadmodum bona ad aliquid, quod est per suam essentiam bonum. Enimvero bona, quae in mundo sunt, ad aliquid, quod est per suam essentiam bonum, reducuntur, quia omnes res, quemadmodum ostendimus, bonae sunt ex eo, quod participes sunt infinitae Bonitatis Divinae. At « nullum ens, ut s. Thomas

---

1) I, q. XLVIII, a. 3 c.

2) Cf s. Aug., *Contr. advers. Legis, et Proph.*, lib. I, c. 4.

3) Cf s. Aug., *Qq. LXXXIII*, q. V, et s.Thom., I, q. XLIX, a. 2 c.; *Cont. Gent.* lib. III, c. 13, et *Qq. dispp., de Pot.* q. III, a. 6 c.

scribit, dicitur malum per participationem, sed per privatiònem participationis. Unde non oportet fieri reductionem ad aliquid, quod sit per essentiam malum [1] ».

ARTICVLVS DECIMVS

De pulcritudine

171. Notionem pulcri s. Augustinus [2], aliqui Patres [3] post Platonem [4], et Plotinum [5] diligenter excoluere, atque illam in cohaerentia, et convenientia partium, sive, ut Graeci aiunt, in *proportionis commensu* (συμμετρια) positam esse statuerunt. S. Thomas eamdem doctrinam aperte inculcavit: « Pulcrum, in debita proportione consistit [6] ». Quod si pulcrum in consensu, seu proportione partium situm est, liquet non modo multitudinem, sed etiam unitatem ad essentiam pulcri pertinere [7]; partes enim rei ex eo, quod inter se connectantur, unum efficiunt.

172. Ex his perspicitur consentaneam s. Augustini placitis esse definitionem pulcri a plerisque recentibus, post Hutchesonum [8], et P. Andreum [9], quin immo post ipsum Cartesium [10], traditam, qua dicitur *pulcritudo esse unitas in veritate*. Ut haec notio luculentior fiat, mente reputandum est tria in pulcritudine distingui oportere, *rationem formalem*, sive *essentiam*, *effectum*, et *fundamentum*. *Ratio formalis* pulcri in convenientia partium, seu obiecti symmetria consistit. *Effectus*

---

1) I, q. XLIX, a. 3 ad 4.

2) *Confess.* lib. IV, c. 13; *De vera Relig.*, c. 30-32; *De Civ. Dei*, lib. XXII, c. 19; *De nat. boni contr. Man.*, c. 8.

3) Cf Petavium, *De Deo* etc., lib. VI, c. 8.

4) *Hippias maior.*

5) *Enn.* I, lib. VI, c. 2.

6) I, q. V, a. 4 ad 1. Cum his consentit s. Bonaventura; « Pulcritudo, nihil aliud est, quam aequalitas numerosa »; *Lumin. Eccl.*, Serm. VI.

7) Haec s. Augustini sententia fuit, quippe qui ait; « Omnis pulcritudinis forma est unitas »; *Epist.* XVIII *ad Coelest.*, n. 2. Quae quidem verba non de unitate, quae omnem compositionem excludit, sed de unitate, quae ex coherentia partium efficitur, intelligenda est (cf eumdem sanctum Doctorem, *De Gen. Contr. Man.*, lib. I, c. 24, et *De vera Relig.*, c. 30, n. 55). Hinc immerito Diderot (*Encycl.*, art. *Beau*, p. 147) sanctum Doctorem redarguit, quod notionem pulcri in unitate constituens « potius essentiam perfecti, quam pulcri explicuit ».

8) Hutcheson, *Recherches sur l'origine de nos idèes de beautè, et de vertu*, trad. de l'angl., tract. I, passim, Amsterdàm 1749.

9) Andrè, *Essai sur le beau*, Disc. I, *Oeuvr. phil. avec Introd. et Not.* par Consin, 1843.

10) Cartesius de pulcro ex industria non egit; sed non aliam, nisi quam diximus, pulcri notionem tradidit. Vid. *Les passions de l'ame*, part. 2, § 85, *Oeuvr.* ed. cit. t. I, p. 389; *Compendium musicae*, n. 1-15, t. III, p. 7-10; *Epist.* XXIX, t. IV, p. 98, ed. cit.

est delectatio, quam symmetria obiecti in animo gignit [1]. Hinc vulgus ominu m non aliud vocat pulcrum, nisi id, cuius cognitione delectatur. *Fundamentum* in bonitate ipsius obiecti situm est. Etenim animum nostrum non aliarum rerum cognitio delectare potest, nisi id, quod intellectus tamquam bonum apprehendit [2]. Ergo pulcrum dici non potest, nisi quod est bonum [3]. Si ratio formalis consideretur, pulcrum definiri potest, *id, quod debitam proportionem habet* [4]; sin effectus, *id, cuius apprehensio placet* [5], sin fundamentum, *id, quod est bonum* [6]. At, quoniam pulcrum a ceteris proprietatibus entis propter

---

[1]) Cf Pallavicini, *Del Bene*, lib. II, part. I, c. 11, vol. I, p. 160 sq, Milano 1831.

[2]) Hinc facile intelligis deceptum esse Ad. Franckeum (Franck, *Dict. phil.*, art. *Beau*, t. I, p. 298), quod sensum pulcri notioni boni in intellectu nostro praecedere sine ulla probatione asseruit; siquidem, cum animum nostrum delectare non possit, nisi illud, quod tamquam bonum apprehendimus, notio boni notioni pulcri in intellectu praecedere debet.

[3]) Pulcrum in veritate etiam fundamentum habet. Etenim ens dici pulcrum non potest, nisi tamquam bonum, sive delectabile cognoscatur; atqui ens, prout ad vim cognoscendi pertinet, verum dicitur; ergo pulcrum in veritate etiam fundamentum habet. Hinc omne pulcrum est verum; fieri enim nequit, ut aliquid, quod falsum esse putamus, nos delectet. Ast hoc elementum veritatis in definitione omisimus, quia, cum bonitas nonnisi post veritatem in ente esse intelligatur, veritas est fundamentum remotum, non proximum pulcritudinis.

[4]) Cf s. Thom., I, q. V, a. 4 ad 1.

[5]) Haec notio pulcri, praeterquam quod, ut diximus, vulgi persuasioni loquendique consuetudini consentanea est, post Platonem (*Hippias maior*, sub finem), et s. Augustinum (*Confess.*, lib. IV, c. 12), a cunctis Philosophis tum antiquis, tum novis tradita fuit (Cf Spagni e S. I., *De Bono, Malo, et Pulcro; De Pulcro*, sect. I, art. 5, n. 9, et sect. II, n. 20, Romae 1768). Verum ipsa nonnisi effectum, quem illud in nobis gignit, significat. Quorcirca oppido decipiuntur, qui nihil esse pulcrum per se, sed aliquid dici pulcrum ex eo dumtaxat, quod ad animum nostrum refertur, arbitrantur, iique sunt, qui vel cum Smitho (*Théorie des sentimens moraux*, trad. par Me Condorcet, Paris 1798) pugnant, aliquid esse pulcrum ex eo, quod est delectabile, vel cum Sensistis autumant, aliquid esse pulcrum ex eo quod est utile. Enimvero pulcrum aliquid relativum, sive hoc delectabile, sive utile statuatur, dici nequit. Nam, si pulcrum id dicitur, quod propter cohaerentiam suarum partium animum cognoscentis delectat, luce meridiana clarius est primam causam, originemque pulcritudinis in ipsis rebus quaerendam esse, quippe quod in rebus congruentia partium invenitur, atque huius cognitio delectationem in animo gignit. «Si prius quaeram, apposite ait s. Augustinus (*De vera Relig.*, c. 82, n. 19), utrum ideo pulcra sint, quia delectant, an ideo delectent, quia pulcra sunt. Hic mihi sine ulla dubitatione respondebitur, ideo delectare, quia pulcra sunt».

[6]) Falluntur autem ii, qui ipsam formalem rationem pulcri in bono consistere opinantur. Et sane bonum, et pulcrum, uti a s. Thoma (1^a^ 2^ae^, q. XXVII, a. 1 ad 3) observatum est, si idem sunt subiecto, ratione ab se differunt. Certe utrumque idem est subiecto, quia omne, quod est pulcrum, est quoque bonum; sed unum ab altero ratione differt, quia bonum dicitur ens, prout ordinem habet ad appetitum, et pulcrum dicitur ipsum bonum, prout ordinem ad vim cognoscendi habet, sive, quod idem valet, pulcrum dicitur bonum, non quatenus simpliciter appetitur, sed quate-

proportionem obiecti, et delectationem cognoscentis illam discriminatur, ipsum definiri potest, *id, quod, cum multitudinem partium secum cohaerentium prae se ferat, manifestatione sui cognoscentem delectat.*

173. Doctrinam, quam exposuimus, veritati consentire exploratum cuique esse debet. Quisquis enim experitur non aliarum rerum cognitionem sibi placere, quam quarum partes mirifice sibi consentiunt, et propter hunc consensum quamdam unitatem consequuntur, atque e contrario illarum rerum cognitionem sibi displicere, quarum partes secum adamussim non conspirant, unitatemque imperfectius prae se ferunt.

174. Quod ad pulcri divisionem spectat, princeps ea nobis esse videtur, qua pulcrum in *naturale*, *artificiale*, et *morale* dividitur [1]. Naturale illud est, quod tum in singulis naturis rerum, tum in mundo, qui ex illis componitur, effulget. Enimvero unaquaeque natura ex pluribus principiis constat, quae unitatem eius efficiunt, omnesque naturae ita inter se nectuntur, colliganturque, ut unus mundus ex ipsis existat. Hinc pulcrae dicuntur singulae species rerum, et pulcher mundus, qui ex illis componitur [2]. Pulcrum artificiosum est illud, quod in operibus artificiosis humani ingenii splendet; haec enim, ut omnibus experientia compertum est, si proportionem inter partes, ex quibus constant, praeseferunt, animum cognoscentis voluptate afficiunt [3]. Denique pulcrum morale in actionibus humanis invenitur,

---

nus cognitum appetitui delectationem affert (cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, p. II, a. 1, q. 3 *ad arg.*). Rursus, etsi pulcritudo, ut paullo ante adnotavimus, in veritate etiam fundamentum habeat; tamen illa cum ista, ut Schellingius voluit (in op. *Lectiones de methodo studiorum academicorum*, germ., lect. IV, p. 306 sqq, ed. 2, Stugardiae 1813), confundenda non est. Etenim verum dicitur ens, prout ad intellectum, qui illud vel efficit, vel cognoscit, refertur; at pulcrum dicitur ens, non quatenus simpliciter cognoscitur, sed quatenus cognitum cognoscentem suavitate afficit. Hinc pulcrum, quemadmodum bonitati, ita veritati aliquid addit, quia non est simpliciter id, quod est verum, sed est verum, quod cognitum quadam suavitate animum perfundit. Hanc ob causam pulcritudo, secundum doctrinam Platonis, splendor veri vulgo nuncupatur, quia pulcrum non est verum, prout verum est, sed verum, prout splendore suo mentem cognoscentis percellit, eamque voluptate afficit.

[1]) Pulcri naturalis, et artificialis s. Augustinus mentionem fecit in op. *De vera Relig.*, c. 30, n. 50; pulcri autem moralis in *Lib. Qq. octogintatrium*, q. XXV; *De decem chordis*, Serm. IX; *In Ps. XLIV*, n. 3. De hisce pulcri generibus legesis Utcheson, *Op. cit.*, tract. 1, et 2, passim, et Andrè, *Op. cit.*, Disc. I, II, et III.

[2]) Cf s. Aug., *In Psalm. CXXXIV*, n. 4.

[3]) Exemplum pulcritudinis artificialis a Spagnio mutuari lubet. « Sic, ait, sermo in orationibus Tullii pulcritudinem habet artificiose singularem, quia, praeter pulcritudinem naturalem sermonis humani, quae necessario postulat sententias verbis opportunis expositas, ad rei, de qua agitur, cognitionem, et persuasionem in aliis excitandam, eam habet dispositionem, texturam, ut non solum rem persuadeat, sed in illam iucunda quadam violentia totum mentis assensum quodammodo pertrahat, et omnes animae affectus inclinet »; *Op. cit.*, sect. 1, a. 3, § 6.

quoties hae cum aeternis, ac immutabilibus regulis morum proportionem habent [1].

175. Iam pulcrum naturale, ad quod haec tractatio maxime spectat, in *corporeum*, et *spirituale* dividitur. Etenim nos et cum in re corporea multas partes affabre concinnatas, et cum in substantia spirituali, eiusque operibus plura principia, quae ordine inter se continentur, contemplamur, quamdam voluntatem persentiscimus [2]. Pulcritudo corporea vocatur *sensibilis*, quia ad res spectat, quae ope sensuum cognoscuntur [3]; spiritualis vero dicitur *intelligibilis*, quia rerum propria est, quae intellectu apprehenduntur.

176. Circa has pulcritudinis species praestat ordinem, quo intellectus illarum notiones sibi conficit, explicare. Itaque advertendum est pulcrum corporeum esse primum omnium pulcrorum, quae a nobis cognoscuntur. Nam, cum cognitio humana a sensilibus originem ducat, necessario efficitur, ut pulcrum cognoscamus in rebus, in quibus partium convenientiam, et consensum deprehendimus, illudque quidem primum in rebus corporeis naturalibus, deinde in artificiosis, quia, cum ars naturam imitetur, opera artificiosa pulcra esse existimamus, quoties in ipsis id, quod pulcritudinem naturalem constituit, deprehendimus. Quandoquidem autem ad rerum intelligibilium cognitionem consequendam notitia rerum sensibilium, prout praesens animae nostrae conditio fert, adiuvamur, et pene manuducimur, mens nostra ex cognitione pulcri corporei ad cognitionem pulcri spiritualis assurgit. Etenim, quemadmodum pulcrum esse intelligit omne opus sive naturale, sive artificiosum, in quo consensus partium invenitur; ita intelligit quoque pulcram esse omnem substantiam spiritualem, quippe quod in qualibet substantia spirituali pulcra principia mutuum ordinem inter se habentia perspicit; pulcrum esse omne theorema, vel problema, quod ex pluribus enunciationibus mirifice contextis

---

[1]) Hinc sapientes, teste s. Augustino, *pulcri* a Stoicis dicebantur; vid. *De Civ. Dei*, lib. VIII, c. 7.

[2]) Exemplum pulcritudinis spiritalis nobis ex s. Basilio suppetit, qui ait: « Pulcra igitur est anima omnis, quae in propriarum virtutum symmetria conspicitur »; *Hom. in Ps. XXIX*, n. 5.

[3]) Illud monendum est, quod s. Thomas (1ª 2ae, q. XXVII, a. 1 ad 3) post Platonem (*Phaedr.*, p. 250, *Hipp. maior*, p. 295, *Phileb.*, p. 17, ed. H. S.), et Plotinum (*Enn.* I, lib. VI, c. 1) advertit, pulcritudinem corpoream non esse obiectum omnium sensuum, sed tantum visus, ac auditus; tactus enim, gustus, et odoratus, quippe qui minimam vim cognoscendi habent, unitatem obiecti ex multitudine partium coalescentem cognoscere nequeunt. Quod quidem communi loquendi rationi conforme est. « Nam et picturae, Petavius scribit (*Op. cit.*, lib., et c. citt., n. 8), et variegata omnia artium opera, quae oculos afficiunt, pulcra dicuntur; et cantus, ac vocum modulationes, et orationes, ac carmina itidem pulcra nominantur; ceteris sensibus quae placent, ea non pulcra, sed bona, et iucunda solemus dicere. Nemo enim pulcrum cibum aut odorem, aut eiusmodi aliquid vocet, sed suavem, et bonum ».

constat; pulcram denique omnem actionem, quae cum principiis rationis praticae consentit [1].

177. A cognitione pulcrorum sive sensilium, sive intelligibilium mens humana ope deductionis ad Pulcrum infinitum, ac superintelligibile, tamquam ad Causam Supremam illorum, adsurgit. Ipsa enim facile intelligit non potuisse pulcra esse haec omnia, quae Deus creavit, nisi Deus ipse pulcherrimus esset. « Nulla essent (*pulcra creata*), s. Augustinus Deum alloquens ait, nisi essent abs te [2] ». Quomodo

---

[1]) Ut notio pulcri *spiritualis*, et *moralis* magis perspicua fiat, doctrina s. Thomae prae oculis habenda est. Is notionem pulcritudinis enucleatius exponens (I, q. XXIX, a. 8 c.), docuit tria ad pulcritudinem constituendam requiri, eaque esse integritatem partium, consonantiam, seu debitam proportionem, et claritatem. Requiritur 1° integritas partium, quia res, si quadam parte sui destituatur, eum, qui ipsam cognoscit, non delectat, sed conturbat; 2° proportio, ob eamdem rationem, quia, sicut a re, in qua aliqua pars desideratur, ita a re, cuius partes non consentiunt, animus noster abhorret; 3° claritas, nempe sufficiens cognitio, quia, si res perfecte non cognoscatur, concordia partium eius non potest ita menti occurrere, ut ipsam delectet. Iam haec tria in pulcro tam spirituali, quam morali inveniuntur. Nam pulcra dicitur omnis substantia spiritualis, quia nullum in ea principium deesse potest, quod ad illam efficiendam requiritur; pulcrum autem theorema, vel problema, si nulla enunciatio desit: pulcra tandem actio, si nulla ex parte a principiis rationis practicae dissentiat. Item pulcra dicitur omnis substantia spiritualis, quia principia eius arcte colligantur, atque unitatem constituunt; pulcrum problema, aut theorema, si inter eius enunciationes necessarius ordo existat; pulcra actio, si ordinem habeat cum principiis rationis practicae, quae normae eius esse debent. Denique substantia spiritualis, theorema, aut problema, atque actio, quae duas notas iam recensitas habent, *claritate* etiam pollent, quia eiusmodi sunt, ut mentem nostram luce veritatis suae percellant. Quae cum ita sint, reiicienda omnino est opinio illorum, qui non aliud pulcrum, nisi quod in sensus incurrit, agnoscunt. Haec opinio non modo Condillachum, ceterosque Galliae Sensistas, et Hutchesonum, Burckeum, aliosque Sentimentalistas Angliae, sed etiam non paucos Wolfii discipulos (cf Franck, *Dict. phil.*, art. *Esthétique*, t. II, p. 300, et 301) et praecipue Baumgartenum (vid. ex libris, quos evulgavit, maxime *Aestheticam*, Francfurti ad Vindrim, 1750-1758; cf Ritter, *Op. cit.*, lib. VI, c. I, t. III, p. 357) fautores habuit. Sed illud mirabile est eidem opinioni litasse Heghelium. Hic enim ex idealogiae suae principiis proficiscens, docuit, pulcrum esse manifestationem sensibilem *Ideae*, sive *Entis-Ideae*, quia si sine ulla manifestatione sensibili sui spectetur, tamquam verum a nobis apprehenditur; sin consideretur, prout nobis sub forma magis minusve sensibili manifestatur, pulcrum dicitur. Ex quo deduxit pulcrum esse illud, quod verum sub forma sensibili repraesentat, quodque ad spiritum nostrum ope *sensuum* et *phantasiae* pervenit (*Esthétique*, trad. par Bernard, Paris 1860). Neque ab Heghelii doctrina valde ablusit Giobertius, eo quod pulcrum definivit *coniunctionem individuam cuiusdam typi intelligibilis cum elemento phantastico, quae ope aestheticae imaginationis efficitur* (*Saggio sul bello*, c. I, p. 39, Napoli 1845). Contra has opiniones Heghelii, et Giobertii nihil hic speciatim observamus, nam, praeterquam quod pulcrum a rebus spiritualibus auferunt, eius notionem a principiis, quae in capite *De idearum origine* falsa esse ostendimus, derivant.

[2]) *Confess.*, lib. IV, c. 10, n. 15. Cf s. Hilarium, *De Trinit.*, lib. I, c. 7, et eumdem s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 4 et lib. XII, c. 4.

autem multitudo ad unitatem redacta, quae est essentialis nota pulcritudinis, in Deo a nobis cogitetur, licet Deus sit simplicissimus, potest, ni fallimur, explicari hoc modo: Nos non aliter intelligere possumus Deum esse infinitum, quam si in Eo infinitas perfectiones inveniri intelligamus. At, quandoquidem nullam compositionem in Deo esse certum nobis est, intelligimus quoque infinitas illas perfectiones esse ipsum *Esse Dei*, atque absolutam unitatem Eius constituere. Hinc nos Deum velut pulcherrimum intelligimus, Eumque pulcherrimum nominamus, quia infinitam multitudinem attributorum cum absoluta unitate coniunctam in Eo intelligimus.

178. His praestitutis, inquirere nobis in praesentia licet, num omne ens sit pulcrum. Quaestionem de pulcro naturali tantum instituimus, quia de pulcro artificioso, et de pulcro morali agere ad Ontologiam non pertinet.

Iamvero, si non notae singulares rerum, sed naturae, sive essentiae, quae ipsis sunt communes, spectentur, dubitandum non est, quin pulcritudo sit omnium rerum proprietas [1]. Nam, cum Deus sit naturarum auctor, fieri non potest, ut in ulla natura vel aliquod principium, quod ad ipsam efficiendam requiritur, vel inter principia, quae ipsum efficiunt, necessarius ordo desideretur. Quamobrem ne fieri quidem potest, ut quispiam naturam rei penitus cognoscat, nec tamen e cognitione eius ullam voluptatem sentiat. Iam manifestum est, quemadmodum omnes res, ea, quam explicavimus, ratione, sunt verae una veritate Dei, et bonae una bonitate Dei, ita pulcras esse una pulcritudine Dei, quia ipsae, sicut infinitae veritatis, ac infinitae bonitatis, ita infinitae pulcritudinis Dei participes sunt. Apposite s. Augustinus: « Omne pulcrum a summa pulcritudine est, quod Deus est [2] ».

179. Quod si in rebus essentiae non considerentur per se, sed prout per notas singulares individuantur, ipsae vel pulcrae, vel turpes, seu deformes esse possunt. Enimvero, quoniam causae proximae, ac immediatae rerum singularium sunt aliae res singulares, fieri potest, ut res singulares aliqua trium notarum careant, quae ad pulcritudinem

---

[1]) Hinc s. Dionysius, sive quisquis sit Auctor *Librorum Areopagiticorum* (*De Divin. Nom.*, c. IV, § 7, ed. Corderius), scripsit, quod « sint singula secundum propriam rationem pulcra; et propter pulcrum sunt omnes congruentiae, et amicitiae et communicationes; et per pulcrum cuncta coniunguntur ». S. Hilarius autem (*De Trin.*, lib. I, c. 7, ex eo, quod omnes naturae rerum sunt pulcrae, mundum nomen κοσμοῦ, seu ornatus accepisse scripsit.

[2]) *Qq. LXXXIII*, q. XLIV. Cf s. Dionys. (*loc. cit.*), s. Prosperum (*De Vocat.*, lib. II, c. 4), et s. Isid. Hispal. (*De Summo Bono*, lib. I, c. 4). Cave tamen, ne inde cum Pantheistis colligas non aliud esse, et posse dici pulcrum, quam quod est absolutum per essentiam suam. Enimvero, si ea, quae sunt in mundo, esse suum ab esse Dei distinctum habent, atque illorum *esse*, uti vidimus, ex partibus, quae in unitatem coalescunt, efficitur, tenendum est, praeter Deum, qui est per essentiam suam pulcher, dari alia, quae, etsi sint pulcra per participationem infinitae pulcritudinis, tamen pulcra per se, et absolute dici possunt.

constituendam requiruntur, quia causae naturales ita secum colligantur, ut actio unius ab actione alterius impediri, aut saltem turbari possit.

180. Idem, liceat hoc nobis per transennam monere, de operibus artificiosis, et de actionibus humanis observandum est. Etenim, si artifex opus suum non conficiat secundum leges artis, quae ei pulcritudinem conciliare possent, opus turpe, seu deforme evadit; turpesque sunt actiones humanae, quae a pronuntiatis rationis practicae discedunt.

CAPVT TERTIVM

De categoriis speciatim consideratis, et in primis de substantia

181. Hactenus de ente, quod principium categoriarum est, et de notionibus, quae ad illud generatim consideratum spectant, disseruimus. Iam ordinis ratio postulat, ut de singulis categoriis, quae, ut diximus, speciales modos entis continent, sermonem aggrediamur. A categoria *substantiae* initium capiamus oportet, quia prima categoriarum divisio, quemadmodum ostendimus [1], in categoriam substantiae, et accidentis instituenda est.

ARTICVLVS PRIMVS

Notio substantiae declaratur

182. Substantia prout categoria est [2], definitur, ut iam in *Logica* diximus [3], *res, cui convenit esse non in subiecto*, sive, ut Henricus Gan-

---

1) P. 13.

2) Diximus *prout categoria est*, nam Aristoteles voce τῆς οὐσιας modo ***substantiam***, prout categoria est, modo ***quidditatem*** sive essentiam, modo *formam* et *materiam*, et quod ex utraque quasi conflatum est, designavit (cf prae multis locis, *Categ.*, c. 5, ed. Waitz; *Met.*, lib. IV, c. 8, et lib. VI, c. 7, ed. Bekker; *De an.*, lib. I, c. 1, ed. Trendel.). Patres Graeci, quorum vestigiis Patres Latini, uti s. Augustinus, et s. Anselmus, insiterunt, etsi interdum nomen τῆς οὐσιας pro categoria substantiae stricte accepissent; tamen idem nomen cum ad substantiam, tum ad essentiam proprie dictam, immo quandoque ad naturam, φῦσιν, significandam non raro usurparunt (horum loca videre licet in nostro opere, *I principali sistemi* etc., c. III, § 10, p. 504 sqq, ed. cit.). S. Augustinus (*Enarr. in Ps. LXVIII*, Serm. I, n. 5) illud quoque nos admonuit, voce substantiae interdum significari quidquid est, quocumque modo sit, nempe ens, prout non-enti, seu nihilo opponitur. Hosce diversos modos, quibus Patres post Stagiritam vocem substantiae usurparunt, Scholastici saepe, et diligenter explicuerunt. Cf prae ceteris s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. IX, q. I, a. 1 ad 1, et Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 7; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVII, q. I, a. 1 *sol.*; I, q. XXIX, a. 2 c.; necnon s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVI, dub. 1.

3) Pars I, c. I, art. 4, p. 53 vol. I.

davensis ait, « substantia est id, cui convenit *esse*, quod negatur esse in subiecto [1] ».

183. Hanc substantiae definitionem, sive, ut inquit Aquinas, *descriptionem* [2], explicare volentibus haec duo in memoriam revocanda nobis sunt. Primum est, quamlibet categoriam ex duplici elemento constare, nempe ex essentia absolute spectata, seu re, et ex speciali modo, quo *esse* illi rei *actu* convenit [3]. Quapropter, cum categoria substantiae ab accidente distinguatur ex eo, quod *esse in se*, seu *per se*, et *non in alio* habet, liquet substantiam non esse dicendam ens, quod in se, aut per se est, sed essentiam, seu rem, cui convenit esse in se [4].

184. Alterum est, illud *per se*, seu *in se*, quo *esse* substantiae ab *esse* accidentis, quod in alio est, distinguitur, negationem in se continere, ita ut substantiam in alio, tamquam in subiecto, *esse* suum habere negetur. At vero advertendum est cum Alberto M. huiusmodi negationem non cadere in ipsum conceptum substantiae, sed in modum, quo ipsa intelligitur. Et sane negatio in ipsum conceptum substantiae non cadit. Namque illud, quod in expositione substantiae de re negatur, est inhaerentia, sive esse in alio tamquam in subiecto; atqui notio inhaerentiae est negans, quia negationem τοῦ *esse in se* re ipsa continet [5]; ergo illud, quod in expositione substantiae de re negatur, est negatio. Iam, cum negatio negationis, prout effatum scholae fert, sit affirmatio [6], liquet notionem substantiae re ipsa non esse negantem, sed

---

1) *Op. cit.*, art. XXVI, q. 11, n. 10. Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. I, c. 25.

2) *Quodlib.* IX, a. 5 ad 2. — 3) Vid. p. 12, not. 3.

4) S. Thomas sapienter monuit hanc definitionem substantiae non esse definitionem stricte sumtam, sed *quasi definitionem*, sive descriptionem, quippe quod substantiam stricte, seu *logice* definire haud possibile est. Enimvero, 1° si substantia vere, et proprie definiri posset, oporteret in illius definitione *essentiam*, sive *rem* esse genus, et *esse non in alio* esse differentiam. At nec essentia, tamquam genus, nec *esse non in alio* tamquam differentia in categoria substantiae intelligi possunt. Et sane essentia, seu res, quae per diversos modos essendi in categoriis determinatur, est, ut iam innuimus (p. 12, not. 3), essentia absolute considerata, sive seorsum a cunctis modis essendi, per quos determinari potest, proindeque notionem entis maxime omnium abstractam exhibet. Atqui ens maxime abstractum, nempe ens, prout ens est, uti antea quoque ostendimus (p. 9, et 10), genus esse non potest. Ergo essentia, ex qua categoria constat, non potest esse genus. 2° Conceptus differentiae extra conceptum generis esse debet (cf p. 10). Atqui conceptus τοῦ *esse non in alio* extra conceptum *essentiae* non est; siquidem, cum conceptus essentiae, prout hic accipitur, sit conceptus entis maxime abstracti, sequeretur conceptum τοῦ *esse non in alio* esse conceptum *non entis*, seu nihili. Ergo τὸ *esse non in alio*, quod in categoria substantiae ponitur, differentia esse nequit (cf eumdem sanctum Doctorem, *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 2). Quamobrem tenendum est categoriam substantiae stricta definitione contineri non posse, ideoque, cum dicitur esse essentia, cui convenit non esse in alio, potius exponi, quam definiri.

5) *Op. cit.*, tract. II, c. 2.

6) Puta, si quis neget hominem esse animal irrationale, hominem esse animal rationale re ipsa affirmat.

affirmantem. Quamobrem negatio, quae in expositione substantiae locum habet, in ipsum conceptum substantiae minime cadit. In modum autem, quo substantiam intelligimus, negatio cadat necesse est, quia intellectus in rebus, ex quibus notionem substantiae sibi conficit, substantiam non aliter, quam quod id, quod non inhaeret subiecto, seu negative intelligere potest. Enimvero intellectus, cum super obiectum sibi proportionatum, nempe super res materiales apprehensas, reflectitur, primum intelligit accidentia, utpote quae magis nota sunt; deinde, cum intelligat accidentia esse non posse, nisi in subiecto, intelligit quoque esse in rebus aliquid, quod, cum sit subiectum accidentium, in alio, tamquam subiecto, non inhaeret. Atqui hoc aliquid est, quod substantia nuncupatur. Ergo substantia nonnisi negative intelligi a nobis potest [1].

185. Ne ea, quae ad notionem substantiae declarandam statuimus supervacanea, et futilia cuipiam videantur, e re est ostendere, quantum momenti ad absurdas definitiones substantiae, quas Spinosa, et Giobertius tradiderunt, explodendas conferant.

Spinosa substantiam ita definivit: « Per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur; hoc est, id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat [2] ». Hanc definitionem per definitionum, propositionum, et corollariorum seriem, uti suo loco videbimus, ita explicuit, ut 1° *essentiam*, aut, si ducere mavis, *esse essentiae* ab *esse existentiae*, seu a modo, quo essentia in substantiae categoria est, non distinxerit; 2° per illud *in se*, seu *per se* non inhaerentiam in subiecto, sed causam effectricem a substantia distinctam excluserit. Quocirca substantia, eius iudicio, esse, et concipi per se dicitur non ex eo, quod *esse* suum non in alio subiecto habet, et non in alio habere intelligitur, sed ex eo, quod *esse* suum ex se habet, et ex se habere intelligitur.

186. At Spinosa in hac notione substantiae tradenda turpissime erravit; illa enim duo, quae propria substantiae esse asseruit, soli Deo conveniunt, et in categoriam substantiae non quadrant. Et sane, 1° *essentiam* ab *esse* non distingui proprium est Dei, seu Absoluti, sed non convenit categoriae substantiae, quia, cum substantia, perinde ac quaelibet categoria, sit quidam modus essendi, intelligi non potest, nisi in ea et aliquid, quod quodam modo est, et quidam modus, quo ipsum est, distinguantur. Quapropter substantia dicenda non est ens, quod est in se, sed essentia, sive res, cui convenit esse in se [3].

---

[1]) Ex hoc, quod substantiam negative intelligimus, consequitur ipsam negative etiam denominari; siquidem, cum voces sint signa immediata conceptuum nostrorum, et dumtaxat mediata rerum (cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15), nos res denominare non possumus illo modo, quo ipsae in se sunt, sed dumtaxat illo modo, quo ipsas intelligimus.

[2]) *Ethic.*, part. I, def. 3, *Opp.* vol. II, p. 36, ed. cit.

[3]) Hoc vitium definitionis spinosianae iam adnotaverat s. Thomas *in lib. I Sent.*,

2° Cum in Deo dumtaxat *esse*, et *essentia* unum sint, Eius essentia existentiam in se includit, proindeque Deus ita *in se* est, ut non solum inhaerentiam in subiecto excludat, sed nullam existentiae suae causam agnoscat. At in notione substantiae *esse per se*, sive *in se* non denotat essentiam non recipere *esse* suum ab alio, sed denotat essentiam non habere *esse* suum in alio, tamquam in subiecto. Quare s. Thomas scite advertit substantiam dici posse essentiam, quae non habet *esse* suum per aliud, si per τὸ *aliud* intelligatur causa formalis, quippe quod causa formalis est intrinseca cuique rei: non vero, si per τὸ *aliud* intelligatur causa effectrix, quia res creatae, quibus categoriae conveniunt, *esse* suum a Deo accipiunt [1].

187. Spinosa ex his duobus vitiis, quibus definitio substantiae ab eo tradita laborat, pantheismum cohaerenter elicuit. Si enim in substantia *esse*, et *essentia* unum sunt, et substantia eiusmodi est, ut eius essentia existentiam includat, consequitur solum Deum esse substantiam [2]. Atqui consequens est omnino absurdum. Ergo spinosiana definitio substantiae, ex qua illud consequens derivatur, veluti omnino absurda reiicienda est. Cum assumptionis probatio ad hanc tractationem non spectet, hic dumtaxat adnotamus tantum abesse, ut Deus, sive Absolutum, unica substantia sit, ut si substantia, prout categoria est, accipiatur, Deus substantia proprie dici non possit [3]. Ex multis argumentis, quae s. Thomas nobis suppeditat, unum seligimus. Substantiae, ut inferius explicabimus, proprium est alteri *substare*, sive *subesse*, tum quia in ea *esse in alio* subest *essentiae*, absolute consideratae, tum quia essentia, quae per *non esse in alio* determinatur, subiectum, seu substratum accidentium est. Atqui Deum *substare*, sive *subesse* prorsus repugnat, quippe quod, cum Deus sit omnino simplex, nihil in Eo, quod alteri subest, nihilque, quod Ei, tamquam accidens, inhaeret, esse, et intelligi potest. Ergo categoria substantiae in Deum

---

Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 2. Substantiae nomen, alibi inquit, non significat hoc solum, quod est per se esse. . . , sed significat essentiam, cui competit sic esse, id est per se esse, quod tamen esse non est ipsa eius essentia »; I, q. III, a. 5 ad 1.

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 2 ad 2. Cf Ferrariensem, *In lib. I Contr. Gent.* n. 52.

[2]) Cousinus hac nostra aetate notionem spinosianam substantiae amplexus est, eamque breviter, leviterque exposuit. Is enim docuit substantiam esse natura sua absolutam, quia omne illud, quod ad aliud refertur, est potius *phaenomenon*, sive aliquid *apparens*, quam substantia, et substantiam absolutam nonnisi unicam esse, quia duo absoluta esse repugnat; cf *Fragmens* etc., Préf. à la 1e ed., *Oeuvr.* t. II, p. 33, ed. cit.) Ex quo patet Cousinum ita substantiam explicuisse, ut non solum subiectum extraneum, in quo inhaeret, sed etiam causam, a qua producitur, ab eius conceptu removeret, proindeque notionem substantiae cum notione Dei confunderet.

[3]) Cf p. 7, not. 1. *Prout categoria est* inquimus; quomodo enim nomen substantiae Deo potiori iure, quam ullis rebus creatis conveniat, in *Theologia naturali* explicabimus.

cadere non potest. Brevissime sanctus Doctor: « Nomen substantiae imponitur a substando; Deus autem nulli substat [1] ».

188. A spinosiana definitione substantiae definitio giobertiana, ni fallimur, parum differt. Substantia enim, secundum Giobertium, in realitate, sive in negatione nihili posita est, et quoniam negatio nihili est operatio, substantia est causa, sive vis, nempe est principium operationis, per quam ipsa nihilum negat [2]. Iam nemo non videt Philosophum Pedemontensem in hac notione tradenda multa peccasse. Primo realitatem cum substantia perperam confudit. Etenim, si substantia est realitas, sive negatio nihili, consequens est non aliam realitatem admittendam esse, nisi substantiam. Atqui hoc consectarium est absurdum, quia, cum prima enumeratio entis sit in substantiam, et accidens, non solum substantia, sed etiam accidens est aliquid reale. Ergo falsum est realitatem, prout realitas est, sive ens, prout ens est, esse illud, quod substantiam constituit [3]. Secundo, in eo falsus est, quod substantiam esse *causam*, sive *vim* secundum Leibnitium [4], Kantium [5], aliosque nuperos putavit. Etenim notio causae, ut s. Thomas adnotavit [6], aliquid complectitur, quod notione substantiae non continetur; siquidem substantia per se spectata non refertur ad aliud, quod ab ea fluit; notio autem causae substantiam denotat, prout haec refertur ad aliud, quod ab ipsa fluit, quodque *effectus* dicitur. Atqui si notio causae aliquid complectitur, quod substantiae notione non continetur, alia profecto est notio *causae*, seu vis, alia notio *substantiae*. Ergo substantia *causa*, seu *vis*, uti Giobertius voluit, absolute dici nequit. Accedit, quod, si substantia est causa ex eo, quod est principium operationis, per quam ipsa nihilum negat, dicendum est substantiam esse causam creatricem sui; nam, cum productio rei ex nihilo sit creatio, substantia, si se ipsam ex eo constituit, quod negat nihilum, profecto se ipsam creat [7]. Ceterum, quam longe hoc a veritate absit, iam alibi ostensum a nobis est [8].

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 *sol.*—[2]) *Protol.*, Saggio I, p. 233, ed. cit.

[3]) Hunc capitalem errorem Giobertii Henricus Gandavensis radicitus evulserat. Hic enim cum reliquis Scholasticis docuit substantiam, et accidens ab se non distingui ex eo, quod illa est *ens*, et hoc *non ens*, quia tam substantia, quam accidens sunt *ens*, prout *non enti* opponitur; sed ex eo, quod illius proprium est esse in se, huius autem esse in alio. Cf *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 50.

[4]) *Elementa metaphysica scientiae naturae* (germ.), p. 42, Riga 1797.

[5]) *Système nouveau de la nature* etc., p. 124-127, ed. Erdm.

[6]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. X, a. 1 ad 8.

[7]) Frustra Giobertiani nobis obiicerent negationem nihili, per quam substantia producitur, esse illam actionem, qua Deus τὸ *esse* substantiae extra se producit. Nam Giobertius, quoniam asserens substantiam in negatione nihili consistere notionem substantiae tradere voluit, causam extra ipsam substantiam intelligere non potuit, quippe quod notio, sive definitio rei causas, ex quibus essentia rei constituitur et quae illam ingrediuntur, continere debet, non vero causam, ex qua rei essentia *esse* suum habet, et quae extra illam est. — [8]) *Ideal.* c. I, art. III, p. 473 vol.

189. Haec vitia, quae adnotavimus, purum, putumque pantheismum definitione giobertiana substantiae contineri manifestissime commonstrant. Nam 1° si substantia in negatione nihili consisteret, ob idque esset omne id, quod est reale, consequens foret non aliud re ipsa existere, nisi substantiam, et si quid praeter substantiam existere videtur, hoc non esse, nisi *phaenomenum*, seu *apparentiam*. 2° Si substantia creatrix sui ipsius esse diceretur, dicendum quoque foret non aliam substantiam, nisi infinitam, existere, quia actio creatrix vim infinitam expostulat. Atqui pantheismus illud systema philosophiae vocatur, quod, quidquid est, unicam substantiam esse, atque hanc unicam substantiam esse infinitam, seu Deum, statuit, quocumque nomine unica, et infinita substantia designetur. Ergo definitione substantiae giobertiana purus, putusque pantheismus continetur.

190. Ad perfectam notionem substantiae perspiciendam opus nobis est explicare, qua ratione res, cui *esse non in alio* convenit, nomen substantiae habeat. S. Thomas ex duplici capite originem huius nominis derivandam esse sanxit, scilicet tum ex eo, quod *substat* essentiae absolute consideratae, tum ex eo, quod *substat* accidentibus, sive accidentium subiectum est [1]. Re sane vera, 1° cum essentia absolute considerata sit per se indifferens ad *esse non in alio*, aut ad *esse in alio* [2], ipsa per *esse non in alio* contrahitur, sive, ut Schola ait, determinatur; ex quo fit, ut essentia, prout per *esse non in alio* determinatur, sese habeat ad essentiam absolute consideratam, tamquam inferius ad superius. Atqui inferius, seu minus universale, *sub* superiori, seu magis universali *stat*, seu subest. Ergo essentia, cui *esse non in alio* convenit, substantia merito nuncupatur [3]. 2° Essentia, cui esse non in alio convenit, subiectum accidentium est [4]. Atqui essentiam, quae accidentia in se suscipit, *sub* accidentibus *stare*, hoc est, accidentibus *subesse* intelligimus. Ergo essentia, quae per *esse non in alio* determinatur, ex eo etiam, quod subiectum accidentium est, nomen *substantiae* sibi vindicat.

191. Non pauci Philosophi, inter quos ipsemet Cartesius [5], Wol-

---

1) Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 1 ad 3; et *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 1 c.

2) Cf p. 12, not. 3.

3) Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, a. I, q. 2 *resol.*

4) Cf vol. I, *Log.*, c. I, art. 4, p. 54 sq.

5) Cartesius in primis docuit « nos, cum substantiam concipimus, non aliud concipere, nisi rem, quae ita existit, ut nonnisi se ipsa ad existendum indigeat » (*Les principes de la phil.*, part. I, § 51, *Oeuvr. phil.* ed. cit., t. I, p. 254). Qua definitione, quemadmodum Leibnitius iure ei obiecit (*Examen des principes du R. P. Malebranche*; *Opp.*, ed. cit., p. 691), *pantheismo* spinosistico viam stravit. Deinde notionem substantiae magis, magisque evolvens (*Medit.* II, § 9; *Oeuvr.* ed. cit., t. I, p. 106-108, et *Medit.* III, § 7, ibid., p. 116; *Les principes de la phil.*, part. I, § 73, ibid. p. 271; *Rèpons. aux cinquiem. obj.*, § 16, 18, et 25, t. II, p. 297, 298, et 302),

fius [1], et Galluppius [2] numerantur, censuere substantiam in eo positam esse, quod est subiectum accidentium, et quoniam accidentia sunt mutationibus, et varietatibus obnoxia, subiectum autem est permanens, et invariabile, substantiam definiverunt hoc modo: *Substantia est subiectum perdurabile, et modificabile.*

192. Ast in primis haec definitio falso innititur fundamento. Nam, quamvis substantiae conveniat non solum *esse non in alio*, sed etiam esse subiectum accidentium; tamen ipsa, ut s. Thomas advertit, non in eo proprie consistit, quod sit subiectum accidentium, quemadmodum Philosophis modo nominatis visum est, sed quod sit res, cui *esse non in alio* convenit. « De ratione substantiae, sanctus Doctor ait, est quod subsistit quasi per se ens [3] ». Enimvero notio cuiusque rei in eo proprie ponenda est, per quod ipsam constitui intelligimus [4]. Atqui substantiam, uti antea ostendimus, constitui intelligimus non ex eo, quod est subiectum accidentium, sed ex eo, quod *esse* in se, et non in alio habet. Ergo notio substantiae non in eo proprie sita est, quod est subiectum accidentium, sed quod *esse* suum in alio non habet. Praeterea definitio a Cartesio, aliisque tradita si ex principiis, quae ante exposuimus, pensetur, absurda est Enimvero notiones substantiae, et accidentis sunt duo primi modi, secundum quos ens in rebus creatis determinari intelligimus [5]. Atqui permanens, et mutabile, seu invariabile, et variabile, non sunt duo primi modi, per quos ens in rebus creatis determinari intelligimus, quippe quod intelligere non possumus ens esse *permanens*, seu *invariabile* nisi intellexerimus ipsum esse in se, non in alio; et vicissim ens esse *mutabile*, aut *variabile*, nisi postquam intellexerimus ipsum esse in alio tamquam in subiecto. Quin immo tantum abest, ut permanentia, et mutabilitas sint primi modi, secundum quos ens dividitur, hoc est, duae primae categoriae, ut inter modos essendi, qui categoriarum nomine designantur, recenseri nullo modo queant; ipsae enim non denotant peculiares modos, quibus ens determinari intelligimus, sed e contrario ens iam determinatum, seu constitutum expostulant. Notiones igitur substantiae, et accidentis in eo positae esse nequeunt, quod substantia aliquid permanens, et invariabile, accidens autem aliquid mutabile, et variabile significant.

193. Alias substantiae definitiones a Philosophis traditas praetereuntibus absurda sententia Lockii de notione substantiae sine exami-

---

adiecit substantiam in unaquaque re illud esse, quod inter continuas accessiones, abscessionesque qualitatum usque perdurat, nullique variationi subiicitur, atque accidentia eius esse qualitates, quae ad rem accedunt, aut ab ea abscedunt.

1) *Ontologiae* par. 2, sect. II, c. 2, § 768, Francf. et Lipsiae 1730.

2) *Lezz.* etc., Lez LXII, vol. II, p. 7, et 8, ed. cit.

3) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 1 ad 1.

4) Cf vol. I, *Log.*, p. II, c. III, art. 2, p. 160.

5) Cf p. 13.

ne mittenda nobis non est. Anglus Philosophus, cum omnes humanas cognitiones ab experientia ortum habere statuisset [1], inde deduxit notionem substantiae, aeque ac, ut diximus [2], notionem essentiae, esse figmentum nostrae mentis ex eo exortum, quod qualitates velut in ignoto aliquo subiecto subsistentes concipere, et nominare solemus; nam tum sensus intimus, tum sensus externi rerum affectiones quidem nobis manifestant, non vero id, quod ipsis affectionibus subesse concipitur. Quapropter substantia, eius iudicio, nihil aliud est, quam « complexio qualitatum, quas sensu percipimus, ignota ratione coexistentium [3] ». Hanc Lockii opinionem, praeter omnes Sensistas, David Humius [4], utpote scepticismo suo faventem, lubenter amplexus, substantiae notionem absurdam esse, ipsumque nostrum animum [5] nonnisi quamdam phaenomenorum complexionem esse effutivit.

194. Iam haec opinio circa notionem substantiae 1° abnormis in se est; 2° ipsis Lockii doctrinis adversatur; 3° futili fundamento superstruitur. Atque in primis, ex Lockii, eiusque asseclarum sententia, cum illud, quod in rebus veluti substantiam concipimus, et nominamus, nonnisi complexio qualitatum sit, qualitates eiusmodi essent, ut subiectum, cui inhaereant, haud expostularent. Atqui notio qualitatis, quae natura sua subiectum, cui inhaereat, non expostulat, se ipsam destruit. Ergo notio subiecti, cui qualitates inhaerent, nempe substantiae, non fictitia, sed realis dicenda est. Assumptionis veritas, quam paulo ante perspicuo argumento ostendimus [6], ex eo confirmatur, quod, ut s. Thomas inquit, « debetur (rei) esse absolutum, ut per se esse dicatur [7] »; dum e contrario qualitas ad illud, quod *quale* est, natura sua refertur. Nec Lockium iuvat, quod qualitates ex ipsa sui complexione vim per se existendi accipere sumit. Etenim si qualitas subiectum, ad quod refertur, natura sua exigit, id potiori iure de complexione qualitatum dicendum erit. Ad haec, complexio qualitatum sine quodam communi vinculo cogitari nequit. Iam hoc commune vinculum in aliqua qualitate inveniri non potest; nam, quoniam qualitas expostulat, ut ab aliquo sustineatur, ipsa nequit illud esse, per quod complexio qualitatum per se esse dicitur. Apposite s. Thomas : « qualitatis non est qualitas, ut per se sit qualitas qualitatis subiectum [8] ». Ergo illud commune vinculum, per quod complexionem qualitatum existere sumitur, aliquid a qualitate diversum sit oportet. Atqui illud, quod est a qualitatibus diversum, et per quod qualitates existunt, est substantia.

---

1) Cf vol. I, *Ideal.*, c. I, art. 1, p. 446.
2) Pag. 44.
3) *Op. cit.*, lib. II, c. 23, § 1 sqq; t, III, p. 288 sqq, ed. cit.
4) Cf vol. I, *Criteriol.*, c. II, art. 2, p. 599.
5) Cf ibid., c. I, art. 2, p. 547.
6) Pag. 44 et 45.
7) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 6 *sol.*
8) *Qq. dispp., De Virtut.*, q. I, a. 3 ad 7.

Complexio igitur qualitatum sine substantia existere non potest. Denique adeo falsum est nos, cum substantiam concipimus, nihil aliud menti nostrae obversari, nisi aggregationem qualitatum, quas per sensus accepimus, ut nos substantias, in quibus nullae sunt huiusmodi qualitates, nempe substantias immateriales, concipiamus.

195. Praeterea Lockius sibimet non constat. Etenim ipse fatetur qualitatum complexionem in subiecto quodam subsistentem a nobis concipi. Atqui subiectum, in quo qualitates subsistunt, est substantia. Ergo Lockius, cum notione substantiae nos destitui asserit, secum pugnantia loquitur. Accedit, quod sermo, secundum ipsum Lockium, in nomine, quod substantiam significat, fundatur. Iam nomen, quod substantiam significat, ab illis, quibus qualitates denotantur, prorsus differt. Etenim « illud nomen, aiente s. Bonaventura, substantialiter dicitur, quod non dicitur ad aliud [1] »; hoc autem ad nomina, quae qualitates significant, pertinere non potest, quia ipsa « significant, ut s. Thomas advertit, aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subiecto [2] ». Atqui, quemadmodum ab eodem sancto Doctore observatum est, « nomina imponuntur a nobis, secundum quod cognoscimus res [3] ». Ergo si Lockius a seipso dissentire nolit, nos habere conceptum substantiae veluti diversum a conceptu qualitatum fatendum ei est.

196. Denique sententia Lockii futili fundamento nititur, quia ex commentitio eius circa originem idearum decreto derivatur. Et sane, notio substantiae ab experientia exurgere non potest. Nam, etsi ope experientiae, quemadmodum alibi ostendimus [4], non solas qualitates rerum, sed ipsum subiectum, cui illae inhaerent, hoc est, substantiam, apprehendamus; tamen eam, tamquam substantiam, nempe tamquam illud, per quod est substantia, non cognoscimus. At vero exinde haud inferre licet notionem substantiae esse fictitiam, vel, ut Humius contendit, absurdam, sed potius illius originem alia ratione explicandam esse. Quaenam autem haec sit, ex dictis facile est perspicere. Etenim intellectus, postquam essentiam a conditionibus individuantibus abstractam apprehendit, illam in rebus singularibus determinari cognoscit, atque ipsam cum conditionibus, quibus determinatur, comparans, intelligit has huiusmodi esse, ut in se *esse* suum non habeant, illam vero esse eiusmodi, ut in se ipsa existat, quia, ut s. Thomas inquit, « nulla natura habet esse, nisi in supposito suo [5] ». Cum igitur *esse in se*, et non in alio, illud sit, quod rationem substantiae constituit, intellectus universalem notionem substantiae ex eo sibi comparat,

---

1) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, a. 11, q. 2 *ad arg.*
2) I, q. XXXIV, a. 3 c.
3) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15.
4) Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 1, p. 240, et c. III, art. 7, p. 325-26.
5) *In lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 3, *sol.* 1 c.

quod hunc modum *essendi in se* a quocumque alio respectu, quo res concipi potest, abstractum cogitat.

197. Ne quid ad penitam substantiae notionem assequendam desideretur, praecipuas eius proprietates exponere praestat. Atque in primis, « hoc, ut Stagirita ait, omni substantiae commune est, non inesse in subiecto [1] ». Nam, cum substantia, et accidens in eo sibi opponantur, quod illa habet esse in se, hoc autem in alio, tamquam in subiecto, nulli substantiae convenire potest inesse in alio, tamquam in subiecto [2].

198. Secundo, ad substantiam pertinet *non habere contrarium*. Etenim contraria, ut diximus [3], sunt, quae ab eodem subiecto se mutuo expellunt; quare, si proprium est substantiae non esse in subiecto, fieri non potest, ut contrarium habeat, a quo possit expelli. Attamen nihil, monente s. Augustino, vetat, quominus substantiae, ob contrarias, quas habent, qualitates, secum pugnent. « Substantiae quippe, ait, non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua, et ignis, dicuntur sibi esse contrariae [4] ».

199. Tertio, substantia, prout substantia est, sive prout res est, cui *esse in se* convenit, *non suscipit magis, et minus*. « Substantia, inquit s. Thomas, secundum seipsam non potest recipere magis, et minus; quia est ens per se. Et ideo omnis forma, quae substantialiter participatur in subiecto, caret intensione, et remissione. Unde in genere substantiae nihil dicitur secundum magis, et minus [5] ». Haec autem proprietas substantiae, ut idem sanctus Doctor advertit, « non intelligitur, quod una species substantiae non sit perfectior, quam alia; sed quod unum, et idem individuum non participet suam speciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam a diversis individuis participatur species substantiae secundum magis, et minus [6] ».

200. Quarto denique « ipsius substantiae, ut inquit s. Bonaventura, est proprium, cum sit una, et eadem numero, quod sit susceptibilis contrariorum [7] ». Haec proprietas ex eo oritur, quod substantia est subiectum, cui accidentia inhaerent, quia eidem subiecto modo illud, modo contrarium accidens, e. g., aquae prius calor, postea frigiditas, inesse potest.

---

1) *Categ.*, c. 5.

2) Quomodo intelligendum sit *substantias de nullo subiecto dici*, explicatum a nobis est in *Logica*, p. I, c. I, art. 4, p. 54 vol. I.

3) Pag. 69.

4) *De nat., et grat. contr. Pel.*, c. LIV, n. 63.

5) 1ª 2ae, q. LII, a. 1 c.

6) I, q. XCIII, a. 3 ad 3. Cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. III, p. 1, dub. 2.

7) *In lib. II Sent.*, Dist. XLI, a. I, q. I *ad arg.*

ARTICVLVS SECVNDVS

Quidnam illud sit, per quod substantia fit individua, investigatur

201. Substantia, ut in *Logica* diximus [1], dividitur in *primam*, quae individuum, seu singulare, et in *secundam*, quae genus, et speciem significat. Attamen notio perfectae substantiae, monente B. Alberto M. [2], non in generibus, et speciebus, sed in individuo invenitur; nam genera, et species, nonnisi prout in individuis determinantur, *esse in se* in rerum natura habent, et accidentium subiectum sunt. Hinc, postquam notionem substantiae investigavimus, necesse est, ut de principio, per quod substantia individua constituitur, edisseramus.

202. Haec controversia, quam post Aristotelem B. Albertus M. quibusdam in locis tetigerat, in Scholis mediae aetatis, auctore s. Thoma, illustrem sibi locum vindicavit, magnaque deinceps animorum contentione agitata fuit. Verum ea sub recentis aetatis initium deferbuit, tandemque, si thesim, quam Leibnitius adhuc iuvenis defendit, exceperis, omnino neglecta fuit. In hac nostra aetate in scenam rursus prodire coepit; sed hactenus levi brachio tractata est [3].

203. Ut autem id, in quo quaestio versatur, opportune declaretur, quaedam in antecessum adnotanda nobis esse censemus.

1° Individuum, secundum s. Thomam, « est quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum [4] ». Quapropter ad individuum constituendum duo requiruntur, scilicet 1° ut sit cum aliis incommunicabile, 2° ut sit ab aliis divisum, sive ut sit hoc, non vero illud, aut aliud. Primum requiritur, quia individuum, cum sit in se indivisum, in plura dividi non potest; proindeque, secus ac universale, tamquam aliquid pluribus commune intelligi nequit. « Illud, inquit idem sanctus Doctor, quod neç actu, nec intellectu de pluribus dici potest, est

---

[1]) Pars I, c. I, art. 4, p. 53 vol. I.

[2]) *De Praedic.*, tract. II, c. 3.

[3]) De his, quos citavimus, auctoribus, inferius. Sunt hodie quoque, qui hanc controversiam e philosophia amotam volunt, quia ipsa est prorsus otiosa, atque Aquinatem reprehendunt, quod in causa fuit, quamobrem in Scholas inveheretur (vid. Jourdain, *La filosofia di s. Tommaso d'Aquino*, trad. dal franc., lib. III, c. 4, § 2, t. II, p. 273 sqq, Firenze 1859). Sed perperam; siquidem ipsa, ut in *Anthropologia* videbimus, cum alia controversia de durationе personalitatis humanae post hanc vitam arcte colligatur. Re vera s. Thomas illam instituit contra Averroistas, qui pantheisticam theoriam de unitate intellectus humani (vid. vol. I, *Dynam.*, c. III, art. 3, p. 298) evolventes, eo pervenerunt, ut animas humanas post dissolutionem corporum individualitate sua expoliari autumarent. Jourdano hac in re praecesserat inter Scholasticos Aureolus, quem Capreolus egregie confutavit, *In lib. II Sent.*, Dist III, q. I.

[4]) I, q. XXIX, a. 4 c.

singulare [1] ». Alterum vero requiritur, quia illud, quod incommunicabile cum aliis est, quoniam idem cum illis non est, ab ipsis distinguatur oportet. « De ratione individui est... quod sit divisum ab aliis, quae sunt, vel possunt esse in eadem specie, in se indivisum existens [2] ».

2° Fundamentum, seu radix, ex qua individui unitas indivisibilis in plura, et a quocumque alio divisa oritur, *individuationis principium* appellatur. Quoniam autem unumquodque individuum a quocumque alio eiusdem speciei divisum intelligi nequit, quin individuorum multiplicatio, quae numerica dicitur, intelligatur, manifestum cuique fit, hoc ipso quod ratio individuationis exponitur, principium patefieri, ex quo multiplicatio numerica existit [3]. Quare quaestio de principio individuationis huc redit, quid sit, quo rerum quaedam intra eamdem speciem solo numero differunt, et multiplicantur.

3° Quaestio hic non instituitur de principio effectivo individuationis, quod principium *extrinsecum* etiam dicitur, quia perspicuum est principium effectivum esse causam agentem, ex cuius virtute natura efficitur *haec*, sed de principio *formali*, seu *essentiali*, ex quo individuum in suo *esse* individui constituitur, quodque, cum debeat esse aliquid quod in ipso individuo est, merito *intrinsecum* vocatur [4]. Nec quaestio instituitur de quolibet individuo, sive substantiae, sive accidentis, sed tantum de individuo substantiae; exploratum enim unicuique est accidentia ex subiecto, in quo sunt, individua fieri [5].

204. Hisce praemonitis, quaestionem solvere aggrediamur. Haec de substantiis materialibus, atque immaterialibus seorsum instituenda est, quippe quod, cum substantiae materiales, atque immateriales toto genera ab se differant, ideo diversis modis, ut inferius videbimus, individuantur. Hoc nobis haud concedit nuperrimus Auctor, qui doctrinam s. Thomae de principio individuationis vel ex eo reiiciendam esse contendit, quod non unicum, sed multiplex principium pro di-

---

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. II, *Expos. text.* Advertito *communicabilitatem*, quae de individuo negatur, illam esse, secundum quam universale cum particularibus communicatur, non vero illam, qua natura singularis cum proprio termino communicatur, ita ut fiat subsistens, seu, quemadmodum Scholae aiunt, *ultimo completa et terminata*. Nam natura singularis, uti ex dicendis in sequenti articulo patescet, si hac ratione accipiatur, est quidem incommunicabilis, prout iam subsistentia completur, non vero prout est singularis.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 3. Cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. III, pars I, a. 2, q. 2 *resol.* Hanc notionem individui illustrius uberiusque explicatam invenies apud eumdem Aquinatem in Opusc. XXXIX, *De principio individuationis*.

[3]) Cf Ioann. a s. Thom., *Op. cit.*, pars II, q. IX, a. 3, p. 673, ed. cit.

[4]) Et sane perspicuum est id, ex quo res in suo *esse* constituitur, in ipsa re esse oportere. Vid. s. Thom., Opusc. cit. *De princip. individ.*

[5]) « Subiectum, inquit s. Thomas, est principium individuationis accidentium »; III, q. LXXVII, a. 2 c.

versis substantiis statuit [1]. Sed perperam; nam, si individuatio naturam rei consequitur, nemo iure reiiciet ullam theoriam ex eo dumtaxat, quod pro diversis substantiis diversa principia individuationis proponit. Itaque, hac absurda opinione omissa, a prima parte quaestionis ordiamur.

205. Sententiae Philosophorum de modo, quo substantia materialis fit individua, sunt plures et discrepantes, eaeque ad quatuor revocari commode possunt. Prima statuit, unumquodque ex se ipso, et ex propria entitate individuum fieri. Ii quidem ista nituntur ratione, quod, cum in rerum natura nonnisi singulare existat, ex ipso, quod entitas veluti realis ponitur, veluti singularis sive individua adstruitur, quia unitas, utpote quae cum ipsa entitate convertitur, nihil entitati addit. Hanc opinionem, quam post Durandum [2], Gregorium Ariminensem [3], Gabrielem Biel [4], aliosque Nominales Suaresius pro virili parte defendit [5], Leibnitius [6], et Fenelonus [7] amplexati sunt. Hisce adhaeserunt inter nuperos Rosminius [8], Giobertius [9], Franc. Huetius [10], Iourdanus [11], alique pauci, quorum sententiae parum, aut nihil dissidentes huc redeunt, principium intrinsecum individuationis esse ipsam realitatem seu *esse* rei, seu, ut ii loquuntur, qui essentiam ab existentia realiter non distinguunt, ipsam existentiam; et principium extrinsecum esse Deum, qui *esse* rebus largitur [12]. Hinc Giobertius asseruit quamlibet rem ex eo ipso, quod creatur, individuari, indeque fieri, « ut radix individuationis in Deo, non in homine inveniatur, proindeque individuatio sit obiectiva, et divina, non vero subiectiva, et humana [13] », atque ante illum Huetius scripsit « problema principii individuationis, si penitus inspiciatur, esse idem, ac problema creationis [14] ».

---

1) Jourdain, *Op. cit.*, lib. et c. citt., p. 273, et 274.

2) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. 2.

3) *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. 4.

4) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. 1, ed. cit.

5) *Op. cit.*, disp. V, sect. 8, n. 23 sqq, et sect. 6, n. 1 sqq.

6) *Disput. metaph. de principio individui* (*Opp. phil.*, ed. Erdmann, p. 1, et 2), in qua statuit hanc thesim: « Pono igitur, *omne individuum sua tota entitate individuatur* ».

7) *Traitè de l'existence de Dieu*, part. 2, c. 4, § 6, *Oeuvr. phil.*, Paris 1843.

8) *Antropologia*, lib. IV, c. 1, art. 5, *Opp.* vol. X, p. 288 sqq.

9) *Introd.*, c. IV, t. II, p. 78, Brusselle 1840.

10) Huet, *Recherches historiques, et critiques sur la vie, les ouvrages, et la doctrine de Henri de Gand*, part. 2, § 6, p. 175 sqq. Gand 1838.

11) *Op. cit.*, ibid.

12) Haec est ipsissima sententia Durandi, quippe qui in loco citato scribit: « Per quod ergo Sortes est individuum? per illud, quod est existens; et haec sunt extrinsece finis, et agens, cuius est producere singulare; intrinsece vero haec materia, et haec forma ». — 13) *Loc. cit.*

14) *Loc. cit.* Horum Philosophorum sententiae, ut diximus, in idem recidunt. Nam

206. Haec prima sententia omnino reiicienda est, quippe quae quaestionem de principio individuationis non solvit, sed tollit. Nam nemo certe negat omnem entitatem, quae est in rerum natura, esse individuam, omnemque entitatem a Deo individuam creari; sed dato, quod omnis entitas, quae in natura existit, est individua, quaeritur, quid sit, quo ea individua efficitur. Certe haec quaestio non est inanis, et frivola, quemadmodum Iourdanus [1], aliique recentes volunt, quippe quod, cum quaelibet res aliquid, quod ipsi cum aliis rebus commune est, atque aliquid quodammodo determinatum, proindeque in se indivisum, ab omnique alia re divisum complectatur, par, aequumque est philosophum inquirere, quid sit, quo unaquaeque res in se indivisa, atque ab omnibus aliis divisa, seu cum aliis incommunicabilis fit. Huic quaestioni certe Nominales [2], recentesque, quos numeravimus, non satisfaciunt, eo quod asserunt quamlibet rem ex sua ipsa entitate, hoc est, ex principiis suis essentialibus, nempe materia, et forma, individuari; hisce enim principiis res in suo *esse speciei*, non vero in *esse individui* constituitur, cum ipsa cunctis rebus eadem specie comprehensis communia sint. Putandum vero non est entitatem, quae est in natura, esse principium individuationis, quatenus complectitur essentialia rei, prout per accidentia determinantur. Nam, si res ita se haberet, accidentia principium individuationis dicenda forent. « Sed quod hoc sit impossibile, s. Thomas ait, manifestum est, quia posterius non est causa prioris: accidentia autem sunt posteriora individuis secundum Porphyrium; licet enim res individua non habeat esse sine accidentibus, tamen naturaliter prior est [3] » Nec iuvat

---

sententia Rosminii, qui voluit principium individuationis esse *realitatem*, non distinguitur a sententia Iourdani, qui ipsam in *subsistentia*, seu *existentia actuali* agnovit, quia Jourdanus *essentiam*, *existentiam*, et *subsistentiam* re haud distingui sensit. Utraque autem cum sententia Huetii, et Giobertii consentit, id enim, quod creatur, est essentia ad existentiam reducta. Denique hae omnes a sententia Nominalium, et Leibnitii non differunt, quia entitas, quam hi pro principio individuationis statuerunt, ut videre licet apud Leibnitium, essentiam, atque existentiam complectitur. Fuere quidam obscuri Scholastici, qui, cum existentiam ab essentia distinguerent, solam existentiam esse principium individuationis arbitrati sunt (vid. Leibnitium, *Op. cit.*, § cit.). Sed hanc opinionem omisimus, quia eius falsitas manifesta est. Et sane id, quo res individuatur, ipsa re individua prius *natura* esse debet; atqui existentia non est *natura* prior re individua, quia res hoc ipso, quod individuatur, existit; existentia igitur principium individuationis esse nequit.

1) *Op. cit.*, lib. et c. citt., p. 276, et 277.

2) Apud Ioannem a s. Thoma, *Op. cit.*, loc. cit., p. 674, et Suaresium, *Op. cit.*, Disp. cit., sect. V, n. 1, p. 132.

3) Opusc. cit., *De princip. individ.* Idem inculcavit s. Bonaventura: « Nec potest habere veritatem, quod distinctio individualis sit ab accidentibus, cum individua differant secundum substantiam » (*In lib. II Sent.*, Dist. II, pars I, a. 2, q. 2 *resol.*). Ex quo perspicitur ex accidentium collectione individuationem non constitui, quemadmodum nonnulli volunt, sed tantum patefieri. « Accidentia, ait idem Doctor, et

Huetium, et Giobertium ad actionem creatricem Dei confugere; nam « principium individuationis, ut idem Doctor de individuatione animae disserens advertit, oportet esse intrinsecum; sed impossibile est, quod Deus sit principium intrinsecum animae, vel alterius creaturae; et ita impossibile est, quod anima individuetur a Deo, tamquam principio intrinseco suae individuationis [1] ».

207. Rationi, ob quam haec sententia a Leibnitio [2] secundum Nominales propugnatur, nihil roboris inest. Etenim nemo certe negat quamlibet entitatem, quae est in rerum natura, esse singularem; verum hic non quaeritur, num entitas, quae est in natura rerum, sit singularis, sed quodnam sit principium, ex quo ipsa singularitatem sumit. Quare ex eo, quod nonnisi singulare in rerum natura existit, quidnam huius singularitatis principium sit, minime explicatur. Unitas autem entitatem certe consequitur, quia omne ens est unum; at vero, cum unitas ipsa vel formalis, seu specifica, vel numerica, sive individua esse queat [3], profecto ipsa individua dicenda non est, nisi entitatem, quae iam individua est, consequatur. Quapropter, si ex eo, quod unitas convertitur cum entitate, colligatur principium individuationis in ipsa rei entitate positum esse, illud ipsum sumitur, quod in quaestione versatur.

208. Altera sententia est Scoti, quam Reales passim sectantur. Is, variis circa individuationis principium sententiis reiectis, contendit substantiam materialem ex aliqua entitate, quae naturalibus eius principiis superadditur, individuam fieri [4], atque hanc entitatem esse ultimam entitatum, quae secundum Scotum, ut alibi diximus [5], in individuo sunt. Haec ultima entitas dicta est *haecceitas*, quia per illam natura redditur *haec*, et singularis.

209. Haec Scoti sententia duplici ratione intelligi potest. Namque haecceitas vel est differentia individualis, seu unitas numerica, quae naturam reddit *hanc*, et singularem; vel ita est differentia individualis, ut, quin ordinem ad aliquod principium individuale intra ipsam substantiam positum habeat, sit aliquid eius naturae superadditum,

---

proprietates individuationem non faciunt, sed ostendunt » (*ibid.*; cf Albert. M., *De Praedicab.*, tract. IV, c. 7; s. Thom., *In lib. V Met.*, lect. XV, et *Super Boet. de Trinit.*, lect. 1, q. II, a. 2 c.; Henr. Gand., *Quodlib.* cit.). Huius rei ratio est, quod nos rem esse individuam cognoscimus, quia in ipsa eiusmodi accidentia invenimus, quae omnia simul in nulla alia re exstant; unde individuum in *Logica* (part. I, c. 1, art. 2, p. 49 vol. I) definivimus id, quod ex proprietatibus ita determinatis constat, ut hae omnes eaedem alii convenire nequeant.

1) Opusc. cit. *De princip. individ.* « Individuatio, aiebat s. Bonaventura, est ex principiis intrinsecis »; *In lib. III Sent.*, Dist. X, a. 1, q. 3 *ad arg.*

2) *Disput.* cit., § 5-7, p. 1, et 2.

3) Cf p. 57.

4) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. VI, et *Quodlib.*, q. II, art. 3 etc.

5) Vol. I, *Ideal.*, c. II, art. 1, p. 517, not. 2.

sive extrinsecus adveniens, quod substantiam ad singularitatem per se determinat.

210. Iam, si sententia Scoti priori significatione accipiatur, ipsa quaestionem non dirimit; siquidem nemo negat substantiam individualem a differentia numerica constitui, sed illud dumtaxat in controversiam adducitur, undenam haec differentia individualis oriatur; quapropter, si haec ipsa haecceitas principium individuationis statuatur, *petitio principii* committitur; naturam enim esse singularem, et *hanc* propter singularitatem, et *haecceitatem* idem valet, ac naturam esse singularem, et *hanc*, quia est singularis, et *haec*. Sin altera significatione inielligitur, falsa omnino est. Etenim omnes entitates illi ultimae entitati praecedentes, quam principium individuationis Scotus esse voluit, vel sunt singulares, vel uuiversales. Si singulares, consequitur singularitatem ex ultima illa entitate non constitui; sin universales, ita ut actu non existant, nisi ab illa ultima entitate contrahantur, illud absurdum existeret, res formalem rationem existendi non accipere ab ipsis principiis naturalibus, sed ex aliquo, quod naturae superadditur. Praeterea principium individuationis, cum individuum substantiale constituat, aliquid accidentale esse nequit; et quandoquidem illud non est, ut ostendimus, ipsa entitas substantiae, oportet, ut sit quidam modus substantialis, qui in ipsa substantia fundamentum, et originem sui agnoscat. Atqui *haecceitas* tamquam entitas assignatur, quae substantiae superadditur, eique extrinsecus advenit. Ergo *haecceitas* principium individuationis dici non potest [1].

211. Tertia sententia est Philosophorum, qui substantias materiales per formam fieri individuas contendunt. Hi ab eo rationis momento permoti sunt, quod individuum non est individuum, nisi quia est in actu, in actu autem nonnisi ratione formae est. Hanc sententiam post quosdam antiquiores Scholasticos [2] tuitus est Zabarella [3], qui illam Averroi, immo ipsi Scoto adscribit [4].

212. Sed ista sententia a vero etiam longe abest. Et sane, cum id, quod individuum est, pluribus commune esse non possit, principium individuationis radicem unitatis numericae, et incommunicabilitatis cum pluribus prae se ferre debet. Atqui forma tamquam huiusmodi radix admitti nequit, quia « forma, quantum est de se, nata est in pluribus esse [5] »; unde « differentia, quae ex forma procedit, inducit diver-

---

[1]) Cf contra Scotum inter recentes Leibnitium, *Disput. cit.*, § 20-26, p. 4 et 5.

[2]) Apud Henricum Gandav., *Quodlib.* V, q. VIII.

[3]) *De rebus naturalibus libri triginta*, lib. IX, c. 6, Coloniae 1590.

[4]) Hoc Zabarellae de Scoto iudicium egregie impugnavit Ripa, *Op. cit.*, ad cap. II, q. IV, art. 2, p. 262, ed. cit.

[5]) *In lib. I Met.*, lect. V. « Forma, alibi ait, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest a pluribus » (I, q. III, a. 2 ad 3). Quid vero sit illud, quod impedit, quominus forma in pluribus sit, iam adnotavimus, in *Log.*, p. I, c. I, art. 2, p. 46, not. 2, vol. I, et ex mox dicendis planius perspicietur.

sitatem speciei [1] ». Ergo principium individuationis in forma positum esse nequit [2]. Quod si dicatur formam communem in pluribus esse posse, non autem formam singularem [3], quaerere nobis licet, undenam forma, quae ratione sui est communicabilis, singularis fiat. Certe ipsa hanc singularitatem ex se accipere non potest, alioquin eadem forma simul contrahens, et contracta esset; oportet igitur, ut ex alio principio singularitatem sumat. At, si res ita se habet, aliud principium, non vero ipsa forma illud est, ex quo substantia fit individua.

213. Neque ulla inest vis illi argumento, quo Zabarella, aliique ad suam sententiam probandam utuntur. Primo enim, si proprie loqui velimus, individuum non est individuum, quia est in actu, sed quia est incommunicabile; secundo, cum individuum ex ratione formae in actu esse dicitur, id ita intelligendum est, ut forma sit principium, per quod ipsum est unum huius, vel illius naturae, non autem ita, ut sit principium, per quod est absolute numero unum [4].

214. Reiectis his sententiis, quarta nobis probatur s. Thomae, eiusque discipulorum, qui Aristotelem [5]. et Albertum M. [6] secuti, principium individuationis esse *materiam signatam quantitate* statuerunt [7].

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. II, c. 93. « Quaecumque contrarietates, alibi ait, sunt ex parte formae, faciunt differre speciem » (*In lib. X Met.*, lect. XI); et rursus: « Quantum est de natura sua, communicabilis est (*forma*), et in multis recipi potest, et recipitur secundum unam rationem, cum una sit ratio speciei in omnibus suis individuis»; Opusc. cit. *De princip. individ.*

[2]) Audiatur s. Bonaventura hoc in loco: « Quomodo forma sit tota, et praecipua causa numeralis distinctionis, valde difficile est capere, cum omnis forma creata, quantum est de se, nata sit habere aliam sibi similem »; *In lib. II Sent.*, Dist. III, p. I, a. 11, q. 2 *resol.*

[3]) Id innuere videtur Zimara, *Theoremata, seu memorabilium propositionum limitationes*, theor. XI, p. 6, Venetiis 1564.

[4]) Cf quae contra hanc sententiam Henricus. Gand. disputavit (*loc. cit.*). Hic vero putavit individuationem substantiae fieri per duas negationes; unam, qua forma efficitur indivisa in supposito, alteram autem, qua fit divisa ab omni alio. « Quae quidem negatio, concludit, non est simplex, sed duplex, quia est removens ab intra omnem plurificabilitatem, et diversitatem, et ab extra omnem identitatem ». Haec opinio, quae perpaucos fautores habuit, omnino falsa est. Nam, cum quaeritur, quid sit, quo res efficitur individua, certe quaeritur, quid sit, quo res efficitur in se indivisa, ab omnique alia re divisa; quapropter, cum Gandavensis respondet rem fieri individuam ex eo quod est in se indivisa, atque ab omni alia re divisa, reapse asserit rationem, ob quam res est individua, in eo positam esse, quod est individua. Adde, quod, cum individuum esse sit aliquid positivum, et reale, individuatio per aliquid, quod realitatem negat, fieri non potest. Nihilominus Henrici opinionem adnotatam voluimus, quia Franc. Huet (*Op. cit.*, ibid.) asserit se non intellexisse, quid sit, ex quo individuum constitui Henricus voluit; et Carolus Jourdain (*Op. cit.*, lib. II, c. 1, § 3, t. II, p. 34-36, et lib. III, c. 4, § 2, t. II, p. 278; ed. cit.) Henricum principium individuationis in *subsistentia*, seu *existentia actuali* posuisse contendit.

[5]) *Met.* lib. XI, c. 8, § 12; et *De Coelo*, lib. I, c. 9, § 2.

[6]) *De Praedicab.*, tract. IV, c. 7.

[7]) Cf s. Thom., praesertim Opusc. cit., *De princip. individ.*; *Contr. Gent.*, lib. II,

Principio verum, germanumque eius sensum declarare opus nobis est, ut difficultates, quibus, nisi recte intelligatur, laborare videtur, facile dispellantur.

1° Etsi principium individuationis nequeat esse aliquid, quod ad essentiam rei spectat; tamen ipsum aliquid *substantiale*, seu quod ad ipsum *esse* substantiae refertur, esse debet. Cuius ratio est, quod, cum individuatio substantiae ad praedicamentum substantiae pertineat, ad aliquid substantiale, tamquam ad sui radicem, reduci debet [1]. Quandoquidem autem, ut suo loco explicabimus, ex materia, et forma *esse* substantiae materialis constituitur, principium individuationis ex alterutra necessario sumendum est. « Ad hoc, quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique, sicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam [2] ». At vero ea, « quae conveniunt specie, et differunt numero, conveniunt in forma [3] »; quapropter « nulla forma, vel natura multiplicat numerum, nisi in diversitate materiae [4] ». Hinc « differentia, quae ex materia procedit, inducit diversitatem secundum numerum [5] ».

2° Materia, si absolute, hoc est, sine quantitate spectetur, communis, atque etiam indivisa est. « Impossibile est, ait idem Aquinas, in materia intelligere diversas partes, nisi praeintelligatur in materia quantitas dimensiva..., per quam dividatur, quia, separata quantitate a substantia, remanet indivisibilis [6] ». Quare, cum haud possibile sit causam gignere effectum, qui sibi repugnat, in materia quantitas, ex qua ipsa individuationem efformat, necessario assignanda est. « Ex hoc, pergit sanctus Doctor, aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum, et divisum ab omnibus aliis; divisio autem accidit substantiae ratione quantitatis, ut dicitur in *I Physici.*; et ideo quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium [7] ». Unde

---

c. 93; I, q. L, a. 4; *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4, *sol.* 3 ad 3, et lib. IV, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 3; *De Ente, et Ess.*, c. 2; Opusc. LXX, *Super Boëtium de Trinit.*, lect, I, q. II, a. 2; Opusc. XXXII, quod nonnulli inter supposita immerito recensent, *De natura materiae, et dimensionibus interminatis*, c. 3.

[1]) Cf Opusc. cit. *Super Boëtium de Trinit.*, q. cit., a. 2 ad 4.

[2]) I, q. XL, a. 2 c.

[3]) I, q, L, a. 4 c.

[4]) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4 *sol.*

[5]) *Contra Gent.*, lib. II, c. 93. Ex quo perspicitur principium individuationis aliquid substantiale esse oportere, non solum prout unitatem individui constituit, sed etiam prout efficit, ut unum ab alio distinguatur; quia cum individuum ad genus substantiae pertineat, duo individua substantialiter inter se distingui oportet. « Ea, quae differunt numero in genere substantiae, non solum differunt accidentibus, sed etiam materia, et forma »; Opusc. *Super Boëtium de Trinit.*, loc. cit.

[6]) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4 *sol.*

[7]) III, q. LXXVII, a. 2 c.

«primum individuationis, alibi ait, principium est materia, qua acquiritur esse in actu cuilibet tali formae . . . , et secundarium principium individuationis est dimensio, quia ex ipsa habet materia, quod dividatur [1]». Hinc forma ratione materiae efficitur *haec*. «Individuatio formae est ex materia, per quam forma contrahitur ad hoc determinatum [2]»; ratione autem quantitatis, quae est « prima dispositio materiae [3] », materia fit *haec*. Materia igitur non absolute spectata, sed prout *talis* est, quae materia *signata quantitate* appellari solet, tamquam principium individuationis a s. Thoma, eiusque discipulis statuitur.

3° Materiam *signatam quantitate* esse principium individuationis non est hoc sensu accipiendum, quod quantitas actu inhaeret materiae. In primis enim quantitas, prout materiae actu inhaeret, individuatione, aeque ac alia accidentia indiget, proindeque non *individuans*, sed *individuata* est. Deinde principium individuationis, cum aliquid substantiale esse debeat, per aliquod accidens, quod materiae inhaeret, explicari nequit; alioquin inter hoc, et aliud individuum non substantialis distinctio, sed illa, quae, e. g., inter bicubitum, et tricubitum est, intercederet. Quare sapienter Caietanus advertit materiam non dici *signatum quantitate*, prout est quantitatis subiectum, sed prout est eius fundamentum, et radix, ideoque prout essentialem ordinem ad quantitatem habet [4]. Quod si hoc materia *signata quantitate* significat, tria facile intelliguntur. Primo, materia, etsi actu nondum hac quantitate determinetur, tamen tamquam divisa concipitur, non quidem *actu*, et *formaliter*, sed *virtualiter*, nempe quatenus illam quantitatem, tamquam fundamentum, et radix eius, in se includit. Ex quo fit, ut ipsa hoc individuum constituat, et ab omni alio discriminet, quia, cum ad hanc quantitatem intrinsecum ordinem radicis, et causae habeat, ab alia separatur, et dividitur. Secundo, quantitas ad individuationem efformandam, tamquam principium substantiale, concurrit, quippe quod, cum ad ipsam materiae substantiam pertineat, in illa radix, et causa huius quantitatis inveniuntur. Unde substantia sensibilis, uti B. Albertus M. advertit, quamvis nomine suo quantitatem non includat, tamen quantitatem ab eius principiis oriri significat [5]. Tertio, si recte, et proprie loqui velimus, dicendum nobis non est ex materia, et quantitate unum principium individuationis fieri, sed potius istud principium esse materiam spectatam, prout quantitatem ea ratione,

---

1) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 3.

2) *Quodlib.* VII, a. 3 c.

3) III, loc. cit. Cf s. Bonaventura, *In lib. II Sent.*, Dist. III, part. I, a. II, q. 2 *resol.*

4) *Comm.* in I^am^ part. *Summ.*, q. XXIX, a. 1. Alias rationes, quibus Thomistae materiam *quantitate signatam* explicant, videre licet apud Ioann. a s. Thom., *Op. cit.*, p. II, q. IX, art. 4, p. 678 sqq; et Ripa, *Op. cit.*, ad cap. II, q. IV, art. 3, 4, 5, p. 265-285.

5) *Met.*, lib. XII, tract. I, c. 12.

quam nuper exposuimus, in se complectitur. Quocirca neque materia, prout principium individuationis est, prior, vel posterior quantitate est, neque quantitas materiam praecedit, vel subsequitur. Namque, etsi materia sit *natura* prior quantitate, quam actu habet, tamen prior quantitate, quam in se, velut in fundamento, et radice, includit, dici nequit [1].

4° Dimensiones quantitatis, ad quas materia, prout principium individuationis est, ordinem habet, sunt, aiente s. Thoma, *interminatae*, sive *in ratione dimensionum tantum*, non autem dimensiones, prout hae, vel illae sunt. Etenim dimensiones, prout hae, vel illae sunt, variationibus subiiciuntur; quapropter, si essent eae, quae ad individuationis principium concurrunt, individuum, cuius partes saepe mutantur, semper idem numero non maneret. E contrario dimensiones, si *sub ratione dimensionum tantum* spectentur, differentiam secundum situm dumtaxat efficiunt; unde, etiamsi partes mutentur, et posteriores prioribus succedant, tamen cum in eodem situ sint, idem individuum permanet [2]. E. g., quamvis dimensiones in corpore hominis dilatentur et contrahantur; tamen idem remanet individuum, quia dimensiones eumdem situm semper retinent.

5° Denique materia, ut ad has quantitatis dimensiones ordinem secundum situm habere dicatur, non indiget alio principio, quod ipsam individuam reddit. Etenim in ratione situum, qui sunt differentiae quantitatis, non modo permanentia, et continuatio partium includuntur, sed etiam ordo earumdem partium in toto continetur. Atqui ordines differunt in se ipsis, quia conceptus ordinis conceptum distinctionis prae se fert. Ergo aliud principium non expostulatur, ut materia fundamentum, et radix determinatarum quantitatis dimensionum dicatur. « Ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quamdam individuationem; ita quod possumus imaginari plures lineas eiusdem speciei, differentes positione, quae cadit in ratione quantitatis : convenit enim dimensioni, quod sit quantitas positionem habens [3] ».

215. Postquam sententiam s. Thomae de principio individuationis,

---

1) Cf Ripa, *Op. cit.*, ibid., a. 6, p. 293.

2) « Dimensiones possunt dupliciter considerari. Uno modo secundum earum terminationem, et dico eas terminari secundum determinatam mensuram, et figuram ; et sic etiam ut entia perfecta collocantur in genere quantitatis; et sic non possunt esse principium individuationis; quia, cum talis dimensionum terminatio varietur frequenter circa individuum, sequeretur quod individuum non remaneret idem numero semper. Alio modo possunt considerari sine ista determinatione in natura dimensionis tantum, quamvis numquam sine aliqua determinatione esse possint . . . , et sic collocantur in genere quantitatis ut imperfectum. Et ex his dimensionibus interminatis efficitur haec materia signata, et sic individuat formam, et sic ex materia caussatur diversitas secundum numerum in eadem specie »; Opusc. cit. *Super Boëtium* etc., q. cit., a. 2 c.

3) III, q. LXXVII, a. 2 c. Cf *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 65. Quomodo quantitas se per se ipsam individuet, alias uberius dicemus.

quantum satis est, declaravimus, eius veritatem demonstrare in promptu est. E multis, quae afferuntur, argumentis duo eligimus: 1° Illud est principium individuationis, quo primo posito, ponitur individuatio, et quo primo ablato, illa aufertur[1]. Atqui posita *signata* materia, ponitur primo individuatio, eaque ablata, aufertur. Ergo materia *signata* est individuationis principium. Assumptio ex eo probatur, quod, posita forma, non ponitur individuatio, cum forma ex se sit communis; sed, posita materia signata, statim habetur individuum; illud enim, quod sub hac materia existit, neque cum aliis commune fieri, neque a seipso dividi, neque dici de subiecto potest, quae omnia, ut omnes norunt, individuum constituunt. 2° Non potest illud in dubium revocari, quod Aristoteles aperte professus est, unitatem materiae esse causam unitatis numericae [2]. Etenim exploratum est, si multiplicetur materia, multiplicari individua, et materiam esse causam huius multiplicationis [3]. Atqui, si principium, ex quo res multiplicatur, non multiplicetur, res una remanet. Ergo, si materia non multiplicetur, unum remanet individuum, et causa huius unitatis est materia. Certe in causis propriis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis; sed affirmatio multiplicationis materiae est causa multitudinis individuorum; ergo negatio huius multiplicationis, quae est unitas materiae, est causa non multitudinis, nempe unitatis ipsius individui.

216. Ex iis, quae de individuatione substantiarum materialium statuimus, nullo negotio intelligitur, quomodo animae humanae, substantiae intellectuales, nempe Angeli, et Deus individuentur. Enimvero, quoniam non aliud, nisi materia est principium individuationis, consequitur 1° animas humanas, quippe quae ad coniunctionem sui cum corporibus naturaliter destinantur, ex eo esse individuas, quod ordinem ad sua corpora habent [4]; 2° substantias mere spirituales, quas Angelos Sacrae Litterae appellant, cum neque in se ipsis materiam habeant, neque ad coniunctionem sui cum materia destinentur, ex se ipsis individuas fieri [5]; 3° denique Deum, cum summe simplex,

---

1) Cf Arist., *De Anim.*, lib. II, c. IX.

2) « Numero quidem (*unum sunt*), quorum materia una »; *Met.*, lib. IV, § 15, ed. Didot.

3) « At quaecumque multa numero, materiam habent, una etenim et eadem multorum ratio, veluti homines; Socrates vero unus »; *Op. cit.*, lib. XI, c. 8, § 12, ed. Didot.

4) De hoc fusius in *Anthropologia.*

5) « Formae, quae sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam. . . ; forma vero quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest a pluribus; sed illa forma, quae non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio » (I, q. III, a. 2 ad 3. Cf *ibid.*, q. L, a. 4 c.). Nemini negotium facessat, quod sanctus Doctor *substantiam individuari per seipsam* interdum generatim dicat (I, q. XXIX, a. 1 c., et *De princ. individ.*);

et actus purissimus sit, esse se ipso summe unum, et individuum [1].

ARTICVLVS TERTIVS

De supposito, et persona

217. Substantiae, quae in natura rerum nobis occurrunt, vel rationem partis praeseferunt, ita ut ad aliud perficiendum destinentur, et ex coniunctione sui cum eo, quod perficiunt, compleantur; e.g., *anima hominis, corpus* eius, vel *manus* etc.; vel nullum ordinem ad alterum perficiendum habent, nec ab altero complentur, sed aliquid in se integrum, et completum sunt, puta *homo totus, planta, sol* etc. Hinc distinctio substantiae in *completam*, et *incompletam* exurgit. Completa ea dicitur, quae ad coniunctionem sui cum altera substantia non destinatur. Incompleta est ea, quae destinatur ad coniunctionem sui cum altera substantia, cum qua unum compositum substantiale efformat. Iam perspicuum est substantias incompletas *per se* esse, quia alteri, veluti subiecto, non inhaerent, proindeque ab accidentibus distingui : sed prout totum substantiale componunt, nonnisi in ipso substantiali composito perfici. Ex quo fit, ut ipsae, quemadmodum s. Thomas advertit, non sint « in praedicamento substantiae sicut species, sed solum sicut principia [2] ». Substantiae autem completae non sunt in aliquo, tamquam *in subiecto*, neque in aliquo, tamquam *in toto*; proindeque iure dicuntur esse *sui ipsius*, hoc est, absoluta ratione *per se*, et *non in alio*, existere. Quod si substantia completa est *sui ipsius*, consequitur proprium quoque illius esse, quod, quidquid agit, sibi agit, cum substantiae incompletae, quippe quae non sunt sui ipsius, quidquid agunt, non sibi, sed subiecto, a quo perficiuntur, agant. Ita, quidquid homo operatur, operatio ei tribuitur; et cum ma-

---

non aliud enim sibi vult, nisi substantiam, secus ac accidens, non individuari ex eo, quod est in alio subiecto, sed *ex propriis principiis*. Ait enim (l, loc. cit.): « Substantia individuatur per seipsam; sed accidentia individuantur per subiectum, quod est substantia »; atque alibi: « Substantiae ex propriis principiis individuantur, et non ex alio extraneo, sicut accidens ex subiecto » (*Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 2 c.). Quoniam substantiae angelicae per se ipsas individuantur, s. Thomas inde confecit ipsas specie inter se differre, ita ut duo Angeli eiusdem speciei inveniri nequeant (I, q. L, a. 4 c.). Hoc quidem, ut idem Doctor advertit, non fit ex eo, quod natura cuiusque Angeli per se spectata in pluribus esse nequit; sed ex eo, quod, cum omnis materiae sit expers, non inveniuntur subiecta, in quibus ipsa multiplicetur. Vid. *De spirit. Creat.*, q. unic., a. 8 ad 4.

1) « Sicut in aliis rebus fit individuatio rei communis receptae per id, quod est recipiens; ita divina Bonitas, et Esse individuatur ex ipsa sui puritate, per hoc scilicet, quod ipsa non est recepta in aliquo »; *In lib. De Causis*, lect. IX; cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. VIII, a. 2 ad 5. De hac re plura in *Theodicea*.

2) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 1 ad 1.

nus percutit instrumentum, non proprie manus, sed manus per hominem agere dicitur.

218. Iamvero actus, sive perfectio, per quam substantia completa existit, *subsistentia* appellatur. Quare subsistentia ita definiri solet: *Actualitas, seu perfectio, per quam natura fit sui ipsius, et non alterius*; vel etiam: *perfectio, per quam natura ultimo completur, et terminatur, ita ut sit, et operetur, quin cum altera se communicet* [1]. Porro, si subsistentia concrete sumatur, dicitur *suppositum*; quocirca suppositum est *substantia individua, et completa incommunicabiliter subsistens.* Quod si suppositum intelligentia perfruatur, digniori nomine *persona*, vel *hypostasis* nuncupatur [2], eaque secundum Boëtium vulgo definitur: *Rationalis naturae individua substantia.*

219. Haec personae definitio omnia, quae ad ipsam constituendam expostulantur, perbelle complectitur. Nam persona in primis nonnisi *substantia* esse potest; cum enim accidentis sit subiecto inesse, ipsum a perfecta ratione existendi in se, hoc est, a subsistentia, longissime abest [3].

220. Praeterea, cum persona dicitur *individua*, triplicem *incommunicabilitatem* ad ipsius rationem pertinere significatur [4]. Prima illa est, per quam, ut s. Thomas inquit, « privatur communitas universalis[5] », hoc est, per quam persona nonnisi substantia singularis est; « natura enim universalis, ut s. Damascenus inquit, non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur [6] ». Hinc persona, mo-

---

1) Hanc subsistentiam Graeci modum existendi *per se*, *proprie*, *seorsum*, *perfecte*, vel existentiam proprio termino circumscriptam appellitant. Cf prae caeteris s. Damasc., *Dialect.*, c. 42, 43, 44, 67, et *De duab. voluntatibus*, § 7.

2) De etymologia, et diversa significatione huius vocis cf Nottebaum, *De personae, vel hypostasis apud Patres, theologosque notione, et usu*, § 2 et 3, p. 4-9, Susati 1853.

3) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 2 c.

4) Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 7, et s. Bonav. *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, a. 1, q. I *ad arg.*

5) *In lib. I Sent.*, loc. cit.

6) *De Fide orthod.*, lib. III, c. 11. « Quae communia, ait quoque (*ibid.*, c. 6) et generalia sunt, de particularibus sibi subiectis praedicantur. Commune porro quidem essentia est, particulare persona ». Hanc doctrinam, omissis aliis PP. Graecis (cf de his opus nostrum, *I principali sistemi* etc., c. 3, § 10, p. 491-495), s. Augustinus perspicue tradiderat. Praestat eius verba afferre, ne quis cum Petavio (*De Theol. dogm.*, *De Trin.*, lib. IV, c. 7, n. 9, t. II, p. 218) putet definitionem personae ab illo Doctore diligenter expositam non fuisse. « Quod si dicunt, ait, substantiae, vel personae nomine non speciem significari, sed aliquid singulare, atque individuum; ut substantia, vel persona non ita dicatur, sicut dicitur homo, quod commune est omnibus hominibus, sed quomodo dicitur hic homo, velut Abraham, velut Isaac, velut Iacob, vel si quis alius, qui etiam digito praesens demonstrari posit »; *De Trin.*, lib. VII, c. 6, n. 11.

nente s. Thoma, addit essentiae *talem modum existendi*. « Sicut nomen, ait, quod significat naturam, est commune, et definibile, ut homo, vel animal; ita nomen, quod significat naturam cum tali modo existendi, est hypostasis, vel persona [1] ». Altera est, « qua privatur communitas particularis, quam habet in constitutione totius [2] ». Inde fit, ut substantia incompleta nequeat esse persona; quia hoc ipso,

---

1) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 2 ad 1. Personalem tesseram *in tali modo existendi* consistere non solum de personis creatis, sed etiam de Personis Divinis, quas in Deo esse Fides Catholica nos docet, dicendum est. « Ratio suppositi, inquit Henricus Gandavensis (*Op. cit.*, art. XXXIV, q. 2, n. 20), non dicit in Deo, sicut nec in creaturis super essentiam, et naturam, nisi modum essendi, scilicet esse distinctum ab alio ». Nisi quod maximum inter utrasque discrimen intercedit. Namque 1° commune in personis humanis est natura specifice quidem, sed non numero una; in Personis autem Divinis est una, eademque numero natura, quae ob summam foecunditatem cum tribus Divinis Personis communicatur. 2° In personis creatis personales modi existendi ex diversis modis, quibus essentia determinatur, sive, ut s. Thomas scribit (*Quodlib.* IX, a. 3 c.), ab *esse superaddito* constituuntur; ast id asserere de Personis Divinis, quae unum, idemque cum Essentia sunt, tam absurdum est, quam in Deo compositionem admittere (cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, a. I, q. 2 *ad arg.*). Quod si quaeras quinam sint personales modi existendi, ex quibus Divinae Personae distinguuntur, s. Augustinus respondet ipsos neque aliquid accidens esse, quia « nihil in Deo secundum accidens dicitur », neque aliquid, « quod secundum substantiam dicitur », quia, ut paullo ante diximus, substantia in Divinis Personis una, eademque numero est; sed proprie consistere in eo quod « dicitur ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem » (*De Trin.*, lib. V, c. 4, n. 6), hoc est, in quibusdam eiusdem Divinae Substantiae relationibus, quae sunt Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva. « In Divinis, inquit Henricus Gandavensis, suppositum constituitur ex essentia, et relatione, sive magis proprie loquendo, et evitando suspitionem compositionis, essentia, et relatio, sive essentia cum ratione respectus constituunt Suppositum Divinum, ut ambo cadant natura, et significatio eius » (*Op. cit.*, art. LVI, q. IV, a. 8). Hinc illi personales modi existendi, aiente s. Bonaventura, « proprie, et principaliter secundum relationem, ex consequenti vero secundum substantiam dicuntur, causaliter loquendo » (in *Op.* cit., Dist. XXXI, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*). Hae autem relationes non quidem ab ipsa Essentia Divina, sed inter se realiter distinguuntur; unde fit, ut Tres Personae Divinae, cum unam numero Essentiam habeant, ab se realiter distinguantur. « Non enim, ita ad hanc rem argumentatur s. Thomas, relatio distinguit realiter, nisi secundum oppositionem respectus, quam habet. Illa autem oppositio non est ad hoc, in quo relatio habet esse, sed ad hoc, ad quod dicitur; et ideo relatio non distinguitur realiter ab essentia, et persona, in qua est, sed a persona alia, ad quam dicitur » (*In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1 ad 5). Neque dicas Naturam Divinam, cum a Personis realiter non distinguatur, incommunicabilem, aeque ac istas, esse. Etenim, ut apposite inquit idem sanctus Doctor, « de eo, quod est idem re, et differens ratione, nihil prohibet contradictoria praedicari. . . Unde, cum essentia, et proprietas sint idem re, et differant ratione, nihil prohibet, quin unum sit communicabile, et aliud incommunicabile » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 1 ad 5; cf s. Bonav. *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, a. 1, q. 2 *ad arg.*). Vid. de his nostrum opus, *I principali sistemi* etc., loc. cit., p. 536-543.

2) *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 2 ad 7.

quod incompleta est, existentia proprie subsistenti, seu per se completa, et perfecta caret. Hinc « anima separata, aiente s. Thoma, est pars rationalis naturae, scilicet humanae, et non tota natura rationalis hominis, et ideo non est persona [1] ». Tertia est, « qua privatur communitas assumptibilis coniuncti rei digniori [2] », hoc est, qua natura, si cum alia excellentiori coniungatur, propriam hypostasim in coniunctione amittit, atque in illa hypostasi subsistit, quam excellentior natura retinet [3].

221. Denique additur illa vox *rationalis*, ut subsistentia cuiuslibet naturae singularis completae ab illa, quae propria intellectualis naturae est, distinguatur [4]. Ex notione personae, quam tradidimus, illud etiam perspicitur, personam esse integrum operationum suarum principium, quippe quod nulla natura aliquid agit, nisi iam subsistat. Hinc illud effatum: *Actiones sunt suppositorum*; quod idem valet, ac, etsi natura fons sit et principium, *quo* operationes eliciuntur, tamen

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 14. « Substantia individua, alibi inquit, quae ponitur in definitione personae, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis: alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit quaedam substantia individua; quia tamen est substantia individua, sicut in alio existens, non potest dici persona »; III, q. XVI, a. 12 ad 2.

[2]) *In lib. I Sent.*, loc. cit.

[3]) Id in ss. Incarnationis mysterio evenit, quia, cum humana natura a Verbo assumpta fuit, « Persona divina, ut Aquinas ait, sua unione impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet » (III, q. IV, a. 2 ad 3). Unde « naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanae naturae pertineat; sed propter additionem alicuius, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad Divinam Personam » (*ibid.* ad 2). Nulla autem repugnantia in eo invenitur, quod persona excellentioris dignitatis subsistentiam suam cum aliqua inferiori natura communicet (cf eundem s. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. V, q. II, a. 1 ad 2). Et sane, repugnantia adesset, si persona cum quavis alia persona coniungeretur, ita ut huius communicationis terminus esset una persona, quia personales modi existendi ita inter se distinguuntur, ut qui est proprius unius ad alterum non pertineat; vel si persona cum aliena natura ita communicaretur, ut simul cum hac in unam compositam naturam concresceret, quia si id fieret, necesse foret, ut simul cum natura personae etiam modus existendi eius mutaretur, hoc est, ut prima persona mutaretur, novaque nasceretur. Iamvero nihil horum evenit in illa coniunctione, qua excellentior persona cum aliena natura ita communicatur, ut, utraque natura integra manente, personalitas inferioris naturae ad personalitatem *praeexistentem* excellentioris naturae *trahatur* (*In lib. III Sent.*, Dist. V, q. II, a. 1 ad 1). Ad id quoque spectant haec verba sancti Doctoris: « Dicendum, quod persona dicitur incommunicabilis, inquantum non potest de pluribus suppositis praedicari; nihil tamen prohibet, plura de persona praedicari. Unde non est contra rationem personae sic communicari, ut subsistat in pluribus naturis » III, q. III, a. 1 ad 2.

[4]) « Additur *rationalis* naturae, in quantum significat singulare in rationalibus substantiis »; I, q. XXIX, a. 1 c.

suppositum seu *persona* est integrum, et completum principium, *quod* operatur [1].

222. Hanc, quam ex Patrum, et Scholasticorum fontibus hausimus, personae notionem nonnulli hodierni Germaniae Theologi, a Rationalistarum placitis non, uti par est, abhorrentes, aspernantur, eiusque in locum alias sufficere volunt, quae huc redeunt, quod persona est *natura sui conscia* [2].

223. Huius sententiae absurditatem multa ostendunt. Sane 1° conscientia est actus, quo natura intellectrix se, suasque operationes cognoscit. Atqui, aiente s. Thoma, « actus omnis est rei subsistentis, et perfectae [3] », hoc est, *suppositi*, vel *personae*. Ergo conscientia personam iam constitutam expostulat; tantum abest, ut illam constituat. 2° Si persona in *conscientia* posita esset, anima etiam sine corpore persona humana esse posset, quippe quod ipsa corpore non eget, ut sui conscientiam habeat; atqui sola anima, utpote substantia incompleta, persona esse nequit; persona igitur ex conscientia sui ipsius exurgere non potest. 3° Ii, qui hanc novam definitionem tradunt, si sibi constare velint, doceant necesse est homines, cum sine conscientia sui ipsius nascantur, minime nasci uti personas, sed annorum cursu fieri personas, proindeque infantes, priusquam mentis suae compotes fiant, haudquaquam esse personas, eoque demum temporis puncto personas effici, quo eorum anima ad se ipsam redit. Iam haec plane inaudita Theologis, et Philosophis sunt; hi enim omnes hominem, tamquam personam nasci, terminumque generationis nonnisi personam esse concorditer docent [4].

---

[1]) Hinc humana Christi natura operari non posset, nisi in Verbo Divino subsisteret (vid. s. Thom., III, q. XIX, a. 1 ad 3). Qua de re Theologi docent omnes Christi operationes, quae ab Eius humana natura promanant, esse Θεάνδρικας, *Deiviriles*, idque fieri « non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum utriusque naturae, sed per hoc, quod Divina operatio Eius utitur humana, et humana Eius operatio participat virtutem Divinae operationis »; III, q. XIX, a. 1 ad 1. Cf Petav. *De Incarn.*, lib. VIII, c. 11, § 12.

[2]) Cf prae caeteris Zucrigé, qui ait: « *Ego* igitur, seu Personalitas, non est aliud, nisi ens sciens se ipsum, seu conscientia »; *Defensio scientifica theoriae christianae Trinitatis* (germ.), p. 244, Viennae 1846. Cf ibid., p. 181, 187, 188, 208, et 244.

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1 ad 1.

[4]) Si haec nova personae definitio in dogmatis Fidei declarandis adhibeatur, ea certe ad errores ipsis contrarios necessario ducit. Enimvero, quoniam in Deo una, eademque est scientia, qua se cognoscit, ex ipsa flueret unam in Deo esse personam. Nos equidem non latet Theologos, huius definitionis fautores, ex eo quod personam esse naturam consciam sui arbitrantur, sicut tres Personas, ita tres conscientias in Deo realiter distinguere (vid. Zucrigè, *Op. cit.*, p. 266). Ast hoc commentum tres naturas in Deo statuit, Personarumque Trinitatem destruit. Et sane statuit tres naturas; quia, si persona est natura conscia sui, tres conscientias tres naturae consequantur oportet. Personarum autem Trinitatem destruit; quia, ut s. Thomas ait (I, q. XXXII, a. 3 ad 3), « in Divinis plures proprietates... cum non opponantur ad in-

224. Iisdem rationis momentis exploditur opinio Lockii, qui *identitatem* personae in conscientia propriarum actionum, seu in actu, quo quisque operationum suarum est conscius, ponendam esse censuit [1]. Enimvero, 1° quoniam sicut persona, ita eius identitas conscientiam praecedit; idcirco sicut persona, ita eius identitas in conscientia posita esse nequit. 2° Ut alia absurda, quae ex lockiana sententia profluunt, missa faciamus, si personae identitas a conscientia nostrarum actionum penderet, nos in sumno, in quo illa conscientia destituimur, non eadem persona essemus, ac in vigilia; immo, cum in ipsa vigilia praeteritarum actionum unico actu numquam reminiscamur, eadem, et non eadem persona simul essemus: eadem quidem ob memoriam aliquarum actionum; non eadem vero propter aliarum oblivionem. Frustra Lockiani nobis obiicerent personam, eadem substantia intellectuali manente, mutari; siquidem, cum substantiae intellectuales, ipso Lockio concedente [2], cum aliis incommunicabiles rationem personae habeant, fieri nequit, ut, dum persona mutatur, substantia eadem maneat.

225. Quod si quis quaerat, undenam identitas nostrae personae repetenda sit, ei in memoriam revocamus personam in homine non esse solam animam, aut solum corpus, sed aliquid ex anima, et ex corpore compositum, cuius subsistentia, ut in *Anthropologia* ostendemus, ex *esse*, quod anima cum corpore communicat, constituitur. Iam anima, utpote substantia intellectualis, ideoque expers partium, nequit substantialiter mutari. Corpus vero, etsi partium mutationem experiri queat, tamen, quamdiu cum anima coniungitur, idem numero manet. Cuius ratio est, quia numerica corporis identitas, ut ex iam dictis [3] patescit, ex eo oritur, quod eaedem partium dimensiones se-

---

vicem relative, non differunt realiter ». Atqui tres, quas illi adstruunt, conscientiae nullam oppositionem relationis includunt. Ergo ex trium conscientiarum distinctione Trinitas Personarum explicari haud potest. Praeterea illa personae notio catholicam circa Incarnationis mysterium fidem etiam pessumdat. Etenim humana natura Christi conscientia sui orbata non fuit, tum quod conscientia naturam intellectualem necessario consequitur, tum quod, si res secus esset, humanam Christi naturam libertate destitutam fuisse dicendum foret, cum inter omnes conveniat nullum esse homini libertatis usum, priusquam sui conscius evadat. Quod cum ita se habeat, nemo non videt, si persona esset natura sui conscia, humanae Christi naturae nihil defore, ex quo perfecta persona humana constitueretur; unde nestoriana haeresis existeret. Quod si quis dicat in Christo conscientiam sui inferiorem, et humanam a superiori, et divina esse quodammodo absorptam, is profecto, dum nestorianismum vitat, in eutychianismum incidit. Nam, quia conscientia ad naturam intellectualem necessario pertinet, in Christo humanam sui ipsius conscientiam a Divina absorptam esse tam sacrilegum est dicere, quam inferiorem naturam, eiusque naturalem operationem a superiori absorptam fuisse.

1) *Op. cit.*, lib. II, c. 27, § 9.

2) *Ibid.*, § 26.

3) Cf p. 112.

cundum situm permanent; hae autem dimensiones in nostro corpore, quamdiu cum anima coniungitur, numquam mutantur, puta, sive homo sit puer, sive adolescens, sive vir, sive senex, caput, et ceterae eius corporis partes semper eumdem situm habent [1]. Hinc, quoniam eadem substantia animae cum eodem *numero* corpore *esse* suum communicat, eadem dicenda est hominis persona, sive eaedem, sive diversae eius operationes sint.

226. Expositis subsistentiae, et personae, sive suppositi notionibus, nonnullas quaestiones, quae circa ipsas agitantur, exsolvamus oportet.

Harum prima est, utrum substantia a natura realiter distinguatur. Perspicuum ex se est nos hic non quaerere, utrum subsistentia distinguatur a natura, prout haec ipsam essentiam rei significat; si enim, uti iam ostendimus [2], existentia in rebus creatis ab essentia distinguitur, dubitari non potest, quin subsistentia quoque ab ipsa distinguatur. Apposite s. Thomas: « In significatione naturae includitur solum id, quod est de ratione speciei; suppositum autem non solum habet haec, quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quae ei accidunt; et ideo suppositum signatur per totum, natura autem, sive quidditas, ut pars formalis [3] ». Itaque, illud, quod in dubium adducitur, in hoc versatur, utrum, necne in rebus creatis realis distinctio inter subsistentiam, et singularem naturam intercedat [4].

227. Iam sententia affirmans veritati procul dubio consentanea est. Et sane natura, etsi singularis, imo completa sit, actualem tamen sui propriam subsistentiam in se non includit· quia, ut diximus [5], nihil vetat, quominus ab aliena subsistentia perficiatur, sive, ut aiunt, *terminetur*. Apposite s. Thomas: « Sciendum est, quod non quodlibet individuum in genere substantiae, etiam in rationali natura habet rationem personae, sed solum illud, quod per se existit, non autem quod existit in alio perfectiori [6] ». Iam, si natura singularis prout natura est, subsistentiam non praesefert, haec tamquam aliquid ab ipsa realiter distinctum censenda est. Sane singularitas naturae, monente eodem Aquinate, efficit, ut ipsa sit *haec* natura, non vero, ut sit *hoc* subsistens. « Dicendum, ait, quod est duplex singularitas, scilicet singularitas naturae, ut haec humanitas, et singularitas subsistentis in natura, ut hic homo [7] ».

---

[1]) « Non est autem alius numero homo secundum diversas partes, et aetates, quamvis non quidquid materialiter est in homine secundum unum statum, sit in eo secundum alium »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 81, n. 4. Cf *Quodlib.* VIII, a. 5 ad 2.

[2]) Pag. 49.

[3]) *Quodlib.* II, a. 4 c. Cf I, q. III, a. 3 c.

[4]) *In rebus creatis* inquimus; nulli enim dubium est, quin Divinae Personalitates a natura *ratione* tantum distinguantur.

[5]) Pag. 115. — [6]) III, q. II, a. 2 ad 3.

[7]) *In lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 1 *sol.* 3 ad 2. « Nomen, persona, alibi scribit,

228. Ex his pronum est respondere huic secundae quaestioni, utrum subsistentia sit aliquid positivum, an mera negatio. Sunt enim e Scotistis, qui putant subsistentiam id dumtaxat efficere, ut natura cum altero communicari nequeat, eamque idcirco in mera negatione communicabilitatis consistere [1]. At nobis, secundum s. Thomam [2], certum videtur subsistentiam esse quidquam positivum. Etenim natura ex subsistentia valde perficitur; quippe quod per ipsam ita sui iuris fit, ut ei non solum non sit opus, sed ne possibile quidem sit se cum altera communicare. Atqui aliquid perfici non potest, nisi per id, quod est positivum, et reale. Ergo subsistentia in mera negatione posita non est [3].

---

non est impositum ad significandum individuum ex parte naturae, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura » (I, q. XXX, a. 4 c.). Haec distinctio inter naturam, et subsistentiam, ut s. Thomas ostendit, in Angelis etiam admittenda est. « In solo Deo, ipse inquit, non invenitur aliquod accidens praeter Eius Essentiam, quia suum Esse est sua Essentia . . . , et ideo in Deo est omnino idem suppositum, et natura. In Angelo autem non est omnino idem, quia aliquid accidit ei praeter id, quod est de ratione suae speciei, quia et ipsum esse Angeli est praeter eius essentiam, seu naturam, et alia quaedam ei accidunt, quae omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam » (*Quodlib.* II, a. 4 c.). Quod si sanctus Doctor alibi (I, q. III, a. 3 c.) in substantiis mere intellectualibus *non differre suppositum a natura* adstruit, non aliud sibi vult, quam illas substantias non ex aliquo materiali principio, sed se ipsis individuas fieri. Cf Roselli, *Op. cit.*, pars III, q. II, art. 6, p. 44-46, ed. cit.

[1]) Ipse Scotus in hanc sententiam inclinare videtur. Vid. *In lib. III Sent.*, Dist. I, q. I.

[2]) « Hoc nomen persona, ait, non est nomen negationis . . . . sed rei »; I, q. XXX, a. 4 c.

[3]) Solutio harum quaestionum ex Divina Revelatione mirifice comprobatur. Quae nos docet Verbum coniunxisse sibi humanam naturam in unitate suae subsistentiae, consumpta subsistentia eius propria. Iamvero, si Verbum divinum coniunxit sibi naturam humanam per aliquid, quod vice subsistentiae humanae fungitur, procul dubio subsistentia non est mera negatio, sed quidquam reale. Neque dicas, cum nihil positivum sit in natura humana, quod a Verbo assumptum non fuerit, subsistentiam, quae assumpta non fuit, non esse aliquid positivum. Etenim Verbum assumpsit omnem entitatem naturae humanae, et quidquid ad eam pertinet in ratione naturae, hoc est, quidquid naturam constituit, non tamen illud, quod humanam naturam perficit, seu *terminat*. Praeterea, quandoquidem Verbum, uti a Fide edocemur, naturam humanam individuam, et singularem sine subsistentia propria assumpsit, id argumento est subsistentiam realiter distingui a natura; fieri enim nequit, ut ex duobus, si re ipsa idem sunt, unum adsumatur, alterum relinquatur. Hinc Patres perstringebant haereticos argumentatione, quae huc redit: Si natura, et persona, unum idemque sunt, in Christo duae naturae, et una persona admitti non possunt; sed assentiendum est aut Nestorianis qui, cum duas naturas in Christo agnoscant, inde arguunt esse in Eo duas personas, aut Eutychianis, qui ex eo, quod in Christo una est persona, concludunt unam in Eo esse naturam ex mixtione duarum naturarum effectam. Cf s. Damasc., *De Fide orthodoxa*, lib. III, c. 9, et Lequien in nott. ad illud caput.

229. Quod si quaeratur, quidnam sit hoc positivum, quod subsistentia supra naturam addit, responderi potest esse quemdam modum, quo natura completur, sive terminatur, fitque sui iuris. Ex quo perspicitur naturam a subsistentia distingui, « non quia natura sit una res, et suppositum alia res »; sed veluti modum a re, « quia secundum modum significandi natura significatur. . . ut constituens, et suppositum, ut constitutum [1] ».

230. Denique, si substantia distinguitur realiter a natura, distinguiturne etiam realiter ab existentia? Verisimile est subsistentiam re ipsa distingui ab existentia. Si enim subsistentia unum re ipsa esset cum existentia, necesse foret, cuicumque convenit existentia, ei subsistentiam quoque convenire. At res ita se non habet; nam subsistentia est propria substantiarum completarum, cum existentia sit his, aeque ac substantiis incompletis, imo accidentibus etiam communis. Accedit, quod subsistentia, seu suppositum ex ipsa coniunctione partium, ex qua totum completum, et *terminatum* oritur, naturae convenit; existentia autem ipsi toti convenit, prout actioni causae producentis subiicitur. Neque aliter s. Thomas opinatur, quippe qui ait: « Esse consequitur . . . personam, sive hypostasim sicut habentem esse [2] ».

ARTICVLVS QVARTVS

De accidente

231. Specialis modus essendi, qui modo, quo substantia est, opponitur, *accidens* appellatur. Quapropter sicut substantia est res, cui *esse* non in alio convenit; ita accidens est res, cui convenit *esse* in alio, tamquam in subiecto. « Est, inquit s. Thomas, definitio accidentis. . . res, cui debetur esse in alio [3] ». Quod cum ita sit, ad notionem acci-

---

[1]) *Quodlib.* II, a. 4 *ad arg. in contrarium.* « Subsistentia, inquit Ioannes a s. Thoma, addit supra naturam terminum quemdam, seu formalitatem excludentem modum inhaerentiae, et modum partis communicabilis, sicque reddit naturam terminatam, et incommunicabilem ulteriori termino, sicut etiam punctum terminat lineam positiva additione, et terminatione »; *Op. cit.*, pars II, q. VII, art. 1, p. 388.

[2]) III, q. XVII, a. 2 ad 1.

[3]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. 1, a. 1, *sol.* 1 ad 2. Accidens, de quo hic agimus, est accidens *physicum*, quod *categoricum*, seu *praedicamentale* dicitur, non vero accidens *logicum*, quod *categorematicum*, seu *praedicabile* appellatur. Iam hae duae accidentis species in eo consentiunt, quod utraque est res, cui esse in alio convenit. Ast unum ab altero differt, quod accidens praedicamentale denotat illud, quod rei, quae per se est, nempe substantiae, opponitur; accidens autem praedicabile significat illud praedicati genus, quod intellectus essentiae rei advenire intelligit, et maxime illud, quod accidens *commune*, seu *individui* (cf *Logic.*, p. I, c. I, art. 2, p. 49, not. 1, vol. I) nuncupatur. « Accidens, s. Thomas subdit, a philosophis dupliciter sumitur. Uno modo, secundum quod dividitur contra substantiam. . . Alio modo, se-

dentis penitus intelligendam explorare opus nobis est, quid accidens inhaerere subiecto significet [1].

232. In primis accidentia, Scholasticorum sententia, a *modis*, sive accidentia *absoluta* a *modalibus* distinguenda sunt. Ipsi quidem, cum s. Augustini doctrinam prae oculis haberent, observarunt ea, quae substantiae accidunt, secundum quemdam modum ei accidere. Enimvero, quoniam res creatae non sunt ipsum suum *esse*, sed a Deo *esse* suum recipiunt, necesse est, ut quaelibet res creata *esse* habeat quibusdam limitibus coercitum, sive, ut aiunt, *mensuratum*; quia res quidquid recipit, secundum naturam suam, hoc est, naturae suae *commensuratum* recipit [2]. Atqui « mensura, aiente s. Augustino, omni rei modum praefigit [3] ». Ergo quidquid rerum creatarum [4] existit, « quodam modo, ut idem Doctor ait, cohiberi [5] » debet. Porro, cum in rebus creatis sit et aliquod *esse* substantiale, et aliquod *esse* accidentale, consequitur in qualibet re creata modum inveniri non solum in iis, quae eius substantiam constituunt, sed etiam in iis, quae substantiae accidunt [6]. Iam modi, secundum quos accidentia substantiam afficiunt, accidentia *modalia*; ipsa autem accidentia, quae substantiam afficiunt, accidentia *absoluta* appellantur. E. g., motus est accidens absolutum; segnities autem, vel velocitas motus est accidens modale. Item calor aquae est accidens absolutum; intensio autem caloris est accidens modale [7].

---

cundum quod ponitur a Porphyrio unum quinque universalium »; *Qq. dispp.*, q. unic. *De sp. cr.* a. 11 c.

[1]) Iam ostendimus substantiam esse subiectum accidentis (*Log.*, p. I, c. I, art. 4, p. 54-55 vol. I), simulque declaravimus, quomodo unum accidens possit esse subiectum alius accidentis (p. 55, not. 2). Lubet nunc ad huius rei maiorem perspicuitatem haec alia s. Thomae verba exscribere: « Dicendum, quod accidens per se non potest esse subiectum accidentis; sed unum accidens per prius recipitur in substantia, quam aliud, sicut prius quantitas, quam qualitas. Et hoc modo unum accidens dicitur esse subiectum alterius, ut superficies coloris, inquantum substantia uno accidente mediante recipit aliud »; I, q. LXXVII, a. 7 ad 2.

[2]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXXI, a. 6 c.

[3]) *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 3, n. 7.

[4]) *Rerum creatarum* inquimus, quia, cum Deus sit ipsum *esse*, ob idque nullis limitibus coerceatur, Ipse, ut idem s. Augustinus ait, « supra omnem creaturae modum est », ab Eoque, utpote omnium rerum auctore, « modus omnibus tribuitur rebus, ut aliquo modo esse possint »; *De nat. boni contr. Man.*, lib. I, c. 22.

[5]) *De nat. boni* etc., l. cit. c. 21.

[6]) Cf s. Thom., q. cit. ad 5. S. Augustinus animadvertit modum etiam actionibus humanis praefixum a Deo esse, ne ultra limites ipsis assignatos progrediantur. « Est etiam, inquit, mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis, et immoderata progressio »; *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 4, n. 8.

[7]) Accidentium modalium diversa genera extant. E. g., modus potest esse vel *positivus*, vel *negativus*; quia vel aliquid in re ponit, puta velocitatem in motu, aut intensionem in calore, vel ulteriorem realitatem de re negat, uti remissionem in calore. Rursus modus positivus *internus*, vel *externus* esse potest, prout rem afficit

233. Iam Scholastici docent 1° accidentia realiter a substantia distingui; 2° latum esse discrimen inter accidentia absoluta, et modalia; 3° accidentia absoluta subiecto naturaliter inhaerere, ast ita, ut ex Divina virtute a substantia separari queant. Plerique Philosophi recentes tenent omnia accidentia esse modos, et quoniam modi a rebus non distinguuntur, inde conficiunt accidentia non distingui re ipsa a substantia, proindeque fieri non posse, ut a substantia unquam separentur. Ipsi equidem non inficiantur substantiam, cum aliquid accidens ei advenit, vere, et re ipsa mutare; sed praefracte contendunt illud non esse quidquam *absolutum*, sive quod a substantia realiter distinguitur, ab eaque separari quit, sed esse dumtaxat novum statum, quem substantia induit, hoc est ipsammet substantiam aliter *modificatam* [1]. Leibnitius autem Bayleo, Cartesianorum de hac re argumenta extollenti, respondit haec nullius ponderis sibi videri ad tollendum accidentia inter, et substantiam reale discrimen, atque Cartesianos, eo quod istud discrimen sustulerint, magna in philosophiam incommoda importasse [2]. Verum, dum realem distinctionem inter accidentia, et substantiam agnovit, omnino negavit esse accidentia non modalia, quae a Peripateticis admissa fuerant, propterea quod nequit intelligi aliquid inhaerere subiecto, nisi velut eius modus, et status consideretur. Quoniam autem putavit omnia accidentia esse modalia, facile conclusit fieri neutiquam posse, ut accidens sit sine subiecto, et Scholasticos reprehendit, quod accidentia admiserint, quae ex Divinae Potentiae virtute subiecto non inhaerere possint [3].

234. Nos tria pronuntiata modo numerata, quae Scholastici ad Fidei dogmata sarta, tectaque servanda de hac re defenderunt, brevi demonstratione complectemur. Atque in primis *esse* accidentis, etsi

---

vel extrinsecus, puta rectitudo, aut curvitas in linea, vel extrinsecus, puta quod columna est mihi dextera, aut sinistra.

1) Ad hanc sententiam, quam Maignanus, Fortunatus a Brixia, aliique permulti apud Rosellium (*Op. cit.*, pars III, q. V, art. 2, p. 211 sqq) tuiti sunt, accesserunt Baldinottius (*Tent. Met.*, c. I, § 29, et c. 2, § 79-81, p. 30, 31, 50, et 51, Patavii 1817), et fere omnes nuperi. Hodierni vero Eclectici, et Rationalistae hanc theoriam vel omnino negligunt, vel perversis, et ambiguis modis exponunt. In universum dici potest eos modum, et accidens pro una eadem re habere, atque hanc unam rem, sive modus, sive accidens vocetur, a substantia realiter non distinguere. Vid. Franck, *Diction. phil.*, art. *Accidens*, t. I, p. 15, et art. *Mode*, t. IV, p. 283, et Garnier, *Traité des facultés de l'âme*, lib. VI, sect. I, c. 5, § 14, t. II, p. 239 sq.

2) *Epist.* XXI *ad Des Bosses*, ed. cit. p. 686.

3) *Epist.* XXVIII *ad Des Bosses*, p. 728. Leibnitius in opere posthumo, *Systema theologicum*, quod ab. Emery primum evulgavit (Parisiis 1819) sententiam suam omnino mutavit; quia et accidentia absoluta admisit, et ea a subiecto, cui inhaerent, ex virtute Dei separari posse docuit. Vid. laudatum opus, quod, denuo, et emendatius editum ab ab. Lacroix (an. 1844), Albertus de Broglie tertio edidit, et vertit, p. 206-208, Parisiis 1846.

non sit, quemadmodum s. Thomas inquit, « absolutum per se a subiecto [1] », tamen ab *esse* substantiae reapse distinguitur. Et sane, quod ipsimet adversarii fatentur, ex accidentibus fit, ut substantia aliquem modum, sive statum accipiat, vel amittat, proindeque varietur, et mutetur. Quapropter, si accidentia non distinguerentur a substantia, ob idque in rebus nihil esset praeter substantiam, dicendum foret illud, quod substantiae additur, aut ab ea demitur, ab ipso *esse* substantiae haud distingui. Atqui id prorsus abnorme est, tum quia substantiae secundum suum *esse*, quemadmodum ostendimus [2], nec quidquam est contrarium, nec quidquam detrahi, aut addi potest; tum quia impossibile omnino est unam, eamdemque rem sibi ipsi addi, aut a seipsa separari ; unde, docente Aquinate, nulla mutatio intelligi a nobis potest, nisi subiectum, quod idem manet, iam intelligatur [3]. Ergo *esse* accidentis ab *esse* substantiae reapse distinguatur oportet. Hinc cum eodem sancto Doctore concludendum nobis est accidentia, etsi habeant *esse ab illo substantiae dependens*, tamen illud esse « est aliud ab *esse* substantiae, unde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem..., quia enim omnia accidentia sunt formae quaedam substantiae superadditae . . . , oportet, quod eorum *esse* sit superadditum supra esse substantiae [4] ». Accedit, quod, ut idem Aquinas monuit, « non potest esse quod non intelligatur id, quod est de substantia rei, re secundum suam substantiam intellecta [5] ». Quocirca, si accidentia ab *esse* substantiae non distinguerentur, substantiam concipere nobis non liceret, nisi accidentia ipsi inesse intelligeremus, id quod a vero alienum est [6].

---

1) ***De Ente, et Ess.***, c. VII.

2) Pag. 102.

3) « Omne, quod movetur, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam »; I, q. IX, a. 1 c.

4) *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 14. « Aliud est, alibi ait, esse albi, et aliud esse hominis, cui advenit albedo » (III, q. II, a. 6 ad 2). S. Bonaventura (***In lib. IV Sent.***, Dist. XLIX, p. I, a. 1, q. 1 *ad arg.*), ut *esse* accidentis ab *esse* substantiae distingueret, hoc *esse primum*, illud *esse secundum* appellavit. Notandum quoque est Scholasticos a Patribus hanc doctrinam accepisse. Satis sit haec s. Augustini verba referre: « Candor corporis non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, et illa eius qualitas; unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non hoc est esse, quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color; et utrumque non in seipso, sed in aliqua mole, quae moles nec forma, nec color est, sed formata, et colorata »; ***De Trin.***, lib. VII, c. 1, n. 2. Cf s. Basilium, Hom. VI ***in Hexaëm.***, n. 3, aliosque Patres, quos laudavit p. Arnu in suo op. *Clypeus phil. thom.*, *Log.*, q. VI, a. 3.

5) ***Qq. dispp.***, ***De Pot.***, q. VII, a. 4 ad 8.

6) Haec, quam propugnamus, inter substantiam, et accidens distinctio ex accidentibus, ad ordinem supernaturalem spectantibus, cuiusmodi sunt Fides, Spes, Charitas, Lumen gloriae etc., valde confirmatur. Si enim haec accidentia ab ipsa substantia animae, cui inhaerent, non distinguerentur, ipsam animae substantiam esse aliquid supernaturale dicendum foret.

235. Praeterea, discrimen inter accidentia, et modos agnoscendum est. Et sane, modus, ut diximus, in causa est, cur accidens aliter, atque aliter afficiatur; at illud, per quod aliquid aliter, atque aliter afficitur, procul dubio distinctum est ab eo, quod aliter, atque aliter afficit ; modus igitur ab accidente distinguitur. E. g., rectitudo, et curvitas, quae sunt modi accidentis *quantitatis*, distinguuntur a quantitate, quippe quod non sunt ipsa quantitas, sed quantitatem rectam, aut curvam efficiunt. Hanc autem distinctionem esse realem , non logicam probari potest in hunc modum : Ea realiter distinguuntur, quorum unum non est aliud , et quorum unum potest esse citra aliud. Atqui accidens, ut iam diximus, non est modus, e. g., quantitas non est curvitas, et potest esse sine modo, puta quantitas potest esse sine curvitate. Ergo distinctio inter accidens, et modum ad genus distinctionis realis pertinet.

236. Denique, quoniam accidentia, ut diximus, integram, et absolutam entitatem in se non habent, ipsa ex natura sua expostulant, ut in substantia inhaereant, atque idcirco seiuncta ab ea non possunt virtute naturali existere. At, cum ipsa sint vera entia realiter distincta a substantia, non repugnat ea seorsum a substantia, a qua naturaliter pendent, existere [1]; et, cum Deus efficere possit omnia quae cum se ipsis non pugnant, liquet accidentia posse ex virtute Divina existere sine substantia. Enimvero inesse subiecto non pertinet ad essentiam accidentis, sed, ut s. Thomas docet [2], consequitur essentiam eius ; accidenti enim convenit naturaliter inesse subiecto, propterea quod ab eo *esse* suum habet. Iam ex eo, quod accidens habet *esse* a substantia, fluit illud necessario habere ordinem ad substantiam, non vero sine ea existere non posse ; namque, etsi *esse* suum ab *esse* substantiae pendeat, tamen ab hoc distinctum est. Neque illud nos movere debet, quod, si accidentia existerent sine subiecto, re ipsa existerent per se, unde essent verae substantiae. Etenim accidentia, quamdiu secreta a subiecto existunt, non subsistunt per se, quod proprium substantiae est, sed sustentantur a Deo, ita tamen, ut, quamdiu actu existunt sine subiecto, ordinem servent ad ipsum subiectum , sive, ut Scholae aiunt, *exigant* esse in subiecto. Apposite s. Bonaventura: « Comparatio accidentis ad subiectum secundum ap-

---

1) Idem de modis dici nequit. Etenim , etsi modus revera distinguatur a re, cuius est modus, tamen sine hac neutiquam esse potest ; quia repugnat aliquid esse modum alicuius rei, quam revera non mensurat. « Modus rei, inquit s. Thomas, est in ipsa re, consequens substantiam eius »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XVI, q. III, a. 1, *sol.* 2 ad 4.

2) « Dicendum, quod inesse non dicit esse accidentis absolute, sed magis modum essendi, qui sibi competit ex ordine ad causam proximam sui esse »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 1 ad 1.

titudinem est essentialis, et haec numquam privatur ab accidente [1]». Quocirca neque desinunt ordinem habere ad subiectum, quod convenit accidenti, neque subsistunt per se, quod est proprium substantiae [2]. Quin autem possint a Deo sustentari, dubitandum non est; nam, ut optime s. Thomas observat, «cum effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiae, et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in *esse*, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis [3] ».

237. Accidens, aiente s. Bonaventura, non solum *inest subiecto*, sed etiam *ab illo trahit ortum* [4]. Hinc, quomodo accidens referatur ad subiectum, prout hoc causa eius est, breviter explicandum nobis est. Principio accidens *proprium*, et *per se* ab accidenti *extraneo* distinguere oportet [5]. Primum dicitur illud, quod in subiecto, cui naturale est, reperitur. Alterum vero illud, quod subiecto alterius naturae inest. E. g., calor in igne est accidens *proprium*, in aqua autem *extraneum*. Iam omnium accidentium, sive haec propria, sive extranea sint, causa materialis subiectum est, propterea quod ipsa a subiecto recipiuntur, atque in subiecto inhaerent. «Sciendum, ait s. Thomas, quod omnibus accidentibus, communiter loquendo, subiectum est causa quodammodo, in quantum scilicet accidentia in esse sub-

---

1) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, p. I, a. 1, q. 1 *resol.*

2) « Accidens, inquit idem sanctus Doctor, quamvis non sit in subiecto, non tamen separatur a sua diffinitione, imo ei convenit, quia aptum est esse in subiecto »; *ibid. ad arg.* Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. 1, a. 1 *sol.* 1 ad 2, et *Quodlib.* IX, a. 5 ad 1.

3) III, q. LXXVII, a. 1 c. Hac de accidentibus absolutis theoria Scholastici facile explicant, quomodo in Venerabili Eucharistiae Sacramento, peracta consecratione, species panis, et vini permanere non repugnet. « Secundum naturae ordinem, inquit s. Thomas, accidentia a principiis substantiae dependent, ut sine subiecto esse non possint; tamen per hoc non excluditur, quin Deus quasi causa prima possit accidentia in esse servare, substantia remota; et per hunc modum accidentia miraculose sunt in Sacramento Altaris sine subiecto, virtute scilicet Divina ea tenente in esse » (*Quodlib.* IX, a. 5 c. Cf III, q. cit., a. 1 ad 2; s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, loc. cit. *ad arg.*). Nonnulli recentes Theologi, cum accidentia absoluta reiiciant, contendunt accidentia in illo Sacramento non remanere, sed eorum sensationes a Deo in nobis excitari; Deus enim afficit organa sensoria eodem prorsus modo, quo a pane et vino naturaliter affici solent. Litem istam dirimere nostrum non est: dumtaxat his recentibus in memoriam revocamus receptam a tota Ecclesia doctrinam Catechismi Romani, Tridentinae Synodi interpretis, quae haec est: « Quoniam ea accidentia Christi Corpori, et Sanguini inhaerere non possunt, relinquitur, ut supra omnem naturae ordinem, ipsa se nulla alia re nisa sustentent. Haec perpetua, et constans fuit Ecclesiae doctrina »; Pars II, c. 4, n. 44.

4) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. II, dub. 4.

5) I, q. LXXVII, a. 6 c.

iecti sustentantur [1] ». Atque alibi : « Subiectum est causa proprii accidentis. . . etiam ut materialis, in quantum est susceptivum accidentis [2]».

238. Quod vero attinet ad causam productivam accidentium, res aliter de accidentibus propriis, aliter de extraneis se habet. Namque accidentium propriorum causa productiva est idem subiectum, quod est causa eorum materialis, quia accidentia propria *ex principiis subiecti* emanant. Quandoquidem autem huiusmodi accidentia vel speciei, vel individui sunt [3], idcirco ipsa emanant vel a principiis essentialibus speciei per se consideratis, vel ex iisdem principiis non per se consideratis, sed prout in individuis determinantur. « Quaedam sunt, ait idem Aquinas, accidentia naturalia, quae creantur ex principiis subiecti , et hoc dupliciter ; quia vel causantur ex principiis speciei , et sic sunt propriae passiones, quae consequuntur totam speciem ; vel ex principiis individui, et sic sunt communia consequentia principia naturalia individua [4] ». Accidentium autem extraneorum causa productiva est aliquod extrinsecum [5]. Hanc differentiam accidentium, prout ad causam sui referuntur, s. Bonaventura egregie declaravit his verbis : « Notandum est, quod est aliquod accidens, quod comparatur ad aliquid, sicut ad subiectum, et ad causam; aliquod, quod solum comparatur ad aliquid, sicut ad subiectum, et ad aliud, sicut ad causam. V. g., nigredo in corvo comparatur ad ipsum corvum, sicut ad subiectum, et causam ; lumen in aere, vel species in speculo comparatur solum sicut ad subiectum, non sicut ad causam , quia, etsi ibi recipiatur , aliunde tamen habet ortum [6] ».

239. Duo autem hic adnotare praestat. Primum est, emanationem accidentium ex principiis subiecti non *per aliquam transmutationem*

---

1) *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. 2, a. 1 ad 2.

2) I, q. LXXVII, a. 6 ad 2.

3) Cf *Log.*, part. I, c. I, a. 2, p. 49, not. 1, vol. I.

4) *In lib. I Sent.*, loc. cit.

5) Cf s. Thom., I, q. et art. cit. c. Manifestum autem cuique est etiam accidentia *propria, et per se* ab agente extrinseco pendere, quatenus ipsum formam, a qua illa dimanant, producit.

6) *In lib. II Sent.*, Dist. XXVI, a. 1, q. 3 *resol.* Ad accidentium supernaturalium, de quibus Theologi tractant, praestantiam intelligendam iuvat advertere cum eodem sancto Doctore *accidens, quod causatur ex principiis subiecti*, esse ignobilius substantiali forma, « pro eo quod ab ipsa habet originem »; sed illud, quod ab agente extrinseco producitur, posse *esse nobilius*, quia, si *ab aliquo superiori* producitur, « iungit ipsum, et conformat ei, quod est ipso superius. Quod si. . . ortum habet ab Ente Supremo, si eius infusio, vel origo sit secundum perfectam influentiam, non solum habet nobilitare, verum etiam consummare, et quietare; et hoc non facit tantum ratione sui, verum etiam ratione eius, a quo procedit, in quo reperitur omnis perfectio, et bonorum omnium aggregatio »; *Ibid.*, et *in lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, p. I, a. 1, q. I, *ad arg.*

fieri, sed *per aliquam naturalem resultationem* [1]. Alterum est, accidentia extranea, etsi subiecto ab agente extrinseco adiiciantur, tamen ex naturali potentia ipsius subiecti educi [2]. « Accidentia, inquit s. Thomas, habent materiam, in qua sunt, et de cuius potentia educuntur [3] ». Cuius rei ratio in eo posita est, quod subiectum non potest ullum accidens a causa exteriori in se recipere, et sustentare, nisi ad ipsum in se recipiendum, et sustentandum naturaliter comparatum sit ; unde illud eiusdem sancti Doctoris in Scholis vulgatum, quod *potentia passiva correspondet activae* [4]. Ex quo intelligis, cur a Scholasticis traditum fuerit omnem actionem causarum creatarum non aliud praestare, quam quod dispositiones naturales rerum evolvat. Audiatur s. Bonaventura : « Agens creatum nullam quidditatem nec accidentalem omnino producit, sed existentem sub una dispositione facit esse sub alia [5] ».

CAPVT QVARTVM

De secunda, tertia, et quarta categoria

240. Ad substantiam, tamquam ad subiectum, ut in *Logica* ostendimus [6], reliquae novem categoriae, tamquam accidentia, referuntur. Ea, quae ad *quantitatem*, *relationem*, et *qualitatem* spectant, unico capite complectemur, quippe quod, cum de his iam in *Logica* disputatum nobis sit, nonnisi pauca, quae ad earum notiones *ontologice* consideratas maxime pertinent, modo adiiciamus necesse est.

ARTICVLVS PRIMVS

De quantitate

241. A quantitate, quae, ut s. Thomas inquit, est *primum accidens consequens substantiam* [7], ordiamur. Aristoteles in *Metaph.*, in qua

---

1) I, q. et a. citt. ad 3.

2) Hic non loquimur de accidentibus, qui ad ordinem supernaturalem spectant; haec enim, ut in *Cosmologia* videbimus, de potentia subiecti educuntur naturali quidem, sed *obedientiali*. Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Virtut.*, q. I, a. 10 ad 13.

3) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, a. 4 ad 9.

4) *Ibid.*, *De Virtut.*, loc. cit.

5) *In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. II, a. 2, q. 1 *ad arg.*

6) Part. I, c. 1, art. 4, p. 54-55 vol. I. Quod s. Augustinus luculenter tradiderat his paucis: « In rebus creatis, atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur; omnia enim accidunt eis, quae vel amitti possunt, vel minui, et magnitudines, et qualitates, et quod dicitur ad aliquid . . . , et situs, et habitus, et loca, et tempora, et opera, atque passiones »; *De Trin.*, lib. V, c. 4, n. 6.

7) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 1.

de categoriis ontologice consideratis egit, dixit *quantum* esse illud, quod est divisibile in ea, quae in ipso secundum essentiam sunt, et quorum unumquodque ita natura comparatum est, ut, si a reliquis dividatur, esse queat *unum quid, et hoc aliquid* [1]. Quam definitionem secundum Albertum M.[2], s. Thomam [3], aliosque Doctores explanare haud difficile est. Enimvero *quantum* dicitur esse divisibile in ea, quae secundum essentiam in ipso sunt, quippe quod ea, in quae quantitas dividi potest, etsi ante divisionem sint partes, tamen in ea insunt secundum illud *esse*, quod post divisionem per se habent. Adiicitur vero ea, in quae quantitas dividitur, eiusmodi esse, ut unumquodque eorum post divisionem quantitatis sit per se unum, et a ceteris seiunctum, quia singulae quantitatis partes post divisionem totam essentiam quantitatis retinent [4], ita ut unaquaeque sit per se aliquid *quantum*. Quapropter quantitas ab iis compositis discernitur, quae, quoties in ea, ex quibus constant, resolvuntur, nullum eorum totam notionem rei continet [5].

242. Ex his nullo negotio intelligitur essentiam quantitatis *ontologice* spectatae positam esse in *divisibilitate*, seu in eo, quod in partes eiusdem naturae dividi potest. Hoc, quod in *Logica* innuimus [6], uberius, illustriusque modo explicemus oportet.

243. Atque in primis mente recolendum nobis est, pluralitatem partium in substantia materiali intelligi non posse sine divisione. Enimvero, quamvis substantia materialis ex pluribus, iisque *quantis* constet; tamen unum quidpiam ex ipsis exurgit *quantum*, et continuum, quo *esse* omnium continetur [7]. Atqui in aliquo uno plura

---

1) Lib. IV, c. 13, ed. Bekker.— 2) *Met.* lib. V, tract, III, c. 1.

3) *In lib. V Met.*, lect. XV.

4) In omni quantitatis parte unam, eamdemque esse illius rationem s. Thomas docuit in *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 10 c.

5) E. g., etsi genus, et species notionem rei secundum suam essentiam ingrediantur; tamen genus a specie seiunctum totam notionem rei non continet (cf Alb. M., *loc. cit.*, et Scot., *In lib. V Met.*, Summ. unic., c. 12, n. 100). Trendelenburgius (*Hist. categ.*, germ., p. 79, Berol. 1846), quem Bonitzius (*Met.*, p. 237, Bonnae 1849), et Bonghius (*Metafisica di Aristotele volgarizzata e commentata*, p. 293, not. 6, Torino 1854) secuti sunt, aristoteleam definitionem ex eo praecipue reprehendit, quod in ea sumitur, tamquam notum, illud, cuius cognitio per definitionem traditur; quisquis enim, quid sit quantum, ignorat, partes, ex quibus *quantum* gignitur, ignoret quoque necesse est. At nae ipse ab hac culpa Aristoteli obiicienda cavisset, si veram methodum, qua ad notionem categoriae quantitatis pervenimus, prae oculis habuisset. Re vera, quoniam ex cognitione sensilium exordiri debemus, ut supremas notiones rerum comparare nobis possimus, notionem quantitatis ex eo efformamus, quod substantiam materialem in partes dividi experimur; quapropter non solum cognoscere possumus, sed etiam revera cognoscimus partes, ex quibus *quantum* gignitur, antequam, quid sit *quantum*, cognoscamus.

6) Part. I, c. I, art. 4, p. 55 vol. I.

7) « Continuum, ait Alb. M., dicitur quasi in uno se tenens » (*Phys.*, lib. V, tract. II,

intelligere non possumus, nisi ipsum capax divisionis intelligamus. Ergo pluralitas partium in substantia materiali sine divisione intelligi non potest. « Divisio, inquit s. Thomas, multitudinem causat [1] ».

244. Quod cum ita se habeat, in promptu est tum quosdam Scholasticos [2], tum Cartesium [3], eiusque sectatores refellere, quorum illi essentiam quantitatis esse extensionem partium in ordine ad se, seu *internam*, isti autem esse extensionem partium in ordine ad locum, sive *externam* [4] censuerunt. Et sane, quod ad Scholasticos attinet, cum multitudo partium divisionem quantitatis, uti ostensum est, expostulet [5], consequens est notionem divisionis in intellectu esse priorem notione multitudinis [6]. Atqui illud, quod intellectus in primis in re, et tamquam *radicem obiectivam* omnium, quae in ipsa sunt, intelligit, est essentia ipsius rei. Ergo essentia quantitatis in extensione partium ad se comparatarum, ut quibusdam Scholasticis visum fuit, posita esse non potest. 2° Essentia quantitatis esse extensionem partium, prout ordinem ad locum habent, prorsus absurdum est. Namque essentia uniuscuiusque rei in eo spectanda est, quod ipsi *per se*, non vero in eo, quod ipsi *per aliud* convenit [7]. Atqui occupare locum convenit quantitati non per se, sed per aliud, quia locus, ut s. Thomas ait, *quanto* convenit, non prout est *quantum*, sed prout determinatam naturam habet, per quam in loco est [8]. Ergo essentia

---

c. 3; cf Dandinium, *De corpore animato*, *In lib. III Arist. De Anim.*, Comm. CVI, col 2046, Parisiis 1610). Id ex eo confirmatur, quod, cum accidens, ut diximus, individuationem ex subiecto, in quo est, sumat, duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto esse nequeunt, proindeque *quantum* cuiuslibet substantiae nonnisi unum esse potest. Ad rem s. Bonaventura: « Impossibile est duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto, quia accidens numeratur per subiectum, in quo est »; *In lib. II Sent.*, Dist. XIII, a. III, q. 2 *in fund.*

1) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 c., atque alibi: « Omnis pluralitas causat divisionem »; I, q. XXX, a. 3 c.

2) Cf Goudin e schola s. Thomae (*Op. cit.*, *Log. mai.*, p. I, q. III, art. 1, p. 285 sqq, Coloniae 1723), et Boyvin e schola Scoti (*Log.*, part. I, disp. 11, sect. 2, punct. 2, c. 2, q. 3 concl. p. 230 sqq, Venetiis 1690).

3) *Les principes de la phil.*, part. 2, § 9-13, *Oeuvr. phil.*, vol. I, p. 280-282, ed. cit.

4) Extensio partium, si priori significatione accipiatur, ea est, qua partes ita inter se comparantur, ut una extra aliam sit in ordine ad se, puta caput extra collum et collum extra humeros, quin aliquid de loco concipiatur, in quo extendi possunt. Sin posteriori significatione, est, qua partes ita inter se comparantur, ut una sit extra aliam in ordine ad locum, puta, si caput sit suprema loci pars, pectus media, pedes infima.

5) Multitudo partium accipi potest vel prout *actualis*, vel prout *potentialis* est; hinc divisio, quam ipsa expostulat, vel *actualis*, vel *potentialis* etiam est.

6) « Divisio, ait s. Thomas, est causa multitudinis, et est prior secundum intellectum, quam multitudo »; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15.

7) Cf s. Thom., I, q. LXXXII, a. 3 c.

8) « Dicendum, quod quanto, prout quantum est, non debetur proprie locus, nec

quantitatis in eo ponenda non est, quod ipsa locum occupat, hoc est, quod partes eius ad locum extenduntur.

245. Contra ea, essentiam quantitatis ontologice spectatae in divisibilitate positam esse satis manifestum nobis videtur. Namque cunctae proprietates quantitatis, omnibus concedentibus, in extensione partium, sive prout ad se, sive prout ad locum referuntur, fundamentum habent. Atqui extensio partium, uti ostensum est, multitudinem partium subintelligit; multitudo autem partium nec esse, nec intelligi potest sine divisione. Ergo divisibilitas est radix omnium proprietatum quantitatis [1]. Iam, quoniam illud, quod est radix omnium, quae in re sunt, essentiam rei constituit, consequens est essentiam quantitatis *ontologice* spectatae in divisibilitate positam esse.

246. Potissima quantitatis divisio est in *continuam* et *discretam*, prout partes, in quas quantitas dividitur, sunt vel *continuae*, nempe quae communi termino nectuntur, vel *discretae*, nempe qui communi termino non coniunguntur, sed singulae a singulis seiunctae sunt [2]. Quantitas, quae partes continuas habet, *magnitudo*, et quae partes discretas habet *multitudo* vocatur [3]. Ut germanas notiones harum quantitatum assequamur, nonnulla prae oculis habenda nobis sunt.

1° Terminus, qui singulas partes quantitatis continuae nectit, *communis* dicitur, quia non est proprius ulli partium, quas nectit; sed est finis prioris partis, et principium posterioris, proindeque principium postremae partis quantitatis. Ex quo fit, ut terminus communis munere non solum singulas partes quantitatis nectendi, sed etiam ipsam quantitatem terminandi fungatur [4], quippe quod, cum sit principium postremae partis quantitatis, ipsam quantitatem terminat. Hoc autem, quod partes quantitatis continuae connectit, et terminat, *punctum* vocatur, quia, uti s. Thomas ait, ex motu puncti lineam, ex motu lineae superficiem, et ex motu superficiei corpus gigni intelligimus [5].

2° Punctum, quod est principium quantitatis continuae, quodammodo indivisibile sit oportet. Sane indivisibile esse debet, alioquin non tamquam aliquid, quod partes quantitatis connectit, et terminat,

---

per consequens potentia ad ubi, sed prout habet determinatam naturam »; *In lib. II Sent.*, Dist. II, q. II, a. 2 ad 3.

[1]) Cf Cosmus Alemannius, *Summ. phil. D. Thomae*, part. I, q. XI, a. 1, p. 76-78, Parisiis 1640.

[2]) Cf *Log.*, p. I, c. I, art. 4, p. 56 vol. I.

[3]) Haec divisio quantitatis *ontologice* spectatae est divisio generis in species. Nam *posse dividi in partes*, per quod quantitas ontologice spectata in universum explicatur, eadem ratione in magnitudine, et multitudine invenitur, et continuum, discretumque sunt differentiae, per quas ipsa ad species magnitudinis, et multitudinis determinatur.

[4]) Cf s. Thom., I, q. LXXXV, a. 8 ad 2, et s. Aug., *De quant. an.*, c. XII, num. 19.

[5]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XLI, q. I, a. 1 *sol.* 5 c.

sed tamquam aliqua pars quantitatis intelligeretur. Ast absolute indivisibile esse nequit, quia, cum ad partes quantitatis, quae positionem inter se habent [1], ordinem servet, positionem in sui conceptu includit. « Punctus, s. Thomas ait, addit supra unitatem situm [2] ». Illud autem, quod est principium quantitatis discretae, est indivisibile proprie dictum, quia ipsum in unitate consistit. « Unitas, inquit B. Alb. M., est indivisibile simplex, non habens positionem ; punctum autem est indivisibile positum, sive positionem habens [3] ». Exinde intelligitur, quare partes quantitatis discretae nullo communi termino sint inter se aptae, colligataeque, sed singulae a singulis seiunctae. Etenim, cum principium quantitatis discretae sit indivisibile proprie dictum, in quo nihil intelligi potest, quod sit finis praecedentis, et principium subsequentis, partes ab eo ita fluere nequeunt, ut unaquaeque sit finis prioris, et principium posterioris. Atqui terminus communis dicitur id, quod est finis prioris partis, et principium posterioris. Ergo partes quantitatis discretae nullo communi termino necti possunt [4].

3° Partes quantitatis discretae, etsi, ob privationem termini communis, singulae a singulis seiungantur, tamen, ut B. Albertus M. advertit [5], unum *per se* constituunt. Et sane, illud, aiente s. Thoma [6], est unum per se, quod speciem sortitur ab uno. Atqui numerus, qui ex partibus quantitatis discretae efficitur, speciem sortitur

---

[1]) Quantitas habere dicitur partes, quae inter se positionem habent, cum hae partes eiusmodi sunt, ut una in alia, velut in suo loco, inveniatur, puta digitus in manu, et manus in brachio; unde dici potest hanc esse in ista, et istam in alia, atque hanc ante, illam autem retro, aut istam sursum, et hanc deorsum (cf Arist., *Categ.* c. 6, p. 92, et 93). Ut vero partes quantitatis sese invicem habeant hoc modo, tria secundum graecos, latinosque Aristotelis interpretes expostulantur. Primum est, quod *alicubi*, nempe in aliquo subiecto sint, veluti partes lineae in plano, seu superficie, partes superficiei in corpore, et corpus in loco, alioquin nec fieri, nec intelligi posset, quomodo una pars in alia sit (Cf s. Aug., *Cont. Ep. Man.*, c. 16, n. 20, et *Epist.* CLXVI, c. 2, n. 4). Secundum est, quod subiectum, in quo sunt, sit continuum; si enim huiusmodi non esset, certe dici non posset hanc partem esse ante, illam autem retro, itemque illam esse sursum, hanc deorsum. Tertium est, quod simul permaneant, quia, si una dilaberetur, adveniente altera, nec una in alia, nec una ante, alia retro, aut una sursum, alia autem deorsum esse possent. Hinc perspicitur partes quantitatis discretae positionem inter se non habere, proindeque non aliter quantitatem constituere, quam quod quemdam ordinem inter se habent. Si quemdam numerum, e. g., sumamus, procul dubio intelligere non possumus hanc unitatem esse in ista, et istam in illa, nec dicere possumus hanc unitatem esse ante, illam autem retro, sed intelligimus unitates, ex quibus numerus constat, eiusmodi ordinem inter se habere, ut inde certus ille numerus efficiatur.

[2]) *In lib. I Met.*, lect. II.

[3]) *Met.*, lib. V, tract. III, c. 1.

[4]) Cf Alb. M., ibid.

[5]) *Op. cit.*, ibid., c. 2. Cf Scot., *Super Praedicam.*, q. XVII, n 4.

[6]) *In lib. VIII Met.*, lect. ult.

ab uno, hoc est, ab ordine aliarum unitatum sub ultima, ita ut ultima unitas omnibus aliis speciem praefigat, easque ad determinatam speciem numeri trahat [1]. Ergo partes quantitatis discretae unum per se efficiunt.

247. Ad quantitatis notionem magis, magisque declarandam nonnihil circa eius proprietates, sive, ut Scholae aiebant, *passiones* innuere iuvat. Primo, quantitati nihil contrarium intelligitur, quippe quod quantitas cum alia quantitate non pugnat, nec eam a subiecto excludit. E. g., linea, et superficies secum non pugnant, ita ut se mutuo a subiecto expellant. Id autem de vera contrarietate, nempe illa, quae inter duas species, sub eodem genere maxime distantes, intercedit, intelligendum est. Nam, si de oppositione relativa, agatur, duae quantitates inter se comparatae, cuiusmodi, e. g., sunt magnum, et parvum, contrariae esse queunt.

248. Secundo, quoniam quantitas est illud, cuius ratione res metimur [2], ipsa fundamentum aequalitatis, vel inaequalitatis rerum esse iure dicitur. « Aequalitas, ait s. Thomas, immediate fundatur supra quantitatem [3], ita ut idem sit « aliquid esse aequale alicui, quod habere quantitatem illius [4] ».

249. Tertio, proprium quantitatis est non suscipere magis, et minus. Etenim in quantitate, sive haec maxima, sive minima sit, eadem perfecta ratio quantitatis existit [5]. At vero, etsi una quantitas non sit magis, vel minus quantitas, quam alia ; tamen maior, vel minor, quam alia, esse potest, eademque quantitas crescere, vel decrescere quit. Hac ratione s. Thomas ait : « Augeri nihil aliud est, quam sumere maiorem quantitatem [6] ». Et s. Bonaventura : « Augmentum sequitur quantitatem [7] ».

250. Ad hanc rem monere e re est in quantitate continua, mathematice sumta, hoc est, abstracta a qualibet forma sensibili [8], augmentum sine ullo termino intelligi posse, adeo ut ipsam velut infinitam *in potentia* esse haud repugnet. Apposite s. Thomas : « Dicendum, quod si loquamur de quantitatibus mathematicis, cuilibet finitae quan-

---

1) « Unitas addita, inquit s. Thomas, constituit speciem » (*Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 11 c.). E. g., numero senario speciem, seu essentiam sexta unitas largitur; si enim hanc ab eo subtrahas, quinarium, non vero senarium habes; sin sextae unitati addas septimam, septenarium. « In numeris, ait idem sanctus Doctor, quaelibet unitas addita, vel subtracta variat speciem »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 41.

2) Cf *Log.*, loc. cit., p. 55 vol. I.

3) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 3 ad 3.

4) *Op. cit.*, ibid., Dist. XIX, q. I, a. 2 *sol.* Cf p. 66.

5) Cf s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 10 c.

6) *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 *sol.*

7) *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, p. II, a. 1, q. 1 *resol.*

8) Quid sit quantitas mathematice accepta, explicavimus in *Log.*, p. I, c. I, art. 4, p. 56, not. 4, et p. II, c. III, art. 2, p. 160, not. 3, vol. I.

titati potest fieri additio, quia ex parte quantitatis continuae non est aliquid, quod repugnet additioni [1] ». At de quantitate continua, prout in rerum natura est, sive prout formam determinatam habet, idem dici non potest, quia quidquid in rerum natura est, determinatum esse debet. « Si vero loquamur, pergit idem sanctus Doctor, de quantitate naturali ; sic potest esse repugnantia ex parte formae, cui debetur determinata quantitas, sicut et alia accidentia determinata. Unde Philosophus dicit in 2 *De Anim.*, quod omnium natura constantium est terminus, et ratio magnitudinis, et augmenti [2] ». Quapropter quantitas continua, si hac ratione accipiatur, *non in infinitum augetur*, ita ut *non quolibet magno sit aliquid maius* [3].

251. Quantitas discreta semper augeri potest, quia cuilibet numero aliam, atque aliam unitatem augeri posse intelligimus ; unde ipsi etiam non repugnat infinitam esse *in potentia*. Et sane, nos « numerum cognoscimus divisione continui [4] ». Atqui continuum, quod proprie est corpus mathematice sumtum, nempe corpus, in quo ratio quantitatis consideratur, in infinitum dividi potest, quia quantitatis partes, ut diximus [5], etiam *quantae* ac proinde divisibiles sunt [6]. Ergo numerus in infinitum augeri potest [7].

252. At vero nec quantitas continua, sive naturaliter, sive mathematice accepta, nec quantitas discreta *actu* infinita esse potest. Re quidem vera, 1° repugnat infinitam esse quantitatem continuam, prout est accidens, quod corpus naturale consequitur ; siquidem, cum corpus naturale determinatam essentiam habeat, quantitas, quae ab illo, tamquam a radice, profluit, determinata , ac proinde finita esse debet [8]. 2° Idem de quantitate spectata secundum se, nempe prout a corpore naturali abstrahitur, tenendum est. Nam, « si imaginemur corpus mathematicum existens actu, oportet, quod imaginemur ipsum sub aliqua forma, quia nihil est actu, nisi per suam for-

---

1) III, q. VII, a. 12 ad 1. Cf I, q. VII, a. 3 c.

2) III, loc. cit.

3) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. III, a. 1 ad 2.

4) *Op. cit.*, ibid., Dist. XXIV, q. I, a. 3 *sol.* « Divisio, inquit B. Alb. M., est causa numeri; et dicitur numerus nutus divisionis, quia, ubi est numerus, est nutus mentis ad divisionem concipiendo aggregationem divisionis factae; et ibi est numerus »; *Met.*, lib. V, tract. III, c. 1.

5) Pag. 129.

6) « Hoc (*continuum*), inquit s. Thomas, in infinitum dividi potest, quia in ratione quantitatis continuae non est aliquid, quod divisioni repugnet »; *In lib. II Sent.*; Dist. XXX, q. II, a. 2 *sol.*

7) Audiatur s. Thomas: « Esse multitudinem infinitam in potentia possibile est, quia augmentum multitudinis consequitur divisionem multitudinis; quanto enim aliquid eius dividitur, tanto plura secundum numerum resultant. Unde, sicut infinitum invenitur in potentia in divisione continui,... eadem ratione etiam infinitum invenitur in potentia in additione multitudinis »; I, q. VII, a. 4 c.

8) I, q. VII, a. 3 c.

mam ; unde, cum forma quanti, in quantum huiusmodi, sit figura, oportebit, quod habeat aliquam figuram; et sic erit finitum, est enim figura, quae termino, vel terminis comprehenditur [1] ». 3° Denique res de quantitate discreta, sive numero, eodem modo se habet. Nam quilibet numerus mensuratur per unum ; atqui repugnat infinitum esse mensuratum ; ergo numerus *actu* infinitus dari non potest [2]. Hoc argumentum illustrius ex eo fit, quod quaelibet species numeri per determinatas unitates variatur, et fit maior, vel minor. Atqui numerus actu infinitus neque additione unitatis maior, neque subtractione unitatis minor fieri potest ; quia infinitum, subtracto aliquo finito, aeque infinitum manet, alioquin illo finito, tamquam limite circumscriberetur. Ergo ullam numeri speciem esse infinitam repugnat [3].

253. Antequam finem huic tractationi faciamus, advertimus quantitatem, secus ac reliqua accidentia categorica, duplicem rationem individuationis habere. Accidentia enim, ut iam diximus [4], individuationem habent per subiectum, in quo sunt ; at quantitas, praeter hanc individuationem, aliam habet per se ipsam, abstractamque a subiecto, cuius est accidens [5]. Huius discriminis ratio, docente s. Thoma, in eo sita est, quod positiones partium in toto, quae quantitatis notione continentur, se ipsis differunt [6] ; namque inde fit, ut reliqua accidentia considerentur dumtaxat tamquam affectiones substantiae; quantitas autem non solum tamquam affectio substantiae, sed etiam ipsa per se, hoc est, tamquam subiectum [7]. E. g., nos dicere non possumus hoc corpus esse albedinem, sed dumtaxat hoc corpus esse album ; verum dicere possumus non solum hanc lineam esse quantam, sed etiam esse quantitatem.

ARTICVLVS SECVNDVS

De categoria relationis

254. Relationem esse specialem categoriam, secum ac Renouverius, aliique existimant, alibi demonstravimus [8], eamque, prout huiusmodi est, definivimus, sive, ut stricte loquamur, descripsimus,

---

1) I, q. VII, a. 3 c.

2) Ibid., a. 4 c. Cf eumdem s. Thom., *Quodlibet.* IX, a. 1 c., et s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, a. 2, q. 1 *ad arg.*

3) Cf Ioann. a s. Thom., *Op. cit.*, p. 2, q. XV, a. 2, p. 467.

4) Pag. 104.

5) Cf *Quodlib.* VII, a. 10 c., et Opusc. LXX *Super Boët. de Trin.*, lect. 1, q. II, a. 2 ad 3.

6) *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 65. Cf p. 112.

7) Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. 1, a. 1, *sol.* 3 ad 3.

8) *Log.*, p. I, c. I, art. 4, p. 58-59 vol. I.

modum accidentalem essendi, cuius essentia in ordine, sive habitudine ad aliud consistit [1]. Quae definitio illi [2], quam Aristoteles in *Metaph.* tradidit [3], respondet ; ait enim relata esse, « quorum essentia nihil est aliud, quam ad aliquid modo quopiam esse affectum ». Iam relatio dicitur 1° *modus accidentalis*, quia relatio est genus entis, quod genere substantiae contineri non potest. Etenim relatio non denotat *esse per se*, quod substantiae proprium est, sed aliquem modum essendi, secundum quem substantia ita est comparata, ut ordinem ad aliud habeat. Quocirca *esse* relationis substantiae addi, ab eaque pendere intelligitur, ac proinde nonnisi tamquam accidens substantiae intelligi potest [4]. Iis verbis, *cuius essentia in quodam ordine ad aliud consistit*, significatur relationem ab *esse* ceterorum accidentium in eo differre, quod illud non solum in substantia, velut in subiecto, insit, sicut cetera accidentia, sed etiam efficit, ut substantia, in qua inest, ad aliud referatur [5]. Ex hoc fit, quemadmodum s. Thomas observavit [6], ut relatio aliter, quam quantitas, qualitas, aliaque accidentia, significetur ; nam unumquodque horum accidentium significatur tamquam alicuius, in quo, velut in subiecto, inhaeret, relatio autem

---

[1]) Definitionem categoriarum pro descriptione late sumimus; nam quaelibet categoria, cum aliquod supremum genus rerum denotet, nullum supra se genus habet, per quod strictae definitionis capax esse potest. Cf Boët., *Op. cit.*, lib. III, p. 172, et 173, ed. cit.

[2]) *Ibid.*, p. 55. Cf sanctus Damasc., *Dialect.*, c. L, et Henr. Gand., qui scripsit relationem significare « rem, cuius esse est in aliquo in respectu ad aliud »; *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 24.

[3]) Lib. IV, c. 17.

[4]) Apposite s. Augustinus: « Quod relative pronuntiatur, non indicat substantiam » (*De Trin.*, lib. V, c. 7, n. 8). Illud autem hoc in loco monere e re est relationes Creatoris, Conservatoris, aliasque, quae Deo, ob creationem, conservationem, et gubernationem, in tempore conveniunt, si substantiales non sunt, ne *accidentales* quidem dici posse. Etenim, cum illae sint relationes *rationis* in Deo, et *reales* solum in rebus ab Eo creatis (cf *Logic.*, p. I, c. I, art. 4, p. 58 vol. I), non in Deo, sed in rebus ab Eo creatis aliquem novum *modum essendi*, seu mutationem denotant, ob quam de Deo dici incipiunt. « Quod ergo, inquit Doctor Afer, temporaliter incipit dici Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici, non tamen secundum accidens Dei, quod Ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relative » (*De Trin.*, lib. V, c. 16, n. 17; cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 6, ubi laudatum s. Augustini locum explicat). Quid autem sint relationes personales, quas in Deo esse Fides nos edocet, diximus p. 116, not. 1.

[5]) Hinc Henricus Gandavensis post verba, quae retulimus, illico subdit: « In quo non est eis proprium, quod significant rem aliquam, hoc enim est omnibus aliis praedicamentis commune; neque quod significant rem, cui convenit esse in alio, hoc enim convenit omnibus accidentibus; sed solum eis est proprium, quod in ordine ad aliud significant »; Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 c., et *Quodlib* IX, a. 4 ad 3.

[6]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VIII, a. 2 c.

tamquam *ad aliquid*, quod est extra illud, in quo, veluti subiecto, inhaeret. Re vera nos dicimus hunc pannum esse bipedalem, corvum esse nigrum, et columbam esse albam ; sed dicimus Petrum esse patrem Pauli, et Paulum esse filium Petri [1].

255. Perspicuum autem est non aliam speciem relationis, nisi quae realis proprie, et stricte dicitur [2], esse specialem categoriam, propterea quod, cum in sola relatione reali proprie dicta ambo termini sint reales, et reale utrinque sit fundamentum, per quod unum ad aliud refertur, haec sola relatio specialem modum denotat, quo ens in rebus determinatur, illum nempe, per quem substantiae ordinem ad aliud habent. Hinc tenendum est cum s. Thoma nullam relationem logicam esse categoriam, quia omnes relationes logicae denotant aliquid, quod omnibus generibus rerum commune est ; atque e contrario omnem relationem realem ad specialem categoriam pertinere, quia omnis relatio realis determinatum genus entis denotat [3].

256. Quin autem relationes reales admittendae sint, dubium esse non potest. Et sane si termini, inter quos ordo, sive habitudo intercedit, sunt res quae in natura existunt ; et principium, ex quo ordo inter illos terminos enascitur, est utrinque aliquid reale, realem quoque esse oportet relationem, quae in ordine illorum terminorum consistit, quia relatio nequit esse alterius naturae, quam principia, quae ipsam efficiunt [4]. Atqui indubium est 1° inter res, quae in natura sunt, quamdam habitudinem, sive ordinem intercedere ; siquidem prefectio rerum, quae in natura sunt, non solum ex eo, quod ipsis singulis absolute convenit, sed etiam ex ordine, quem ad se invicem habent, gignitur; 2° principia, ex quibus ille ordo efficitur, esse realia, quippe quod ordo in naturis rerum fundatur. Relationes igitur reales re ipsa dari certum est [5].

---

[1]) Ex his magis, magisque declaratur discrimen, quod inter accidens *absolutum*, et *respectivum* in *Logica* statuimus (loc. cit. p. 57); 2° omnino falsam esse Rosminii sententiam, qui (*Logica*, lib. II, sez. V, c. 9, corol. § 410, p. 118, ed. cit.) omnem relationem in quodam ordine praedicati ad suum subiectum positum esse asseverat. Contra quam sententiam Rosminii observandum est essentiam accidentis relati, sive ut aiunt, *respectivi* non constitui ex ordine, seu *respectu*, quem accidens habet ad subiectum, vel fundamentum, per quod in subiecto est, alioquin omnia accidentia forent relata, nulla absoluta; sed ex ordine, quem substantia per ipsum ad aliud habet. Cf Durandum, *Op. cit.*, lib. IV, Dist. XII, q. I, n. 4.

[2]) Quaenam haec sit, explicavimus in *Logica*, loc. cit., p. 57 vol. I.

[3]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXI, a. 1 ad 3.

[4]) « Quando (*relatio*), inquit s. Bonaventura, est respectu existentis in actu, tunc necesse est, quod respondeat verus respectus »; *In lib. I Sent.*, Dist. XL, a. 1, q. I *ad arg.*

[5]) Advertendum est relationem realem non constitui ex ipso *esse* relationis, quia hoc, ut alibi adnotavimus (*Log.*, p. I, c. I, art. 4, p. 57, not. 3, vol. I), nonnisi in intellectu esse potest, qui res non solum in se, sed prout una ad aliam comparatur, intelligit; sed ex principio, in quo *esse* relationis fundatur, nempe ex eo, quod res a-

257. Ex quo argumento illud etiam intelligitur, si relationes reales negarentur, scepticismum prono alveo inde fluere. Enimvero, relationibus realibus sublatis, non liceret nobis cognoscere ordinem, quo res inter se re ipsa continentur. Atqui, si cognoscere non possumus ordinem, quo res inter se continentur, scientiam illarum assequi non possumus. Ergo, si relationes reales negantur, scepticismus abstruitur. Id ex historia philosophiae in promptu est comprobare. Etenim Aenesidemus [1] inter antiquos, et Humius [2] inter recentes, procul dubio omnium Scepticorum teterrimi, sese nullam validiorem machinam contra humanarum scientiarum aedificium posse admovere rati sunt, quam si vim obiectivam relationis impugnarent ; hac enim sublata, omnem scientiam una tolli pervidebant. Unde Kantius qui, ut saepe diximus, scepticismo viam non modo non obstruxit, sed latiorem quoque, facilioremque stravit, relationem, non secus ac ceteras categorias, omni realitate expoliavit [3].

258. Iam circa relationem realem, quae, ut vidimus, categoria est, tria digna sunt, quae hic notentur : 1° Tot relationes reales distinguendae a nobis sunt, quot diversa sunt principia, ex quibus ordo inter terminos relationis existit, quia essentia relationis in ordine ad aliud posita est. Iam haec principia, quemadmodum s. Bonaventura observavit [4], non alia, quam tria, esse possunt. Etenim aliqua duo ordinem ad se invicem habere possunt vel secundum aliquid, quod ad essentiam pertinet, vel secundum aliquid, quod essentiae iam constitutae addi intelligitur, vel secundum *esse*, per quod essentia *actu* est. Quocirca tres relationis realis species existunt. Prima est, qua unum ad aliud refertur propter aliquam proprietatem essentialem, nempe, qua unum ad aliud eiusmodi ordinem habet, ut cum eo aliquod genus, vel speciem constituat. Hoc modo materia ad formam refertur ; haec enim materia, e. g., est corpus humanum, non vero belluinum, quia principium, ex quo vitam habet, est forma, sive essentia humana, non vero belluina. Altera est, qua duo ad se invicem referuntur propter aliquam proprietatem accidentalem, ita

---

liquid in se habent, per quod ad invicem referuntur. «Dicendum, s. Thomas scribit, quod, quamvis relationi ex hoc, quod ad alterum dicitur, non debeatur, quod sit res quaedam; est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 2 ad 3.

[1]) Vid. Sext. Emp., *Advers. Log.*, lib. II, sect. 453, 454, 455, 463; *Advers. Phys.*, lib. I, sect. 207, et 208.

[2]) *Essais sur l'entendement humain*, Ess. III, *Oeuvr. phil.*, trad. de l'angl., Londres 1788.

[3]) Cf vol. I, *Ideal.*, c. I, art. 3, p. 465-466. Putandum autem non est omnes relationes esse reales, quippe quod, ut in *Log.* (loc. cit., p. 57-58) diximus, sunt etiam relationes *logicae*, vel *mixtae*.

[4]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 3 *resol.* Cf s. Thom., *In lib. V Met.*, lect. XVII.

ut id, per quod unum ad aliud ordinem habet, sit extra essentiam eius. Hoc pacto duo parietes albi ob similitudinem albedinis, quae eorum accidens est, ad se invicem referuntur. Tertia ex principio causalitatis enascitur, nempe ex eo, quod unum ad aliud, tamquam causa ad effectum, vel tamquam effectus ad causam, ordinem habet. Ita pater, et filius ad se invicem referuntur, quia pater est causa filii, et filius est effectus patris.

2° Quandoque respectus relationis est in utroque termino eiusdem rationis, ob idque relatio unico nomine in utroque significatur; quandoque autem est diversae rationis, ideoque duo diversa nomina ad relationem significandam adhibentur. Primi generis est relatio *similitudinis*, quae inter duo alba intercedit, quia idem est respectus albedinis in ambobus ; unde ambo eodem nomine alba dicuntur. Alterius est relatio, quae intercedit inter patrem, et filium, quia alius est respectus relationis, ob quem filius ad patrem, alius autem, quo pater ad filium refertur ; ex quo fit, ut eadem relatio in patre *paternitas*, in filio *filiatio* dicatur [1].

3° Multiplicatio specifica relationum, uti a s. Bonaventura, et s. Thoma saepe inculcatum fuit, a diversitate fundamentorum, quae causae ipsarum sunt, repetenda est. Nam, cum natura specifica relationis in ordine ad aliud posita sit , consequitur, multiplicatis fundamentis, quorum gratia unum ad aliud refertur, relationes specie differentes in subiecto multiplicari. E. g., si quis sit pater, et dominus, paternitas, et dominium sunt in eo duae relationes specie differentes , quia fundamenta, seu causae, ex quibus ipsae oriuntur, specie differunt. Quod si plura subiecta, ob idem fundamentum, ad aliud referuntur, relatio in ipsis specie est una, sed numero est multiplex, quia subiecta, in quibus est, numero distinguuntur. Puta, si quis pater plures filios habet, unica est specie relatio in cunctis filiis, nempe filiatio, quia unica est causa, nempe paternitas, per quam filii ad patrem referuntur ; sed plures numero in ipsis relationes sunt, quia filii plures numero sunt. Denique, si unum ad plura propter unum, idemque fundamentum refertur, relatio in eo una est specie, et numero, licet termini sint plures. E. g., unica est in patre relatio specie, et numero, ex qua pater ad plures filios refertur, quia unicum est fundamentum eius, et unicum quoque est subiectum; itemque unica est relatio, ob quam filius ad patrem, et ad matrem refertur, quippe quod filius unicum est subiectum, et unicum est fundamentum nempe nativitas, cuius gratia ordinem ad patrem, et matrem habet [2].

---

[1]) Cf s. Aug., ***Epist.*** CLXX, n. 6. A Scholasticis prior dicta est *aequiparantiae*, posterior *disquiparantiae*.

[2]) Cf s. Thom., I, q. XXXII, a. 2 c.; III, q. XXXV, a. 5 c., et alibi ; necnon s. Bonav. ***In lib. III Sent.***, Dist. VIII, a. 2, q. II *resol.*, et *ad arg.*, ubi usus huius doctrinae ad varia Theologiae capita declaranda, tuendaque exponitur.

259. Proprietates relationum hae praecipuae numerantur : 1° Relationes non sunt contrariae, quia ipsae oppositionem habent *relativam*, per quam sibi e regione respondent, sed se mutuo non destruunt [1] ; quare diversae relationes in eodem subiecto esse possunt. 2° Relatio *per se* non suscipit magis, et minus; nam, quoniam in relativis, aiente post Aristotelem s. Thoma [2], *non potest esse motus*, relationem ratione sui crescere, aut decrescere dici nequit. Attamen, si fundamentum relationis spectetur, relatio maior, vel minor fieri potest. E. g., si albedo in pariete albo augetur, hic similior fit alteri maxime albo. 3° Relativa *se invicem converti* dicuntur; unde s. Augustinus ait : « Ea, quae relative dicuntur, ad invicem dicuntur [3] ». E. g., filius est patris filius, et pater est filii pater. Ratio est, quia natura cuiusque relati a natura termini, ad quem refertur, efficitur. 4° Denique relata sunt simul *cognitione*, et *natura*. Sed de hac relativorum proprietate satis alibi [4] dictum a nobis est.

ARTICVLVS TERTIVS

De categoria qualitatis

260. Aristoteles qualitatem esse dixit, « ex qua aliqui dicuntur esse quales », et qualia esse « quae ab eis (*qualitatibus*) denominantur, vel quovis alio modo ab eis dicuntur [5] ».

261. Recentes peripateticae philosophiae osores Aristotelem culpant 1° ex eo, quod qualitatem per effectus, nempe per *qualia* definivit, non vero per causas, ex quibus enascitur, quemadmodum omnem rem definiendam esse ipsemet Stagirita saepe decreverat ; 2° ex

---

1) Cf p. 70. Haec oppositio relationis, ut s. Thomas advertit, « in duobus differt ab aliis oppositionibus. Quorum primum est, quod in aliis oppositis unum dicitur alteri opponi, in quantum ipsum removet... Non autem hoc est in relativis; non enim per hoc opponitur filius patri, quod ipsum removeat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum. Et ex hoc causatur secunda differentia, quia in aliis oppositis semper alterum est imperfectum, quod accidit ratione negationis, quae includitur in privatione, et altero contrariorum; hoc autem in relativis non oportet, immo utrumque considerari potest ut perfectum, sicut patet maxime in relativis aequiparantiae, et in relativis originis, ut aequale, simile, pater, filius »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 4.

2) *Op. cit.*, ibid. a. 8 c.

3) Cf B. Alb. M., *Op. cit.*, ibid., c. 9. Illud autem s. Thomas monet, quod « quamvis relativa consequantur se in esse, non tamen consequuntur se in aliis praedicamentis; non enim sequitur, si pater est musicus, quod filius est musicus »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. I, a. 2 *sol.*

4) *Log.*, loc. cit., p. 59-60 vol. I.

5) *Categ.*, c. 8. Fere eisdem Stagiritae verbis usus est sanctus Damascenus. Ait enim: « Qualitas est, per quam quales quidam nuncupantur. Ac rursus qualitas est, per quam hi, qui ea afficiuntur, denominative dicuntur »; *Dialect.*, c. LI.

eo, quod *qualitatem* per *quale*, et rursus *quale* per *qualitatem* definivit, cum duo, eodem Philosopho docente, per se mutuo definiri nequeant [1]. Ast immerito. Etenim duo praecepta Aristotelis abipsis laudata pertinent ad definitionem stricte sumtam, non vero ad descriptionem, qua tantum notio qualitatis, perinde ac aliarum categoriarum [2], tradi potest. Sane in descriptione licet ea, quae posteriora natura sunt, nempe effectus, ponere, dummodo nobis sint quocumque modo notiora. Etenim, quoties causae rerum non sunt nobis per se perspectae, non aliud restat, nisi ut ipsas ex iis, quae in re nobis obvia sunt, colligere adnitamur. Iam qualia, sive ea, in quibus specialis qualitas invenitur, notiora nobis sunt, quam ipsa qualitas. Puta, quid sit dulcedo, non intelligimus, nisi ex melle, palmulis, aliisque corporibus, quae dulcia sunt. Quapropter, quid sit qualitas in universum, non possumus intelligere, nisi ex iis, quae quocumque modo esse *qualia* sive, ut secundum Scholasticos loquamur, *qualificata* intelligimus, nec aliter significare quid ipsa sit, nisi dicendo ipsam esse, ex qua aliquid *quale*, seu *qualificatum* vocatur.

262. Nec Aristoteles reprehensionem meretur, quod *qualitatem*, et *quale* per se mutuo descripsit. Etenim, postquam per enumerationem diversorum *qualium* novimus, quid sit qualitas, intelligimus subiectum esse aliquo modo *quale*, nempe *qualificatum*, ex eo quod aliqua qualitas in ipso est. Porro, cum qualitas, et quale sint notiones simplices, interroganti quid sit *qualitas* non aliud responderi potest, nisi ipsam esse, ex qua aliquid est *quale*, seu *qualificatur*; interroganti autem, quid sit *quale*, non aliud, nisi esse illud, in quo aliqua qualitas est. Certe, si quis te interroget, quid sit albedo, numquid aliud respondere potes, quam esse aliquid, ex quo corpus est album? Et, si rursus te interroget, quid sit, quo aliquid est album, nonne respondendum tibi est album esse propter albedinem, quae ipsi inest? [3]

263. Cum hac qualitatis descriptione aristotelica consonat illa, quam in *Logica* [4] tradidimus, nempe *Accidens*, *quod substantiam disponit, sive modificat*, quippe quod *substantiam disponere, sive modificare* idem significat, ac substantiam *qualem* efficere. Nihilominus hanc descriptionem, quam recentes discipuli s. Thomae tradiderunt, aristotelicae praeferendam ducimus; haec enim nomen abstractum qualitatis per concretum, illa vero verbis quae notionem nomini abstracto subiectam quodammodo declarant, exponit.

264. Iam, etsi tum differentia specifica, quae determinat essentiam

---

1) Haec duo vitia iam Aristoteli obiecerant nonnulli antiqui (cf Simplic., *Op. cit.*, fol. 37, et 38), qui a veteribus Interpretibus refutati fuerunt.

2) Cf p. 137, not. 3.

3) Cf B. Alb. M., *Op. cit.*, c. 10.

4) P. I, c. 1, art. 4, p. 60.

rei, tum accidentia, quae determinant essentiam rei a differentia specifica constitutam, tamquam *qualitates* intelligantur ; tamen indubium est admittendum esse aliquem modum qualitatis, qui speciali ratione substantiam determinat. Enimvero differentia specifica, cum genus ad speciem, puta animal ad hominem, determinet, subiectum constituit, proindeque tamquam qualitas essentialis praedicatur [1]. Quantitas autem, relatio, et alia accidentia subiectum non *immediate*, sed *consequenter* qualificant ; siquidem in iis qualificatio substantiae consequitur modum entis, quem in illam inducunt [2] ; unde ipsa subiectum non simpliciter *quale*, sed *quale* cum aliquo additamento, puta *quale quantum*, *quale relatum*, *quale in actione*, *in passione*, *in loco*, *in tempore*, *in situ*, et *in habitu*, efficiunt. At vero sunt quaedam accidentia, quae *per se*, hoc est, quin alium modum entis includant, subiectum qualificant, proindeque illud *simpliciter quale* efficiunt. E. g., scientia, virtus, albedo, rectitudo, curvitas, aliaque huiusmodi accidentia subiectum scientia, aut virtute praeditum, album, rectum, aut curvum, aut aliis id genus modis *quale* simpliciter efficiunt.

265. Ex his facile conficere potes existere aliquem modum qualitatis, qui specialis categoria est. Nam quaedam accidentia, uti diximus, substantiam *qualem* efficiunt eo modo, qui nec quantitati, nec relationi, nec ulli alii sex categoriarum convenire potest. Atqui accidentia modum entis significantia, qui ad nullum alium modum reduci potest, ad specialem categoriam referenda sunt. Ergo aliquem modum qualitatis esse specialem categoriam pro certo habendum est [3].

266. Diversas huius categoriae species, seu modos in *Logica* [4] exposuimus. Quod autem ad eius proprietates attinet, in primis qualitas *habere contrarium* dicitur ; puta calor, et frigus, virtus, et vitium, valetudo, et morbus secum pugnant. Praeterea qualitas *magis*, et *minus* suscipere potest ; puta calor tum intensior, tum remissior fieri potest. Qua in re ne pigeat ex s. Thoma haec ediscere, 1° *Magis, et minus* non omnibus qualitatis speciebus convenire potest. Puta, figura non intenditur, nec remittitur, propterea quod ipsa, ut diximus [5], consequitur quantitatem, et ideo in illa, aeque ac in ista, *non dicitur aliquid secundum magis, et minus* [6]. 2° *Magis, et minus* ad qualitatem potius *concrete*, quam *abstracte* spectatam pertinent. E. g., « albedo non dicitur magis, et minus, sed album [7] ». 3° Denique repugnat esse infinitam intensionem in qualitate ; qualitas enim in aliquam for-

1) Cf B. Alb. M., *Met.*, lib. IV, tract. III, c. 6.
2) Cf *Log.*, loc. cit., p. 60-61 vol. I.
3) Cf B. Alb. M., *De praedicam.*, tract. cit., c. 1.
4) Pag. 60-61 citt.
5) Cf *Log.*, loc. cit., p. 62.
6) 1ª 2ae, q. LII, a. 2 c.
7) 1ª 2ae, q. LIII, a. 2 ad 3.

mam recipitur, quae, cum finita, et determinata sit, infinitae qualitatis capax esse nequit [1].

CAPVT QVINTVM

De actione, et passione

ARTICVLVS PRIMVS

Nonnullae notiones circa actionem, et passionem explanantur

267. Certum est substantiam non semper agere id, quod agere potest. Quapropter *actio*, et, quae respondere ei solet, *passio* ab ipso *esse* substantiae distinguuntur, atque inter accidentia, quae illam determinant, numerantur. Iam *actio* denotat illud, per quod aliquid ab aliquo originem habet; id, quod ex alio producitur, *effectus*; id, a quo effectus producitur, *agens*, vel causa efficiens; id denique, in quod actio terminatur, sive a quo actio recipitur, *patiens*, et receptio actionis *passio* nuncupatur.

268. In actione autem considerare possumus, eodem Doctore monente [2], vel dumtaxat *ordinem originis*, seu id, *secundum quod* aliquid ab aliquo procedit, vel etiam *motum*, seu id, « secundum quod incipit ab alio, et terminatur in id quod movetur ». Iam actio, si hoc secundo modo spectetur, inter categorias numeratur. « Actio, s. Thomas ait, secundum quod est praedicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, et cum motu [3] ». At vero haec categoria non constituitur ab ipso motu; siquidem motus, cum sit ipsemet effectus *in fieri*, non prae se fert aliquem modum τοῦ *esse*, sed aliquid, quod ad τὸ *esse* tendit. Neque est relatio, quae inter causam, et effectum enascitur; namque « actiones, et passiones, in quantum motum implicant, aliud sunt a relationibus, quae ex actionibus, et passionibus consequuntur [4] ». Neque est ipsa virtus, seu facultas operandi; haec enim, ut s. Bonaventura advertit, cum a substantia immediate egrediatur, ad genus substantiae accedit [5]. Relinquitur ergo, ut illud, ex quo categoria actionis constituitur, sit actus, ex quo motus oritur. « Actio, inquit Aquinas, secundum primam nominis impositionem importat origi-

---

1) Cf quae diximus p. 135.

2) I, q. XLI, a. 1 c.

3) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 ad 3. Exinde infert sanctus Doctor actionem Dei ad hanc categoriam non pertinere, quia cum agere in Deo sit idem, ac esse, Eius actio motum excludit. Sed « in Deo, pergit (*ibid.*), non est aliquid medium secundum rem inter Ipsum, et opus suum; et ideo non dicitur agens actione, quae est praedicamentum, sed actio sua est substantia ».

4) I, q. XLI, a. 1 c.

5) *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. II, a. 1, q. 3 *resol.*

nem motus [1] ». Ut hoc ipsum aliis verbis significemus, actio est actus secundus virtutis operandi, sive accidens, quo causa actu aliquid producens constituitur. « Actio, ait idem sanctus Doctor, est proprie actualitas substantiae [2] ».

269. Actioni hac ratione explicatae respondet *passio*. « Actio, ait s. Thomas, secundum quod importat originem motus, infert ex se passionem [3] ». Atque alibi : « Proprie dicitur passio . . . , prout aliquid recipitur in patiente per viam motus [4] ». Hic autem observandum est actionem, et passionem convenire in uno motu, cuius origo est in actione, et terminus in passione. « Actio, idem inquit, et passio non sunt duo motus, sed unus, et idem motus . . . , agentis quidem, secundum quod est ab eo; patientis autem, secundum quod est in ipso [5] ». Quod si diversa est ratio, qua agens, et patiens ad eumdem motum se habent, consequens est actionem, et passionem, ab se invicem distingui. Rationem audi ab eodem sancto Doctore : « Licet actio sit idem motui, similiter et passio : non tamen sequitur, quod actio, et passio sint idem; quia in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili, in passione vero, ut qui est ab alio [6] ».

270. Cuilibet autem seipsum exploranti patet effectum actionis interdum in ipso agente manere, ita ut idem subiectum sit principium,

---

1) I, q. XLI, a. 1 c.

2) *Ibid.*, q. LIV, a. 1 c. Ex eo quod actio *actus secundus* vocatur, facile intelligitur ipsam a substantia discriminari, ideoque a veritate longissime aberrasse Nominales, qui vestigiis Ockami (*In lib. II Sent.*, q. XX) insistentes negarunt actiones in rebus creatis re ipsa distingui a substantiis, esseque quidquam reale, quod eis advenit. Enimvero, si sententia Ockami admitteretur, dicendum foret substantias semper esse *in actu secundo*, cuiusmodi est actio, proindeque semper operari quidquid operari possunt; id, quod omnino falsum est. Immo, quoniam *operari sequitur esse*, nemo non videt, si operatio ab ipsa substantia non distingueretur, ne *esse* quidem a substantia distingui oportere; unde res creatae essent ipsum suum *esse*, quod est solius Dei (cf s. Thom., I, q. XIV, a. 4 c., et q. LIV, a. 1 c., necnon ea, quae diximus in *Dynam.*, c. I, art. 1, p. 227-228 vol. I). Cum Nominalibus consentire videtur Leibnitius, qui notionem substantiae in vi agendi positam esse docuit (vid. p. 97). Et sane, cum vis agendi sit aliquid substantiale, actio, Leibnitii sententia, non est aliquid accidentale, quod substantiae advenit, sed aliquid substantiale; quia vis agendi, et actio, quae a vi agendi promanat, eodem genere entis continentur (vid. *Qq. dispp.*, q. unic. *De Anim.*, a. 12 c.). E re est Leibnitio obiicere hocce argumentum ex eiusdem placitis petitum. Cum vis agendi substantiae essentiam constituat, materia, quae substantia est, vi agendi destitui non potest; imo haec essentialis ei esse debet. Atqui secundum Leibnitium (*De Primae Phil. emendatione, et de notione substantiae*, p. 122, ed. cit.) vis agendi cum motu semper coniuncta est. Ergo motus essentialis materiae admittendus est. Quod cum falsum sit, liquet substantiam cum vi agendi confundi non posse.

3) I, q. XLI, a. 1 ad 3.

4) *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXVI, a. 1 c.

5) *In lib. III Phys.*, lect. III.

6) I, q. XXVIII, a. 3 ad 1.

et terminus actionis ; interdum vero extra ipsum ferri, ita ut aliud sit principium actionis, aliud eius terminus. E. g. , contemplatio a contemplante profiscitur, et in contemplante manet ; at calefactio non manet in calefaciente, sed ab eo emanat in id, quod calefit, eique calorem impartitur [1].

271. Porro nemo non videt 1° actionem immanentem esse perfectionem ipsius agentis, transeuntem autem patientis ; siquidem, cum effectus sit in termino actionis, in eo oportet esse perfectionem, quae est terminus actionis. E. g., cum animus aliquid intelligit , perficit seipsum, non vero id , quod ipse intelligit ; contra ea, cum sol corpora illuminat, ipse nihil adipiscitur, ex quo perficitur, sed corpora perficit [2]. 2° Actioni transeunti respondere passionem *proprie* acceptam [3], quia subiectum per id, quod ex actione transeunte in se recipit, transmutari potest; actioni autem immanenti dumtaxat passionem *communiter* [4] acceptam, quia, cum terminus actionis immanentis sit ipsum agens, nullaque res a seipsa transmutetur, passio, quae illi actioni respondet, nonnisi in eo consistere potest, quod agens terminum actionis in se recipit, nec tamen transmutatur [5].

272. Verum occurrendum est Leibnitio actiones transeuntes pro absurdis traducenti [6], quem non solum plerique Leibnitiani, sed nonnulli quoque extra Leibnitii scholam, et nuperrime Iacobius [7] secuti sunt. Leibnitius contendit « fieri non posse, ut una substantia ab alia intrinsecus immutetur . . . , propterea quod accidentia nequeunt a substantiis seiungi, atque extra ipsas evagari [8] ». Quibus paucis verbis haec argumentatio continetur: Non potest una substantia in alteram agere, nisi aliquod accidens proprium cum ipsa communicet. Ast hoc fieri nullo pacto potest; nam accidens non potest egredi e subiecto, in quo est, neque extra subiectum volitare, alioquin per se subsisteret, quod accidenti repugnat, neque tandem aliud subiectum,

---

1) I, q. XIV, a. 2 c., et alibi *passim*.

2) *Qq. dispp. De Pot.*, q. X, a. 1 c., et alibi.

3) I, q. XXIII, a. 2 ad 1. Haec actionis species luculenter manifestat discrimen, quod, ut diximus, inter actionem, et passionem existit. Nam, « cum actio sit in agente, et passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, et quod est passio, cum unum accidens non possit esse in diversis subiectis »; *In lib. II Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 4 ad 1.

4) Quid nomine passionis *proprie*, et *communiter* acceptae veniat, explicavimus in *Dynam.*, c. III, art. 4, p. 305 vol. I.

5) *In lib. I Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 1 ad 1.

6) *Nouveau système de la nat., et de la grace*, § 12-15, p. 127, et 128; *Epist.* XXVII *ad des Bosses*, p. 727; *Monadologie*, p. 705-722 etc.

7) Iacobi, *De idealismo, et Realismo*; Opp. omnia (germ.), t. II, p. 261, Lipsiae 1812-1825, t. II, p. 261.

8) *Monad.*, § 7, p. 705.

ad quod non pertinet, attingere in eoque inhaerere. Ergo una substantia aliquid in aliam agere nequit [1].

273. Sed adeo futilis est haec argumentatio, ut ipsam a Lebnitio profectam fuisse miremur. Etenim nos cum s. Bonaventura [2] concedimus accidens non posse de subiecto in subiectum transmigrare, quippe quod, cum accidens a subiecto suo oriatur [3], ac per illud individuetur, numeretur, et distinguatur [4], extra suum subiectum naturaliter esse nequit [5]. At negamus substantiam non posse agere in substantiam, nisi accidens suum cum ea communicet [6].

274. Enimvero actio transiens, prout est actio, in ipso agente manet [7], quia ipsa est affectio agentis; at terminum, sive effectum eius cum sit aliquid ab ea distinctum, esse extra subiectum agens non repugnat. Quo autem subiectum agens in patiente aliquid producat, non oportet ipsum aliquid sui cum illo communicare, sed satis est ipsum virtute sua illud ita afficere, ut novus modus in eo evolvatur. Id s. Thomas perbelle declaravit. Is enim statuit ad producendam actionem unius entis in alterum non aliud requiri, nisi ut unum cum altero coniungatur, sive, ut unum alterum vel per *contactum quantitatis*, uti evenit in actione corporis in aliud corpus, vel per *contactum virtutis*, uti fit in actione spiritus in spiritum, vel spiritus in corpus, quodammodo tangat. « Oportet, ait, omne agens coniungi ei, in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere [8] ». Sanctus Doctor contactum quantitatis a contactu virtutis discrevit multis in locis, e quibus eligimus hunc : « Dicendum, quod est duplex contactus: quantitatis, et virtutis. Primo modo, corpus non tangitur nisi a cor-

---

[1]) Operae pretium est adnotare Leibnitium totam hanc argumentationem a Iuliano Pelagiano mutuatum esse. Hic enim, uti est apud s. Augustinum, probaturus peccatum originale non posse a parentibus in filios transfundi, contendit « malum, quod est in parente, utique in subiecto, alii rei, idest proli, ad quam non pervenit, reatum non posse transmittere », propterea quod ratum est ex Aristotelis categoriis « rem, quae in subiecto est, sine illa re esse non posse, in qua subiecta est »; *Cont. Iul. Pel.*, lib. V, c. 14.

[2]) « Impossibile est accidens transmigrare de subiecto in subiectum »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, p. I, a. 1, q. 3 *resol.* Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. V, c. 4, n. 5.

[3]) Cf p. 126-127.

[4]) Cf p. 104.

[5]) Cf p. 125.

[6]) Errorem hunc s. Thomas obiecit Democrito, quippe « qui ponebat, actionem esse per effluxionem atomorum a corpore agente, et passionem esse per receptionem earumdem in poris corporis patientis » (I, q. CXV, a. 1 c.). Quo modo sumebat, ut sanctus Doctor observavit, « idem accidens numero defluere ab agente in patiens » (ibid. ad 5); unde etiam « sequeretur, quod quantitas corporis agentis diminueretur ex hoc, quod agit » (ibid., c.). Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 4, p. 250.

[7]) Apposite s. Thomas: « Actio est magis propinqua agenti, quam patienti »; *In lib. IV Sent.*, Dist. IX, q. I, a. 2, *sol.* 2.

[8]) I, q. VIII, a. 1 c.

pore. Secundo modo, corpus potest tangi a re incorporea, quae movet corpus [1] ». Quare unum corpus agit aliquid in aliud ex eo, quod illud quantitate sua tangit, et spiritus in corpus ex eo, quod corpus tangit virtute sua [2].

275. Ut id illustrius fiat, observandum est nullam rem posse substantialiter, aut accidentaliter mutari, nisi forma substantialis, aut accidentalis potestate, aut virtute in ea lateat [3]. Ita lignum in ignem, non vero in aquam convertitur, quia lignum ex natura sua fieri potest ignis, non vero aqua; atque in artificis arbitrio est ex trunco ficulneo, ut est apud Horatium [4], scamnum aut Priapum facere, quippe quod lignum utriusque figurae capax est. Quod si hoc aliter se haberet, quaelibet res in quamlibet aliam immutari, et cuilibet rei quodlibet accidens advenire posset. Iamvero, cum una substantia aliquid in aliam agit, certe nihil ex se abiicit, et in illam transfert, nihil enim agendo amittit; sed actione sua illam ita afficit, et attrectat, ut id, quod in ea *potentia* extabat, quasi evolvat, et ad actum reducat. Hoc sane pacto ignis lignum in ignem non alio modo convertit, quam quod virtutem igneam in eo latentem explicat, atque artifex in ligno aliquam ex figuris, quarum capax est, educit. « Ridiculum est, ait s. Thomas, dicere, quod ideo corpus non agat, quia accidens non transit de subiecto in subiectum ; non enim hoc modo dicitur corpus calidum calefacere, quod idem numero calor, qui est in calefaciente corpore, transeat ad corpus calefactum ; sed quia virtute caloris, qui est in calefaciente corpore, alius calor numero fit actu in corpore calefacto, qui prius erat in eo in potentia. Agens enim naturale non est traducens propriam formam in alterum sub-

---

1) I, q. LXXV, a. 1 ad 3, et alibi passim. Cf quae de hac re scripsimus in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. XXI, p. 524 sqq, Napoli 1851.

2) Hinc s. Augustinus sapienter Iuliano obiecit qualitates de subiecto in subiectum transire non *migratione*, sed *affectione*, et *contagione*. Operae pretium est ex eius argumentatione haec pauca exscribere: «Verum enim est quod ibi accepisti, ea, quae in subiecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subiecto, in quo sunt, esse non posse, sicut est in subiecto corpore color, aut forma, sed *afficiendo* transeunt, non *emigrando*; quemadmodum Aethiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum *velut tunicam transferunt*, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt. . . Quomodo autem de corpore ad spiritum, eo modo transeunt de spiritu ad corpus. Nam colores virgarum, quas variavit Iacob, afficiendo transierunt in animas pecorum matrum, atque inde rursus *eadem affectione* transeundo apparuerunt in corporibus filiorum (*Gen.* XXX, 37-42)... Sic et vitia, cum sint in subiecto, ex parentibus tamen in filios, non quasi transmigratione de suo subiecto in subiectum alterum, quod fieri non posse categoriae illae quas legisti, verissime ostendunt; sed, quod non intelligis, affectione, et contagione pertranseunt » (loc. cit.).

3) Cf p. 129.

4) *Satyr.* lib. I, Sat. VIII, v. 1-3.

iectum, sed reducens subiectum, quod patitur, de potentia in actum [1] ».

276. Actio distinguitur quoque in *instantaneam*, *et successivam*, prout effectus *subito*, vel cum tempore ipsam consequitur [2]. E. g., actio, qua fructus ex planta gignitur, est successiva ; actio autem, qua sol terram illuminat, est instantanea, « cum illuminatio non sit motus, sed terminus motus [3] ».

277. Quoniam notio temporis, ut suo loco videbimus, cum notione motus connectitur, nonnulla inde s. Thomas deduxit, quae digna notatu sunt. 1° Causa instantanea agit *sine motu*, successiva autem *per motum* [4]. 2° In actionibus instantaneis non prius est fieri, quam esse [5] », atque ideo « quod fit, est, cum dicitur [6] »; e contrario in actionibus successivis « effectus non est nisi in termino motus [7] ». 3° In actionibus successivis « causa..... praecedit duratione id, quod ab ea producitur [8] », quia causa, quae est principium motus, praecedat necesse est effectui, qui non est, nisi in termino motus; contra ea, in actionibus instantaneis effectus « simul est duratione cum eo, a quo procedit, sicut splendor in igne, vel in sole [9] ».

278. Advertendum denique est per actionem aut produci totam substantiam rei, adeo ut incipiat esse res, quae nullo modo erat, aut rem, quae iam existit, aliquo modo immutari, ita ut eadem res incipiat res aliter, ac antea erat. Actio, per quam tota substantia rei producitur, *creatio* audit ; unde creatio definitur « emanatio totius esse ex non ente, quod est nihil [10] ». Actio vero, per quam subiectum,

---

1) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69. Ex quibus vides Leibnitium sophisma Iuliani, quod ante innuimus, instaurasse, quin eorum, quae a s. Augustino, et s.Thoma disputata fuerant, rationem haberet.

2) Opusc. XXVII, *De aeternitate mundi.*

3) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 13 c.

4) *Opusc. cit.*

5) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 37.

6) I, q. XLV, a. 2 ad 3.

7) *Contr. Gent.*, ibid., c. 38.

8) *Qq. dispp.*, ibid.

9) *Ibid.*

10) I, q. XLV, a. 1 c. Hinc nonnulli Patres ad creationem rerum significandam utuntur verbo οὐσιῶσαι, cum accusativo, quod idem valet, ac *substantiare*, seu *substantiam dare* (vid. Suidas, h. v.). Certe, ut unum ex antiquis Patribus nominemus, illa vox nobis occurrit apud s. Athanasium (*Cont. Gent.*, n. 41, *Opp.*, t. I pars I, p. 32, Patavii 1777), ubi legitur οὐσιώσας τὴν κτίσιν, hoc est, *qui substantiavit res creatas*, seu qui substantiam dedit rebus creatis. Clem. Schrader asserit ss. Patres nomen οὐσιώσεως, *substantiationis*, ad creationem denotandam, frequentasse, sed nullum Patrem nominat. At, si haec vox, quantum scimus, legitur apud s. Cyrillum Alex. (Lib. I *in Ioan. c. IV*), et Theophylactum (*In c. XI, v. 1, ad Hebr.*), certe ab his non ad productionem substantiae, seu creationem, sed ad *rationem*, γον, substantiae denotandam adhibetur. Auctor *Libr. Areopag.* dixit Deum esse

quod iam existit, immutatur, simpliciter *effectio* dicitur [1]. Res autem, quae iam est, immutari potest vel secundum substantiam, nempe cum agens formam rei destruit, novamque ipsi impertitur, ut ignis lignum convertit in ignem; aut secundum accidens, puta cum sol corpus e tenebroso lucidum efficit [2]. Prima actio, ut in *Cosmologia* videbimus, vocatur *generatio*, secunda autem *alteratio*.

279. Quoniam de creatione alibi agendum nobis erit, duo, quae ex dictis colliguntur, dumtaxat hic adnotanda nobis esse censemus. 1° Actio creatrix est instantanea, quia, cum in nullam materiam exerceatur, neque motus, neque successio in illam cadere possunt. 2° Creatio ad actiones, quae inter praedicamenta recensentur, non pertinet. Nam creatio *activa* non est aliud, nisi ipsa substantia Dei cum relatione *rationis* ad creaturas, et reali dependentia creaturarum a Deo; et creatio *passiva*, hoc est, processio creaturae a Deo, non est actio, sed effectus actionis [3].

ARTICVLVS SECVNDVS

De notione causae generatim consideratae

280. Quoniam actio, ut vidimus, originem ab aliquo praesefert, de eo, a quo actio originem trahit, dicendum quoque nobis est. Iam illud, a quo actio oritur, *principium* vel *causa* appellatur. Quid inter *principium*, et *causam* intersit, s. Thomas perspicue tradidit hoc modo: « Principium nihil aliud significat, quam id, a quo aliquid procedit; omne enim, a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium [4] ». Ast « hoc nomen, Causa, videtur importare . . . dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principii [5] ». Quamobrem notio principii *communior* est, quam notio causae [6], quia principium significat tantum illud, a quo aliquid originem habet [7]; sed causa significat etiam productionem illius rei, quae ab ipsa sumit originem [8]. Quod cum ita se habeat, intelligitur 1° natu-

---

omnium simul rerum causam substantificam (αἰτίας σὺσιοποιοῦ); *De Coel. Hierar.*, c. XIV, ed. Cordier.

1) *In lib. De causis*, lect. XVIII.

2) *In lib. II Met.*, lect. III.

3) Cf Albert. M., *In lib. II Sent.*, Dist. I, a. 6, et *De quatuor coaevis*, q. VII, a. 2; s. Thom., I, q. cit., a. 3 ad 1, atque alibi; Scot., *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. V.

4) I, q. XXXIII, a. 1 c.

5) Ibid. ad 1; cf *In lib. V Met.*, lect. I.

6) I, loc. cit. ad 1.

7) «Principium, inquit s. Bonaventura, principaliter importat originem»; *In lib. I, Sent.*, Dist. XXIX, a. 1, q. I *ad arg.*

8) Principium vocatur non modo illud, ex cuius actione aliquid oritur, sed etiam

ram causae saltem numero distingui a natura effectus; 2° causam, si non tempore, saltem *natura*, ut mox explicabimus, praecèdere effectui, alioquin concipi non posset, quomodo effectus a causa pendeat; 3° haec duo ad notionem principii non expostulari, quippe quod in ea non productio, sed dumtaxat origo alicuius ab aliquo continetur [1].

281. Itaque nomine causae generatim acceptae illud designatur, quod quidquam ad alterius productionem aliqua ratione confert, quemadmodum vicissim *effectus* nomine illud vocatur, quod aliqua ratione a causa producitur, ab eaque pendet [2].

282. Sed, ut haec notio causae accuratius declaretur, simulque universa causarum varietas cognoscatur, observandum est causam ita a Patribus, et Scholasticis post Aristotelem distingui, ut alia quidem *efficiens*, alia *materialis*, alia *formalis*, alia denique *finalis* dicatur [3]. Etenim nullus effectus produci potest, nisi sit aliquod ens, a quo producatur. Ens istud, quod virtute sua effectum producit, ipsumque a potentia ad actum transfert, *efficiens* causa vocatur. Quandoquidem autem nulla creata vi, ut suo loco videbimus, ullum ens ex nihilo produc potest, efficiens causa vim suam exercere non potest, nisi subiectum aliquod, sive materia reperiatur, ex qua effectus ille formetur. Hinc ad effectum producendum, praeter efficientem, *materialis* causa requiritur. Cum autem *materia* ad hoc potius, quam ad aliud *esse* recipiendum sit natura sua indifferens, oportet materiam per aliquid determinari, ut certus aliquis, distinctusque effectus oriatur: id, quod materiam determinat, causa *formalis* vocatur [4]. Denique, quo-

---

illud, ex quo aliquid quocumque modo exordium sumit. Ita principium appellamus primam partem rei, quia rem ab eo exordiri intelligimus, et praemissas principium conclusionis dicimus, quia sunt id, ex quo conclusio cognosci incipit.

[1]) Hinc Theologi, cum post Patres, praesertim latinos, docent Patrem esse principium Filii, Patrem vero, et Filium esse principium Spiritus Sancti, nihil Deo indignum asserunt, sed recte, proprieque loquuntur; siquidem principium potest denotare ordinem originis, quin ullam distinctionem naturae, ullamque prioritatem sive temporis, sive naturae includat. Illud autem cum s. Bonaventura advertendum est, nullum esse in rebus creatis principium, quod simul causa non sit, in iis enim quidquid ex aliquo principio oritur, semper naturam ab illius natura saltem numero distinctam recipit, proindeque ab eodem dependet. « In creaturis idem est principium, et causa, et hoc est, quia productum differt a producente; et ideo potest dici effectus eius, et istud potest dici causa, et in idem concurrit intentio principii, et causae, et similiter nomen; sed non ita in divinis, quia ibi potest esse unius substantiae producens cum producto »; *Loc. cit.*

[2]) « Effectum, Aquinas ait, a sua causa dependere oportet, hoc enim est de ratione effectus, et causae »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 1 c.

[3]) « Est, s. Thomas ait, quadruplex genus causae, scilicet finalis, formalis, efficiens, et materialis »; 2ª 2ae, q. XXVII, a. 3 c. Vid. Aristotelem, *Natur. Auscult.*, lib. II, c. 7, § 3, ed. Didot.; Clem. Alex., *Strom.* lib. VIII, c. 9, atque Albert. M., *Physic.*, lib. II, tract. II, c. VII, et *Met.*, lib. V, c. 3.

[4]) Causa efficiens, quae intellectu pollet, nequit, ut iam ostendimus (*Logic.*, p. III, c. II, art. 2, p. 197 vol. I), formam effectui suo impertiri, nisi eam sua cogita-

niam omne agens effectum determinatum producit, aliquid esse oportet, propter quod unum potius, quam alium effectum gignit. Iam illud, propter quod agens aliquid operatur, *finis* dicitur [1]. Ergo omne agens agit propter finem [2]. Quamobrem, praeter tria genera causarum, quae numeravimus, aliud existit, quod *causa finalis* vocatur, eaque, ut diximus [3], posita est in bono, quod causam efficientem ad aliquid operandum movet [4].

283. Pervulgata autem est finis partitio 1° in finem *proximum*, et *remotum*, vel *ultimum*; 2° in finem *principalem*, et *accessorium*; 3° in finem *operis*, et *operantis*. Finis proximus ille est, qui *immediate*, nempe nullo alio fine interposito; *remotus* autem, qui *mediate*, nempe alio, vel aliis finibus interpositis, ab agente proponitur. E. g., praelium est *finis proximus* exercitus ad aciem instructi; victoria est finis remotus [5]. Hic autem finis remotus, si sit velut ultimus terminus, in quo agens quiescit, dicitur *finis ultimus* [6]; cuiusmodi homini est beatitudo. Quare finis ultimus definitur: id, quod expetitur propter se tantum, et propter quod caetera omnia expetuntur. *Primarius* autem ille finis dicitur, quem agens ita sibi proponit, ut, etiamsi omnis alius deesset, ab operando non desisteret; atque *accessorius* dicitur ille, quem agens ita intendit, ut, si solus esset, opus non efficeret [7]. Puta, si quis philosophiae studio operam navat cum propter delectationem, tum propter utilitatem, sed ita tamen, ut huiusmodi studio quidem

---

tione concipiat. Haec forma, quae in mente causae efficientis existit, et « ad cuius imitationem aliquid fit » (cf s. Thom., *Qq. dispp., De Ver.*, q. VIII, a. 8 ad 1), causa *exemplaris* dicitur. Hinc vides causam exemplarem ad formalem reduci, hoc tantum discrimine, quod haec est interna, illa autem externa. « Forma, inquit idem sanctus Doctor, semper notat habitudinem causae. Est enim forma quodammodo causa eius, quod secundum ipsam formatur, sive formatio fiat per modum inhaerentiae, sicut in formis intrinsecis, sive per modum imitationis, ut in formis exemplaribus »; *Op. cit.*, q. III, a. 3 c.

1) Hic finis, ut alibi diximus (vol. I, *Dynam.*, c. IV, art. 1, p. 371-373), vel a Deo constituitur, vel ab ipso agente, si ratione polleat, eligitur. Qua ratione Deus quoque in operibus *ad extra* propter finem agat, alias explicabimus.

2) Cf s. Thom., 1ª 2ªe, q. I, a. 2 c., et *Contr. Gent.*, lib. III, c. 3.

3) Pag. 80, not. 1, et vol. I, loc. cit., p. 371, not. 1.

4) Quomodo in hisce diversis causarum generibus effectus a causa pendeat, s. Thomas ostendit hoc modo: « Quocumque materiali, vel formali principio subtracto, res statim esse desinit, cum huiusmodi principia intrent essentiam rei. . . Efficiens est causa rei, secundum quod formam inducit, vel materiam disponit; unde eadem dependentia rei est ad efficiens, et ad materiam, et formam, cum per unum eorum ab altero dependeat. De finalibus autem causis oportet etiam idem esse iudicium, quod de causa efficiente; nam finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem ad agendum »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 1 c.

5) Cf s. Thom., *Qq.* citt. q. VII, a. 2 ad 10.

6) Cf 1ª 2ªe, q. XII, a. 2 c.

7) *Quodlib.* VIII, a. 11 c.

incumberet, si sola haberetur utilitas, non vero, si sola delectatio, illa esset *finis primarius*, haec *accessorius*. Denique « *finis operis*, ut s. Thomas ait, est hoc, ad quod opus ordinatum est ab agente, et hoc dicitur ratio operis ; *finis* autem *operantis* est, quem principaliter operans intendit; unde finis operis potest esse in alio, sed finis operantis semper est in ipso; sicut patet in aedificatore, qui lapides congregat ad componendum eos, quod ista compositio, in qua consistit forma domus, est finis operis; sed utilitas, quae provenit ex hoc operanti, est finis ex parte agentis [1] ».

284. E re est haec, quae enumeravimus, causarum genera secum invicem conferre, ut earum ordo perspiciatur.

Duplex ordo in causis invenitur, scilicet unus, qui est *in causando*, et dicitur *ordo intentionis*, alter vero, qui est *in causatis*, et *ordo executionis* nuncupatur. Iam ordine *intentionis in causando* finis est prima causa. Etenim, cum finis causam efficientem ad aliquid agendum moveat, subtracto fine, causa efficiens nihil operatur, ac proinde neque forma producitur, neque materia actum recipit. Atqui illa causa, qua subtracta, reliquae esse non possunt, est prima in ordine causarum [2]. Ergo finis cunctis causis est prior. Causa autem efficiens praecedit formalem ; nam, cum nihil ex se a potentia ad actum transeat, forma sine actione causae efficientis produci non potest. Demum, quoniam actio causae efficientis in eo posita est, quod aliquam formam impertitur materiae, formam in *causando* materiae praecedere manifestum est [3]. Ordine autem *executionis in causatis* res aliter se habet. Nam « principium in executione est, unde incipit operatio; unde, isto principio subtracto, nullus inciperet aliquid operari [4] ». Qua de re primo est materia, quae recipit formam; deinde forma, quae materiam in certa specie constituit; tum virtus efficiens, ex qua res in *esse* perficitur; denique finis, sive « ratio boni, per quam in ente perfectio fundatur [5] ». Ex quibus colligitur 1° *id, quod est primum in causando, esse ultimum in causato*; proindeque finem, qui est primus *in causando*, et *ordine intentionis*, esse postremum in *causatis* et *ordine executionis*. 2° Prorsus futile esse id, quod post Epicureos [6] a Spinosa [7], Buffono [8], aliisque obiicitur, nempe « hanc de fine doctrinam, ut Spi-

---

1) *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, a. 1 *sol.* Finis operis id quoque dicitur, ad quod opus natura sua spectat. Puta finis canendi est cantus. Finis autem operantis id vocatur, quod operans, prout animo suo lubet, sibi proponit. E. g., finis canentis potest esse lucrum, vel gloria, vel etiam ipse cantus; nihil enim prohibet, quin finis operantis sit id ipsum, quod est finis operis.

2) 1ª 2ae, q. I, a. 4 c.

3) I, q. V, a. 4 c.

4) 1ª 2ae, q. I, a. 4 c.

5) *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXVIII, a. 7 c.

6) Vid. Lucret., *De nat. rerum*, lib. IV, vv. 821-840, ed. cit.

7) *Ethic.* pars I, Append. ad prop. XXXVI, *Opp.* t. II, p. 71, ed. cit.

8) *Oeuvr.* t. II, p. 78, Paris 1749-1789.

nosae verbis utamur, naturam omnino evertere. Nam id, quod revera causa est, ut effectum considerat, et e contra. Deinde id, quod natura prius est, facit posterius [1] ». Enimvero finis ex diversitate respectuum, qua omnis repugnantia tollitur, est causa, et effectus; scilicet causa, quatenus intelligentia causae efficientis comprehenditur, atque effectus, quatenus in statu actuali constituitur. E. g., sanitas, prout intellectu apprehenditur, est finis utentis medicamentis, et prout in statu reali invenitur, est effectus [2]. Hinc, quamvis finis sit prior, et posterior; tamen, quia id pro diverso statu contingit, nihil absurdi inde existit.

ARTICVLVS TERTIVS

De vi obiectiva causae efficientis, et de principio causalitatis

285. Causalitas causae efficientis, sive influxus, quem causa efficiens in effectum habet, in actione positus est. « Influxus causae efficientis, s. Thomas ait, est agere [3] ». De aliis autem causae generibus, idem asseri nequit; nam causa finalis ad effectum ex eo concurrit, quod efficientem causam ad agendum movet; causae autem materialis, et formalis ex eo, quod effectum intrinsecus constituunt. Hinc causae efficienti nomen *causa* potissimum tribui solet [4]. Quod cum ita sit, de causa efficiente speciatim disserendum nobis est. Ab eius vi obiectiva stabilienda ordiamur.

286. Inter veteres Aenesidemus notionem causae veluti absurdam, vel saltem subiectivam traduxit, et *principium causalitatis*, illud sci-

---

[1]) *Loc. cit.*

[2]) Ad hanc rem s. Thomas observat « posse secundum diversa genera causarum idem respectu eiusdem esse causam, et causatum; sicut purgatio est causa sanitatis in genere causae efficientis; sanitas vero est causa purgationis secundum genus causae finalis »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXVIII, a. 7 c. Cf eumdem 1ª 2ªᵉ, q. XXXIII, a. 4 ad 2.

[3]) *Qq. dispp.*, ibid., q. XXII, a. 2 c. « Efficiens, alibi ait, est causa, in quantum agit »; *In lib. V Met.*, lect. II.

[4]) Ex quo Franckius (*Diction.* cit., v. *Cause*, t. I, p. 460) post alios perperam deduxit nomen, notionemque causae nonnisi uni causae efficienti convenire, propterea quod notio causae materialis eadem est cum notione substantiae; causa formalis relationem denotat inter operationem, et intellectum; et causa finalis significat relationem inter actionem liberam, atque illud momentum rationis, quod ipsam determinat. Verum Franckius, uti ex iis, quae passim diximus, perspicitur, miscet quadrata rotundis. Nam materia non est substantia, sed unum ex duobus elementis, quae substantiam componunt. Causa formalis est alterum elementorum, eaque, etsi respondeat typo, seu exemplari, quod intellectus de re concipit, non est tamen ipsum exemplar. Denique causa finalis non est ipsum momentum rationis, quod voluntatem ad aliquid agendum determinat, sed illud, quod voluntas ab illo momento determinata assequi nititur.

licet, quo ab existentia effectus existentia causae arguitur, vehementer impugnavit [1]. Inter recentes David Humius notionem causae e medio sustulit, eo quod experientia, quam ipse, lockianae philosophiae decretis insistens, tamquam unicam cognitionis nostrae causam agnovit [2], vinculum consecutionis, non vero connexionis inter facta naturalia nobis patefacit; unde principium causalitatis, quo necessaria connexio inter effectum, et causam statuitur, subruere conatus est [3]. Id ipsum in media aetate inter Arabes Algazel [4], atque ante Humium inter ipsos Anglos Glanwilleus [5] asseruerant.

287. At mentem nostram notione causae potiri, atque hanc obiectivam esse facile evinci potest. Et sane, animam nostram novos modos in se ipsa efficere intima, iugique experientia edocemur. « Vivere se, inquit s. Augustinus, et meminisse, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire, et iudicare quis dubitet ? [6] » et s. Thomas: « Experitur unusquisque seipsum esse, qui intelligit [7] ». Cum factum sensationis expendimus, animam in ipsa se passivam, atque ab obiecti exterioris actione affectam experiri facile agnoscimus [8]. Iam intellectus, si in haec primitivae experientiae facta vim suam reflectendi intendit, facile advertit quasdam esse entitates, quae ex alicuius activae vis influxu originem habent, atque hoc pacto notionem alicuius, quod fit, et alicuius, a quo fit, hoc est, effectus, et causae adipiscitur. Quod si a notione ista quamcumque determinationem, e. g., hanc, vel illam entitatem, quae producitur, atque hanc vel illam producendi rationem abstrahit, notionem causae, et effectus in universum sibi comparat. Iam, quoniam mens nostra ex iis, quae experientia comperit, ad notionem causae assurgit, notionem causae realitate obiectiva gaudere dicendum est.

288. Postquam mens notione causae, et effectus potita est, analysim notionis effectus instituens, relationem, quae inter hunc, et causam extat, deprehendit, atque ex huius cognitione conficit sibi *principium causalitatis*, hoc est, *quidquid fit, sui causam habet*, vel, *omnis effectus subaudit causam*. Enimvero effectus, fatente ipso Humio, est aliquid, quod incipit existere, dum antea non existebat, seu quod a

---

1) Cf vol. I, *Criteriol.*, c. II, art. 2, p. 599.

2) *Op. cit.*, Ess. II, pp. 77-79. Cf Tract. *De nat. hum.* (angl.), lib. II, part. IV, c. 6, p. 436, 439, 445, ed. cit.

3) Cf vol. I, loc. cit., p. 600.

4) Cf ibid., not. 1.

5) Glanwill, *Scepsis scientifica adversus dogmaticorum vanitates*, Loud. 1665.

6) *De Trin.*, lib. X, c. 10, n. 14. Cf Hug. a s. Victore, *De Anim.*, lib. II, c. 18, p. 159, *Opp.*, ed. Can. Regul. s. Victoris, Rothomagi 1848.

7) I, q. LXXVI, a. 1 c. « Ex hoc experimento, alibi scribit, cognoscimus, dum percipimus, nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus, quod est facere actu intelligibilia »; *ibid.*, q. LXXIX, a. 4 c.

8) *Dynam.*, c. II, art. 4, et 5, *passim* vol. I.

statu possibilitatis ad statum existentiae progreditur. Ast aliquid « de potentia non potest reduci in actum, nisi per aliquod ens actu [1] ». Ut igitur effectus existentiam accipiat, aliquid iam in actu esse oportet, quod hanc existentiam ei largitur [2]. Iamvero, id quod effectui existentiam largitur, non potest esse idem effectus, sed debet esse aliquid ab ipso distinctum; alioquin, cum actio sequatur existentiam [3], oporteret effectum esse, antequam esset, quo nil absurdius excogitari potest. « Nec est possibile, inquit Aquinas, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso ; quod est impossibile [4] ». Itaque notio effectus expostulat notionem alterius rei, quae sua virtute existentiam effectui largitur. Iam, quoniam realitas, quae existentiam alteri largitur, causa illius est, tuto concludendum est notionem effectus esse eiusmodi, ut notionem causae necessario expostulet [5]. Quapropter principium causalitatis non est, quemadmodum Humius contendit, inter praeiudicatas opiniones amandandum, sed est verum iudicium *analyticum* [6], in quo praedicatum ita cum subiecto connectitur, ut, si ipsum inde sustuleris, subiecti simul notionem evanescere necesse sit. Unde principium causalitatis suam vim inconcussam ex ipso contradictionis principio desumit [7].

289. Obiicit 1° Aenesidemus: Si qua est causa, evidens est ipsam esse prius, quam effectum, debet enim existere ante effectum, ut illum producere possit ; sed evidens quoque est causam non posse esse, nisi cum existit effectus, quippe quod non potest esse causa, nisi iam sit effectus. Ergo notio causae duo secum pugnantia complectitur, nempe quod existit ante effectum, et quod non existit, nisi cum effectus existit.

290. Resp. *Dist. ant.*: *prioritate naturae*, *Conc.*; *prioritate temporis Subdist. ant.* Quod ad primam partem, si sermo sit de causis, quae actione *successiva* effectum producunt, *conc. ant.*; sin de causis, quarum actio est *instantanea. neg. ant.*; et quod ad alteram partem, si

---

1) I, q. II, a. 3 c. Cf *ibid.*, q. III, a. 1 c.

2) « Quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est »; *Ibid.*, q. II, a. 3 c.

3) « Unumquodque agit, secundum quod est in actu »; *Ibid.*, q. XXV, a. 1 ad 1.

4) *Ibid.*, q. II, a. 3 c. Cf verba s. Augustini, quae excripsimus in *Idealog.*, c. I, art. 3, p. 472 vol. I.

5) « Cum esse effectus dependeat a causa, necesse est causam praeexistere »; *Ibid.*, q. cit., a. 2 c.

6) Quaenam sint haec iudicia, explicavimus in *Idealog.* loc. cit., p. 467 vol. I, not. 3.

7) Cf *I Principali sistemi* etc., c. 1, § IX, p. 133-135. Inde Kantius etiam refellitur, qui principium *causalitatis* inter sua iudicia *synthetica a priori* (cf *Idealog.* loc. cit. p. 467 vol. I) recensuit ; nam in principio *causalitatis*, quemadmodum ostendimus, ex notione subiecti notio praedicati evolvitur, quod, secundum ipsum Kantium, analyticorum iudiciorum proprium est.

causa spectetur, prout est causa, *conc. ant.*; si prout est in se, et sine relatione ad effectum, *neg. ant. Neg. cons.* Quo hae distinctiones intelligantur, praemonendum est *prioritatem naturae* illam dici, qua aliquid, etsi simul cum alio existat, tamen eiusmodi est, ut ab ipso alterum quoad existentiam pendeat, atque *prioritate temporis* vocari illam, qua unum alteri antecedit *duratione*, ipsoque nondum existente, existit. Iam, si prioritas naturae spectetur, indubium est omnem causam esse *natura* semper priorem suo effectu , quia omnis effectus a sua causa necessario pendet; atsi prioritas temporis consideretur, causa secundum diversos respectus vel prior, vel posterior effectu esse potest [1]. Etenim id, quod aliquid efficit, si consideretur sub ratione causae, certe non potest esse prius, quam effectus, quia antequam aliquid effecerit, causa dici nequit [2]; sed si spectetur in se, nempe sine ulla relatione ad effectum, interdum simul cum effectu existit, interdum ipsi praecedit, quippe quod, ut iam ex D. Thoma observavimus [3], causa, quae effectum *successive* producit, effectui *tempore* praecedit, ut pater filium; sed causa, quae *subito* actionem suam exerit, simul cum effectu existit, e. g., sol cum luce [4]. Quae cum ita sint, liquet omnino commentitiam esse illam repugnantiam, quam Aenesidemus in notione causae delitescere autumavit [5].

291. Obiicit 2°: Notio causae est ex iis, quae ad aliud referuntur, quia causa necessario refertur ad effectum. At relata mente quidem concipiuntur, sed re ipsa non existunt. Ergo causae notio est *subiectiva*.

292. Resp. *Conc. mai.*; *dist. min.*: si sermo sit de iis, quae *logice* tantum sunt relata, *conc. min.*, si de iis, quae realem involvunt relationem , *neg. min. Neg. cons.* Et sane relationes reales , eo ipso, quod sunt reales, *obiectivae* sunt [6]. Atqui relatio inter causam, et effectum ad genus relationum realium spectat [7], tum quod eius extrema non solum sunt realia, quia causa actione sua existentiam effectui

---

1) Hic de causa efficiente loquimur. Quod vero attinet ad alia causarum genera, causa *materialis* naturaliter non est *tempore* prior suo effectu, nequit enim materia carere omni forma. Item causa *formalis* re ipsa non est *tempore* prior suo effectu, nempe composito, sed utrumque simul incipit. Denique causa *finalis*, uti iam explicavimus (p. 153), est prior suo effectu *in intentione*.

2) Hinc illud Aristotelis effatum: « Habet autem se res hoc modo, quod consequantur inter se mutuo causa, et id cuius, et id cui causa est »; *In lib. II Anal. Poster.*, c. 14, § 9, ed. Didot. Cf s.Thom., *In lib. II Post. Anal.*, lect. XVIII.

3) P. 149-150.

4) Apposite s. Thomas: « Non repugnat intellectui, ut ponatur causa producens effectum suum subito non praecedere duratione effectum suum; repugnaret autem in causis producentibus per motum, quia oportet, quod principium motus praecedat finem eius »; *Opusc.* XXVII, *De aeternitate mundi*.

5) Cf Op. cit., *I principali sistemi* ibid., § VII, p. 86, et 87.

6) Pag. 155.

7) Pag. 156.

largitur, sed etiam a se invicem distincta, quia nihil causa sui ipsius esse potest; tum quod reale est fundamentum, ex quo ipsa relatio exurgit, quia in causa aliquid agnoscendum est, ex quo actio exoritur, et vicissim in effectu aliquid, quo actionem causae patitur [1]. Notio igitur causae non est *subiectiva*, sed *obiectiva*.

293. Obiic. 1° Humius: Experientia factorum naturalium successionem nobis patefacit, non vero connexionem. Ergo alterum alterius esse causam colligere nobis non licet.

294. Resp. *Neg. antec.* Enimvero experientia saepe nobis patefacit eorum, quae in sensus nostros incurrunt, unum ab altero produci, proindeque unum ab altero pendere. E. g., ipsa nos edocet sensationes in anima a corporibus, sensum doloris ex suscepto vulnere, exstinctionem famis et sitis ex sumptione cibi et potus, combustionem ligni ex eius proiectione in ignem effici. Certe in his, aliisque huiusmodi non simplicem successionem, sed actionem unius in aliud, ideoque, ut Scholae aiunt, dependentiam unius ab altero, a quo producitur, experimur. « Quod iste effectus, aiebat Scotus, evenit a tali causa producente, ut in pluribus, hoc acceptum est per experientiam [2] ». Perperam Humius contendit nos ex praeiudicata nostra opinione dependentiam inter res statuere, quia ipsas nonnisi sibi invicem succedere cognoscimus. Nam, quisquis se ipsum parumper expendit, luculenter advertit se inter nonnulla facta, quae sibi succedunt, vinculum dependentiae, seu connexionis agnoscere, non quia hanc opinionem animo imbibitam ante omnem experientiam habet, sed quia unum in alterum activitatem suam exercere cognoscit. Ita nos ignem esse causam fumi dicimus; at non dicimus diem esse causam noctis, aut unam tempestatem esse causam alterius. Quandoquidem autem experientia *necessitatem cohaerentiae* non commonstrat [3], cognitionem huius dependentiae inter nonnulla facta intellectus perficit, illius pronuntiati ope, quod idem Doctor Subtilis ad hanc rem commemoravit, « quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causae [4] ».

295. Obiic. 2° Humius: Anima non est activitatis suae conscia. Atqui conceptus causae sine conceptu activitatis existere nequit. Ergo notio causae in conscientia, hoc est, in interna experientia fundamentum non habet.

296. Resp. *Neg. mai. Prob. mai.* Nos arbitramur motiones in corpore nostro ab anima produci, dum re ipsa ab ea non producuntur.

---

[1]) Qua ratione relatio inter creaturas, et Deum dicenda sit realis, explicavimus in *Logic.*, p. I, c. I, art. 4, p. 61 vol. I. Cf etiam *I principali sistemi* etc., loc. cit., p. 90-96.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, Schol.

[3]) Id ex Alberto M. adnotavimus in *Criteriol.*, c. I, art. 3, vol. I, p. 570, not. 1.

[4]) *Ibid.* Cf vol. I, *ibid.*, p. 576-79.

Atqui, si anima nostra esset conscia activitatis suae certe nos non arbitraremur nos esse activos, dum re ipsa activi non sumus. Ergo anima etc.

297. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Nos alibi ostendimus futiles esse rationes, ob quas Humius animam esse non posse causam motivam sui corporis contendit [1]. Ceterum cognitionem activitatis animae nobis suppeditant non solum motiones, quas ipsa in corpore efficit, sed etiam, ut iam diximus [2], actiones, quas ipsa in se elicit. Quod iam observaverat Scotus, ubi ait : « Et sicut est certitudo *de vigilare*, sicut de per se noto ; ita etiam de multis aliis actibus, qui sunt in potestate nostra, ut *de me intelligere*, et *de me audire*, et sic de aliis, qui sunt actus perfecti [3] ».

ARTICVLVS QVARTVS

Agendi vim rebus creatis non repugnare demonstratur

298. Nonnulli Philosophi, quorum mentio apud Albertum M. [4] et s. Thomam [5] occurrit, autumarunt Deum esse unicam causam agentem, res autem creatas omni activitate destitui, nihilque aliud praestare, quam quod Deo occasionem agendi praebent. Deus, eorum sententia, dum res in quibusdam circumstantiis positas intuetur, secundum leges, quas ad universi conservationem sibi praescripsit, effectus producit, qui ab ipsis rebus produci videntur. Absurda haec sententia, quamvis ab Alberto M., s. Thoma, aliisque omnino explosa fuerit, fautores tamen habuit, vertente media aetate, Nominales, in primis Gabrielem Biel [6]. Ipsam denique in recenti aetate velut e cineribus exsuscitavit Malebranchius [7], cui plausere non pauci Cartesiani, idcirco *Occasionalistae* appellati [8], atque in hac nostra aetate

---

1) *Dynam.*, c. V, art. 2, p. 430, vol. I.

2) Pag. 155.

3) *Op.* et loc. cit., n. 10. Hasce Humii cavillationes uberius, subtiliusque confutavimus in nostr. op. *I principali sistemi* etc., c. I, § IX, p. 108-135.

4) *Phys.*, lib. II, tract. II, c. 3.

5) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 7; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69, et I, q. CV, a. 5 c. Quosdam Arabes, qui Motecallemin vocabantur, hanc sententiam propugnasse saec. XIII discimus ex Mose Maimonide, *Guide des égarés*, publ. par Munck, t. I, p. 391-393, Paris 1856.

6) *In lib. IV Sent.*, Dist. I, q. I, dub. 3.

7) *De inquir. ver.*, lib. VI, pars II, c. 3, t. II, p. 38 sqq, et *Traitè de la nat. e de la grace*, Eclairc. 1, n. 3, ed. cit.

8) Petrus Bayle obganniit ne occasionales quidem causas in mundo inveniri (*Repliq. aux Provincial.*, c. 141, *Oeuvr.*, t. III, p. 771, ed. cit., de quo cf Leibnitium, *Theodic.*, part. 3, § 386, p. 615, et 616). Sed huius perabsurdae opinionis examen in praesentia omittimus, quia Bayleus ipsam a falsa conservationis explicandae ratione derivavit, de qua in *Theodic.* agemus.

Cauchyus [1], ab. Debreyneus [2], Buchezius [3], aliique propugnarunt.

299. Quandoquidem occasionalismus ex ea parte, quatenus ad Ontologiam attinet, refutare ad rem praesentem spectat, illud tantum hic demonstrandum nobis est, nihil prohibere, quominus res creatae vi agendi polleant. Utrum autem, necne rebus, quibus haec universitas rerum conflatur, vis quaedam actuosa insit, in *Cosmologia* investigabimus.

300. Vim agendi rebus creatis haud convenire nulla ratio suadet, sive considerentur ipsae res, in quibus illa concipitur, sive Deus, qui illam cum ipsis communicare debet. Non certe, si ipsae res considerentur. Nam vis, quae a Causa Prima pendet, limitibusque definitur, et pro diversa creaturarum indole diversa est, naturae rerum non modo non adversatur, sed etiam omnino convenit. Atqui huiusmodi est vis effectrix, quam nos creaturis adversus Melebranchistas vindicamus. Non enim nobis volumus huiusmodi vim rebus creatis convenire, ut ipsae quidquam ex nihilo efficere valeant; sed solum contendimus res creatas posse a Deo eiusmodi vi ornari, ut, ipso Deo ad illarum actiones concurrente, aliquid ex praeexistente materia efficiant. Ergo vim effectricem rebus creatis inesse, si res ipsae considerentur, absurdum non est. Nec, si consideretur Deus, qui vim agendi cum rebus creatis communicat. Etenim, quemadmodum s. Thomas argumentatus est [4], sicut Deus potest *communicare aliis similitudinem suam quantum ad esse, in quantum res in esse produxit*, ita potest communicare eis *similitudinem suam quantum ad agere, ut etiam res creatae habeant proprias actiones.*

301. Plura alia hic praeterimus. Nam, cum ostendemus vim actuosam rebus creatis reapse inesse, non sententiam, quam nos tuemur, sed sententiam Occasionalistarum tum naturis rerum creatarum, tum naturae Dei adversari manifestum fiet.

302. Obiic. 1° Deus est causa perfectissima. Atqui notio causae perfectissimae expostulat, ut nullae aliae causae, praeter ipsam, sint. Ergo, praeter Deum, aliae causae admitti non possunt.

303. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Enimvero nos tuemur alias causas, praeter Deum, admitti posse « non ex insufficientia, ut s. Thomas ait, Divinae virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causae essent [5] ». Iamvero, quemadmodum esse Deum perfectissimum non impedit, quominus plurima alia imperfecta exi-

---

[1]) Cauchy, *Comptes-rendus de l'Acad. des sciences*, t. XXI, p. 134-143, an. 1845.

[2]) Debreyne, *Théorie biblique de la cosmogonie, et de la géologie*, Paris 1848.

[3]) Buchez, *Introd. à l'étude des sciences médicales*, lec. 11, p. 67 sqq, Paris 1838.

[4]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69.

[5]) *Op. cit.*, ibid., c. 70.

stant, cuiusmodi sunt contingentia, et finita; ita infinita perfectio Causae Primae non vetat alias causas admittere, quae per virtutem a Causa Prima acceptam agant, ab Eaque in operationibus suis pendeant. Quin etiam, sicut perfectio divina non esset infinita dicenda, si Deus non posset aliis extra se rebus existentiam largiri; ita ne infinita quidem ipsa dicenda esset, si Deus cum rebus a se creatis vim agendi communicare non posset.

304. Obiic. 2° Eumdem effectum a Deo, et a creaturis produci repugnat. Atqui omnia, quae in mundo fiunt, Deus operatur. Ergo creaturas quidquam operari repugnat.

305. Resp. *Dist. ant.*: si effectus partim a Deo, partim a creaturis produceretur, *conc.mai.*; si totus a Deo, et totus a creaturis, *subdist. mai.*: si Deus, et creaturae essent duae causae effectrices eiusdem ordinis, *conc. mai.*; si diversi ordinis, *neg. mai. Dist.* etiam *min.* Deus operatur ut causa prima, *conc. min.*; ut causa unica, *neg. min. Neg. cons.* Indubium quidem est Deum operari omnia, quae in mundo fiunt; sed advertendum est Eum omnia operari *ad modum primi agentis*, quin excludat *operationem secundorum agentium* [1]. Nam notio Causae Primae causas secundas non excludit, immo expostulat, quia necesse est, ut, dum ipsa a nemine pendet, istae ex ea pendeant, eaque concurrente operentur. Iam unam, eamdemque actionem Deo simul, et creaturis attribuere non repugnat, si hoc illa, quam s. Thomas tradit, ratione intelligatur. Etenim 1° si Deo operationes creaturarum tribuuntur, unius Dei est operatio, qua creaturas ad agendum movet. « In operatione, s. Thomas ait, qua Deus operatur, movendo naturam, non operatur natura; sed ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis Divinae [2] ». 2° Idem effectus Deo, et creaturis non attribuitur, « quasi, ut idem Doctor advertit, partim a Deo, et partim a naturali agente fiat; sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus [3] ». Qua de re effectus a Deo, et a creaturis procedit, non tamquam *a duobus agentibus unius ordinis*, sed *a primo, et secundo agente* [4]. Iam, « sicut non est inconveniens, quod una actio producatur ex aliquo agente, et eius virtute; ita non est inconveniens quod producatur idem effectus ab inferiori agente, et a Deo, ab utroque immediate, licet alio, et alio modo [5] ».

306. Inst. Quoniam Deus omnia, quae in mundo fiunt, operatur, Ipse profecto aliquid frustra moliretur, si vim agendi cum rebus a se creatis frustra communicaret. Atqui repugnat Sapientiam divinam a-

---

1) I, q. CV, a. 5 ad 1.
2) *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 7 ad 3.
3) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 70.
4) I, q. et a. citt. ad 2.
5) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 70.

liquid frustra moliri. Ergo repugnat Deum cum rebus a se creatis vim agendi communicare.

307. Resp. *Neg. mai.* Prob. *mai.* Si quotquot in mundo fiunt, Deus dumtaxat operaretur, iidem effectus in mundo existerent. Ergo, si Deus omnia, quae in mundo fiunt, operaretur, vim agendi cum creaturis frustra communicaret.

308. Resp. *Dist. antec.*: iidem effectus existerent, si considerentur ipsi effectus, prout sunt aliquid reale, *conc. antec.*; sin modus, quo effectus producuntur, *neg. antec.*; *neg. conseq.* Si Deus dumtaxat operaretur omnia, quae in mundo fiunt, procul dubio iidem effectus in mundo conspicerentur, ac si res creatae quoque cum Deo illos producerent. At vero, si effectus essent iidem, prout entia sunt, non foret idem illos producendi modus. Namque aliud est effectum produci a solo Deo, aliud vero produci simul a Deo, et a causis creatis; siquidem hoc tum novo argumento est res creatas a Deo pendere, tum ipsius Dei sapientiam, bonitatemque magis commendat, qui « etiam dignitatem causandi aliis conferre voluit [1] ».

ARTICVLVS QVINTVS

De causae efficientis diversis speciebus

309. Causa efficiens varias in species dividi solet, quarum praecipuas hoc articulo complectemur [2].

Causa effectrix interdum non potest effectum producere, nisi quodam instrumento iuvetur. Ita anima non potest lapidem movere, nisi manu, neque artifex opus artis efficere, nisi instrumento ad illud requisito utatur. Causa igitur iure dividitur in *principalem*, et *instrumentalem*. Harum prima est, quae effectum ex propria virtute, altera autem, quae effectum ex virtute principalis producit. E. g., artifex est causa principalis operis artificiosi, atque instrumenta, quibus ad opus efficiendum utitur, sunt causa instrumentalis.

310. Iam instrumentum, quo nomine causa instrumentalis designari solet, potest esse 1° vel *coniunctum*, vel *separatum*, prout vel est coniunctum cum agente principali, e. g., manus cum eo, qui manum adhibet, vel est ab eo seiunctum, e. g., baculus ab homine, qui baculo utitur [3]. S. Thomas scite monuit instrumentum separatum per coniunctum moveri, quia coniunctum est medium inter causam effectricem, et instrumentum seiunctum [4]; et quoniam seiunctum move-

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. 1, q. 1, a. 4 ad 1.

[2]) In his causae efficientis speciebus recensendis pro concesso sumimus illud, quod in *Cosmolog.* ostendemus, res creatas a Deo vi agendi instructas esse, easque diversos effectus producere.

[3]) Cf s. Thom., III, q. LXII, a. 5 c.

[4]) *Ibid.*, loc. cit.

tur ab agente per coniunctum, hoc, quo validius est, eo maiorem vim illi tribuere [1]. Ita baculus movetur per manum, et quo validior est manus, eo maiori vi baculum movet.

2° Potest esse non solum *inanimatum*, nempe animae expers, sed etiam *animatum*. Nam, cum Deus non solum vim actuosam rebus creatis largiatur, eamque in ipsis conservet, sed etiam illam ad ipsarum actiones applicet [2], potest sane hominibus uti, tamquam instrumentis, ad aliquid perficiendum. S. Thomas observavit [3] instrumentum animatum, eo quod ad effectum producendum non solum ab alio agitur, sed ipsum quoque se ex vi sibi insita agit, habitu ad aliquid agendum indigere; sed habitu opus non esse instrumento inanimato, quia hoc dumtaxat ab alio agitur [4].

3° Potest esse *naturale* vel *supernaturale*, prout ad aliquid naturale, vel supernaturale agendum adhibetur. Quin haec species instrumenti supernaturalis existat, nemo dubitare potest. Nam, quoniam Deus, uti alias videbimus, res creatas ad aliquid supernaturale efficiendum, tamquam instrumenta, interdum adhibet, effectus, qui per illos producuntur, vires naturae creatae praetergrediuntur; alioquin res creatae illos producerent ex virtute propria, atque idcirco forent illorum causae principales [5].

311. Si naturam instrumenti parumper expenderimus, manifestum nobis fiet causam instrumentalem effectum suum producere non ex virtute sua, sed ex virtute, quam a causa principali accipit, alioquin a causa principali minime distingueretur. Quod quidem pronum est intelligere, siquidem « effectus, uti s. Thomas animadvertit, non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis [6] », unde merito existimatur « effectus proprius principalis agentis [7] ». At vero ex eodem Aquinate observandum est instrumentum non posse virtutem excipere a principali agente ad eius effectum producendum, nisi quidquam in se habeat, per quod illum effectum producere potest. Nam,

---

1) III., q. LXIV, a. 4 c.

2) Cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 7 c.

3) 1^{a} 2^{ae}, q. LXVIII, a. 3 ad 2, et III, q. VII, a. 1 ad 3.

4) Hasce diversas species causarum, quas existere posse ratio nobis suadet, Theologia catholica in re sacramentaria existere nobis commonstrat. Ab ipsa enim docemur gratiae, quae per Sacramenta confertur, Deum esse causam principalem, Humanitatem I. Christi esse causam instrumentalem coniunctam Divinitati, Ministrum causam seiunctam animatam, atque ipsa Sacramenta causas seiunctas inanimatas. Cf s. Thom., III, q. LXII, a. 5 c.; *ibid.*, q. LXIV, a. 8 c.

5) S. Thomas causas creatas, tum quoque, cum effectus sibi naturales producunt, *instrumentales* Dei aliquando appellavit (*Contr. Gent.*, lib. II, c. 21, et lib. III, c. 100). Ast hoc, ut ex ipsis eius verbis perspicitur, intelligendum non est, quasi illae propria agendi virtute destituantur, sed quod hanc virtutem a Deo acceperunt.

6) III, q. LXII, a. 1 c.

7) I, q. XLV, a. 5 c.

si res aliter se haberet, neque instrumentum causae principali ad aliquid agendum adiumento esse posset, neque ad certos effectus producendos certis instrumentis opus foret, sed quodlibet instrumentum ad quemlibet effectum producendum causae principali inservire posset [1]. Quocirca « instrumentum, ait idem sanctus Doctor, habet duas actiones : unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed virtute principalis agentis ; aliam autem habet actionem propriam, quae competit sibi secundum propriam formam ; sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis ; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum [2] ».

312. Praeterea experientia compertum nobis est interdum ad aliquid agendum vires plurium causarum expostulari. Iamvero hae causae vel sunt *eiusdem ordinis*, puta omnes principales, ut plures baiuli, qui unicum pondus asportant; aut omnes instrumentales, ut plura arma, quibus aedificium construitur; vel sunt *diversi ordinis*, puta aedificii is, qui sumtus ad aedificandum suppeditat, est causa moralis, architectus est causa principalis, fabri, causae instrumentales animatae, denique arma aedificatoria, instrumentales inanimatae.

313. Quoties plures causae ad producendum unicum effectum aliquid conferunt, alterutrum evenire potest, scilicet ut vel omnes *immediate* effectum attingant, vel una immediate, et reliquae *mediate*. Si primum, omnes sunt causae *proximae* ; sin alterum, una est proxima, et reliquae *remotae*.

314. Circa has causarum species haec adnotanda sunt.

1° Quemdam ordinem existere oportet inter plures causas, quae unicum effectum producunt. Et sane, cum cuiuslibet actionis aliquis proprius terminus sit, liquet plures actiones non posse unicum terminum habere, hoc est, unicum effectum producere, nisi ipsae in unicam actionem concurrant. Atqui haud possibile est ex pluribus unum effici, nisi quidam ordo inter ea existat. Necesse igitur est, ut inter plures causas, quae ad unici effectus productionem aliquid agunt, quidam ordo existat.

2° Tres sunt modi, quibus plures causae ad unicum effectum producendum aliquid conferre possunt. Hos modos Doctor Subtilis exposuit hisce luculentis verbis : « Distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eumdem effectum. Quaedam enim ex aequo concurrunt, sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quaedam vero non ex aequo, sed habentes ordinem essentialem, et hoc dupliciter: vel sic, quod superior moveat inferiorem, ita quod inferior non agat, nisi moveatur a superiore, et tunc inferior habet a superiore virtu-

---

[1]) *Ibid.*, loc. cit.

[2]) III, q. LXII, a. 1 ad 2.

tem illam, qua movet; quandoque autem superior non movet inferiorem, nec dat ei virtutem qua movet, sed superior de se habet virtutem perfectiorem agendi, et inferior habet virtutem imperfectiorem agendi, nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorem a superiori, quae est perfectioris virtutis [1] ».

3° Exinde perspicitur tum plures causas proximas eiusdem ordinis ad effectum producendum requiri, cum ipsae incompletae sunt [2], quia, si completae essent, iam aliarum consortium excluderent. Ita plures ad navim trahendam expostulantur, « quia nullus eorum est perfectus motor, cum virtus uniuscuiusque sit insufficiens ad movendum, sed omnes simul sunt loco unius motoris, in quantum omnes virtutes aggregantur ad unum motum faciendum [3] ».

4° Natura effectus ex conditione causae proximae, non vero remotae pendet, quia a causa proxima effectus immediate promanat [4]. E. g., « licet, s. Thomas ait, causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem; sicut germinatio plantae est contingens, propter causam proximam contingentem, licet motus solis, qui est causa prima, sit necessarius [5] ».

315. Insuper causa, cum illum producit effectum, ad quem naturaliter comparata est, *per se*, sive *propria* appellatur. At vero solet causae tribui etiam illud, quod ipsi causae, vel eius effectui accidit. Si hoc modo causa consideretur, ipsa *per accidens* dicitur. Puta, ut exemplis s. Thomae utamur, si artifex, qui effícit domum, est albus, aliquid albi causa illius domus *per accidens* dicitur, atque si effodiendi terram thesaurus occurrerit, effossio terrae est causa *per accidens* inventionis thesauri, quia accidit in effodienda terra, ut thesaurus inveniretur [6].

316. Iam causa *per accidens* eiusmodi esse potest, ut vel nihil ad productionem effectus agat, sicut in allato exemplo « album dicitur esse causa domus per accidens [7] », vel aliquid agat. Si quid agat, esse potest causa *per accidens* duplici ex capite. Primo ex eo quod « *praeter* intentionem ille effectus a tali causa sequitur [8] », atque huiusmo-

---

1) *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. VII, n. 21.

2) « Impossibile est, ait s. Thomas, quod duae causae completae sint immediatae unius, et eiusdem rei »; I, q. LII, a. 3 c.

3) *Ibid.* Cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 16 ad 8.

4) « Effectus consequitur conditionem causae suae proximae »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIX, q. II, a. 2 ad 2. « Res, alibi ait, non habet speciem, neque denominatur a causis primis, sed a causis proximis »; *Op. cit.*, lib. III, Dist. XLIII, q. 1, a. 1 ad 2.

5) I, q. XIV, a. 13 ad 1.

6) Cf I, q. CXVI, a. 1 c., et *In lib. V Met.*, lect. V.

7) *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 6 ad 6.

8) *Ibid.*

di « causa per accidens est casus, vel fortuna, sicut fodiens sepulcrum ad sepeliendum, invenit thesaurum praeter intentionem [1] ». Secundo, ex eo quod est « removens prohibens, sicut qui extinguit candelam, vel exportat ex domo, dicitur causare tenebras [2] », quia actione sua id removet, a quo tenebrae dispelluntur.

317. Quae de causa *per accidens* diximus, ad causam *sine qua non* explicandam nos ducunt. Causa *sine qua non*, monente s. Thoma, quandoque est eiusmodi, ut nihil agat; quandoque eiusmodi, ut aliquid agat ad productionem effectus. Ita admotio ignis ad stupam, *sine qua* ipsa stupa non comburitur, nihil per se confert ad stupae combustionem, *quantum ad rationem causandi*; e contrario, respiratio, *sine qua* animal non vivit, aliquid ad vitam eius servandam per se agit. Iam, si primum fiat, causa *sine qua non* est causa *per accidens*, quippe quod, uti optime a Clemente Alex. adnotatum fuit, « in agendo aliquod, et operando causa intelligitur [3] ». Sin alterum, est vera concausa [4].

318. Denique, si ratio habeatur *similitudinis*, sive *convenientiae* effectus cum forma agentis, distinctio oritur causae in *univocam*, *aequivocam*, et *analogam*. Causa *univoca* illa est, cuius effectus similis est ipsi causae *secundum eamdem rationem specificam*, uti homo est causa univoca hominis, quem generat. *Aequivoca* dicitur illa, quae cum effectu convenit *secundum eamdem rationem genericam*, cuiusmodi est sol respectu eorum, ad quorum productionem ipse concurrit. Denique, si effectus cum causa conveniat tantum *secundum aliquam analogiam*, illa causa *analoga* appellatur [5]. Hinc Deus est causa *agens analogice* [6], propterea quod, cum nullo genere rerum contineatur, creaturae nequeunt esse participes similitudinis divinae secundum eamdem rationem speciei, aut generis, sed solum *secundum aliquam analogiam*. Enimvero creaturae, quippe quae sunt entia,

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XLVI, q. I, a. 2 ad 3. Hic advertere e re est fieri posse, et interdum re ipsa fieri, ut quidquam, si ad causas inferiores referatur, sit fortuitum, sin ad aliquam causam ipsis superiorem, necessarium. « Sicut, subdit s. Thomas, si duo servi alicuius domini mittantur ab eo ad eumdem locum, uno de altero ignorante, concursus duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, casualis est, quia accidit praeter utriusque intentionem; si autem referatur ad dominum, qui hoc praeordinavit, non est casuale, sed per se intentum » (I, q. CXVI, a. 1 c.). Ex quo facile demonstratur nihil fortuiti in hac rerum universitate evenire, quippe quod « ea, quae hic per accidens aguntur, sive in rebus naturalibus, sive in humanis, reducuntur in aliquam causam praeordinantem, quae est Providentia Divina »; *ibid.* Cf s. Aug., *Qq. LXXXIII*, q. 24; *De Civ. Dei*, lib. V, c. 1.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. 1, a. 1 ad 2.

[3]) *Strom.* lib. VIII, c. 9.

[4]) *In lib. IV Sent.*, Dist. I, q. 1, a. 4 *sol.* 1 c., *In lib. V Met.*, lect. VI.

[5]) I, q. IV, a. 3 c., et q. CV, a. 1 ad 1.

[6]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 2 *sol.*

quamdam imperfectam similitudinem [1] cum Deo, ut primo, et uni versali principio totius *esse* [2], prae se ferunt.

319. Porro, quoniam effectus causae univocae est eiusdem speciei, sive naturae, ac causa, liquet, quidquid est in illo, in hac secundum eamdem rationem, seu, ut Scholae aiunt, *formaliter* inveniri. Causa autem *aequivoca*, utpote quae effectus specie diversos producit, perfectiones, quae in eis sunt, secundum eamdem rationem complecti non potest, alioquin, cum perfectiones in rebus diversae speciei sint, ipsa ex perfectionibus secum pugnantibus constaret. Quamobrem necesse est, ut illas praestantiori ratione, seu *eminenter* habeat [3].

320. Ex his etiam intelligitur causas aequivocas praecellere suis effectibus, propterea quod illae plures effectus specie diversos producere valent [4], et omnes speciales perfectiones, quae in his singulis sunt, virtute sua *eminenter* complectuntur. Causae autem univocae, quippe quae nonnisi effectus suae speciei consentaneos edere valent [5], effectibus suis *essentia* praecellere nequeunt, alioquin aequivocae, non univocae forent. Nihilominus, quoniam omnes effectus a causis suis naturaliter pendent, nemo non videt causas univocas ex eo, quod virtute activa producendi suos effectus pollent, esse his praestantiores. Quare s. Augustinus sapienter scripsit : « Omne, quod fit, ei, a quo fit, par esse non potest [6] »; itemque: « Omne efficiens maius est, quam id, quod efficitur [7] ».

1) « Similitudo creaturae ad Deum est imperfecta, quia etiam nec idem secundum genus repraesentant »; I, q. XIII, a. 5 ad 2.

2) I, q. IV, a. 3 c. Cf *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. II, a. 11. De similitudine *vestigii* qua creaturae Trinitatem repraesentant, legesis eumdem sanctum Doctorem, I, q. XLV, a. 7 c., et *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. II, a. 3 *sol.*

3) Paucis s. Thomas: « Quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva, vel secundum eamdem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agens aequivocum »; I, q. IV, a. 2 c.

4) « Agens non univocum est causa universalis totius speciei » ; I, q. XIII, a. 5 ad 1.

5) « Agens univocum non est causa agens universalis totius speciei, alioquin esset causa suipsius, cum sub specie contineatur, sed est causa particularis respectu huius individui, quod in participatione speciei constituit »; *Ibid.*

6) *Qq. LXXXIII*, q. 2.

7) *Ibid.*, q. 28.

CAPVT SEXTVM

De septima categoria

ARTICVLVS PRIMVS

Notiones loci, *et* ubi *declarantur*

321. Omnem corpoream substantiam quodam loco contineri, et circumscribi manifestum cuique est. Iam, si hunc modum essendi, quo substantia in loco est, abstracte concipiamus, notionem illius accidentis nobis conficimus, quod, ut secundum Scholasticos loquamur, substantiae adiacet, et nomine *ubi* designatur. Quandoquidem autem « locus, ut B. Albertus M. inquit, est a quo, sicut a causa, fit ipsum *ubi* [1] », notionem *ubi* exponere volentibus notio loci in antecessum declaranda nobis est.

322. Locus ab Aristotele definitur : *Eius, quod continet, terminus immobilis primus* [2]. Ut haec definitio plane intelligatur, opus nobis est singulas eius partes explicare. 1° Illis verbis, *Eius, quod continet, terminus*, significatur locum consistere in termino eius, quod continet, hoc est, in superficie corporis, quae aliud corpus ambit, et circumscribit, ita ut aequalem cum huius superficie proportionem partium, sive mensuram habeat [3]. 2° Vox *primus* significat locum proprie esse illam superficiem, quae corpori contigua est, ipsumque immediate continet ; unde nos non dicimus hominem in toto aere existere, sed solum in ea parte, qua circumscribitur. 3° Superficies, quae corpus immediate ambit, etsi secundum se moveri possit, rationem tamen loci non habet, nisi tamquam *immobilis* concipiatur. Etenim, cum locus per motum acquiratur, vel deseratur, opus nobis est illum cogitare, prout adquiritur, tamquam terminum *ad quem*, et prout deseritur, tamquam terminum *a quo*; id autem expostulat, ut locus sit aliquid fixum [4].

---

1) *Logic., De sex principiis*, tract. IV, c. 2.

2) *Nat. Auscult.*, lib. IV, c. 4, § 12, ed. Didot.

3) Advertere e re est superficiem esse subiectum, quod necessario ad locum concipiendum requiritur, sed non esse genus loci; nam locus non est species quantitatis continuae, quemadmodum est superficies, sed, ut s. Thomas inquit (*In lib. V Met.*, lect. XV), « est extrinsece mensurans, et quantum per accidens ».

4) Cf Ioan. a s. Thom., *Op. cit.*, pars II, q. XVI, art. 1, p. 471. Praestat ad huius rei maiorem perspicuitatem haec pauca s. Thomae verba exscribere: « Quando illud, secundum quod aliquid mutari dicitur, est extrinsecum, tunc in illa mutatione non mutatur, sed immobile perseverat; sicut locus non dicitur moveri, quando aliquid secundum locum movetur. Unde et *in IV Physic.* dicitur, quod locus est immutabilis terminus continentis, eo quod per localem motum non dicitur esse successio

323. Porro accidens, quod substantiae corporeae, quippe quae a loco circumscribitur, advenit, vocatur *ubi*; quapropter *ubi* a S. Alberto M. definitur: « Circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens [1] ». Ex qua notione *ubi* nullo negotio perspicitur *ubi* esse accidens, quod ad substantiam spectat 1° *per comparationem ad extrinsecum continens* [2], nempe ex eo, quod substantia refertur ad aliud corpus, quo continetur; 2° mediis quantitatibus dimensivis, propterea quod sine his intelligi non posset, quomodo substantia a loco circumscribatur [3].

324. Quoniam hoc *ubi* categoricum, quod descripsimus, significat aliquid esse in loco *per modum proprium loci* [4], ideo ipsum vocatur *ubi circumscriptivum*, quia id, quod est in loco *per modum proprium loci*, proportionem ad locum habet [5], proindeque a loco, in quo est, circumscribitur [6]. At vero ratio existendi in loco potest quoque intelligi, prout « dicitur aliquid esse in aliis rebus quocumque modo [7] ». Hac ex causa *ubi circumscriptivum*, quod nonnisi corporum proprium est [8], ab *ubi definitivo* distinguitur. Namque *ubi* definitivum substantiis spiritualibus creatis [9] attribuitur, atque harum praesentiam ad res corporeas vel *per operationem*, uti fit in Angelis [10], vel per *informationem*, uti fit in anima rationali [11], significat. Huiusmodi *ubi*

---

locorum in uno locato, sed magis successio locatorum in uno loco »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 6 c.

1) *De sex principiis*, tract. V, c. 1. Idem B. Doctor discrimen inter *locum*, et *ubi* exponit tum ibidem (tract. IV, c. 2, tum in lib. *De Praedicam.* (tract. VI, c. 2), in quo ait: « Ubi non est locus, sed in loco aliqualiter esse ». Praeclare s. Bonaventura ait: « Idem ultimum comparatum ad corpus ambiens est superficies; comparatum ad corpus ambitum est locus »; *In lib. II Sent.*, Dist. II, p. I, a. 1, q. 1 *resol.*

2) III, q. LXXVI, a. 5 ad 3.

3) « Substantia locati ordinatur ad locum, mediantibus quantitatibus dimensivis propriis, et inde est quod oportet dimensiones locati commensurari dimensionibus loci continentis »; *Quod lib.* VII, a. 8 c.

4) I, q. VIII, a. 2 c.

5) *In lib. V Met.*, lect. IX.

6) Luculentam notionem *ubi circumscriptivi* s. Bonaventura exposuit his paucis: « Dicendum, quod illud dicitur esse dimensive alicubi, quod ita est in illo, quod totum in toto, et pars in parte secundum commensurationem »; *In lib. IV Sent.*, Dist. X, p. I, a. 1, q. 4 *resol.*

7) I, *ibid.*

8) « Quid, inquit s. Augustinus, potest contineri loco, nisi corpus? » *Serm.* L, *De diversis*, c. 9.

9) Hic non loquimur de praesentia Dei omnibus locis, quia illa, ut in *Theodicea* explicabitur, est ipsa substantia Dei, et non est *ubi*, sed *ubique*.

10) « Angelus est in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. III, a. 1 *sol.* Ea, quae Theologi de loco Angelorum docent, breviter exposuit Gonet, *Op. cit.*, tit. II, tract. VII, c. V, § III, p. 254 sqq.

11) De ratione, qua anima est in corpore, dicemus in *Anthropologia*.

vocatur *definitivum*, quia praesentia spiritualium creaturarum, cum a virtute finita oriatur, ad certum locum ita cogitur, ut ultra illum porrigi nequeat[1]. Appellatur quoque *simplex*, quia substantiae incorporee non sunt in loco, *totalitate quantitatis*, sed *totalitate essentiae*, ita ut haec *non commensuretur totalitati loci* [2]. Ex quo efficitur, ut ipsae non sint in loco, *tamquam in continente*, sed potius locum, in quo sunt, *contineant* [3].

325. Circa has notiones duae subdifficiles quaestiones existunt, quarum una est, utrum duo corpora in eodem loco esse possint; altera autem, utrum repugnet unum corpus in pluribus locis esse. Quandoquidem prima quaestio in *Cosmologia* tractanda nobis erit, nonnihil de altera hic delibemus oportet.

326. In confesso est apud omnes unum corpus naturaliter in pluribus locis existere non posse, quippe quod, cum corpus limitibus circumscribatur, unum dumtaxat locum naturaliter expostulat. Quapropter quaestio in eo versatur, utrum idem corpus in pluribus locis *circumscriptive* esse intrinsecus repugnet, adeo ut id ne virtute quidem Divina fieri possit.

327. Nobis probatur sententia s. Thomae, nempe « quod corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum [4] ». Enimvero aliquod corpus eo ipso, quod est in loco *circumscriptive*, « comprehenditur a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum ». Atqui « quod comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil eius est extra locum illum ». Ergo « ponere quod aliquod corpus sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul [5] ».

328. Ad maiorem huius rei intelligentiam praestat hoc alterum argumentum addere: Corpus nonnisi ratione quantitatis locum occupare potest [6]. Atqui repugnat unam quantitatem plura loco replere. Ergo fieri nullo modo potest, ut unum corpus in pluribus locis sit. Assumptio satis perspicua est. Etenim, quoniam quantitas ex essentia sua nequit esse *una*, nisi sit continua, et indivisa, impossibile est quantitatem a se divisam esse unam. Iam, si quantitas in duobus locis poneretur, divisa esset, quia inter eius superficies aliquod me-

---

1) Ineffabilis ille modus, quod I. Christus in Venerabili Eucharistiae Sacramento est, ab *ubi* tum *circumscriptivo*, tum *definitivo* differt (cf s. Thom., III, q. LXXVI, a. 5), atque speciali nomine *ubi sacramentalis* designatur.

2) I, q. VIII, a. 2 ad 3.

3) *Ibid.*, a. 1 ad 2, et q. LII, a. 1 c.

4) *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, *sol.* 3 ad 4. Cf Alb. M., *De sex principiis*, tract. V, c. 1; s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, p. 2, a. 4, q. 1 *ad arg.*; Henr. Gand., *Quodlib.* IX, q. 32, et Durand., *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. 1.

5) *Quodlib.* III, a. 2 c.

6) Cf p. 169.

dium interiaceret. Puta, si una quantitas hic, et Romae existeret, inter superficiem, quae hic esset, et superficiem, quae esset Romae, ingens intercederet distantia; unde illa quantitas a se divisa censenda esset [1].

ARTICVLVS SECVNDVS

Philosophorum opiniones de natura spatii discutiuntur

329. Ut notio *loci* magis, magisque explanetur, inquirendum nobis est 1° quid sit illud, quod nomine *spatii* designatur; 2° quanam via intellectus notionem spatii sibi conficiat; 3° utrum notio spatii sit subiectiva, an obiectiva. A prima quaestione initium ducamus.

330. Ex motu corporum secundum locum, qui ab Aristotele [2] *latio*, atque a Scholasticis *vectio* etiam dictus est, quemdam rudem conceptum *spatii*, uti ipse Aristoteles advertit [3], nobis conficimus. Nam quemadmodum, aiente s. Thoma [4], cum rerum corporearum alias in alias transmutari videamus, quamdam communem materiam animo concipimus, quae omnium transmutationum subiectum est; ita ex eo, quod res corporeas secundum locum ferri, et quem locum una deserit, alteram occupare conspicimus, quoddam excogitamus rece-

---

[1]) Advertendum est tum ex eo quod Corpus l. Christi est simul in Coelo, et in Sacramento Eucharistiae, tum ex eo quod in Sacramento Eucharistiae est simul in pluribus locis, non posse quidquam extundi contra sententiam, quam tuiti sumus; quia praesentia *Sacramentalis* Corporis Christi in Eucharistia est diversi generis, ac *quantitativa*, quam in Coelo habet. Et sane Corpus l. Christi in Coelo est *divisibiliter*, seu *extensive*, et in Sacramento Eucharistiae est *indivisibiliter*, seu *inextensive*; unde non repugnat illud esse simul in Coelo, et in pluribus altaribus (cf s. Thom., III, q. LXXVI, a. 5 c., et ad 1; et Ioan. a s.Thom., *Op. cit.*, p. II, q. XVI, a. 4, p. 477 sqq). Argumenta, quibus Scotus (*In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. II), eiusque discipuli opinionem s. Thomae, aliorumque unum corpus ne per miraculum quidem posse circumscriptive esse in pluribus locis asserentium impugnarunt, legere licet apud Boyvin, qui ea dilucidé exposuit, et defendit (*Op. cit.*, *Phys.*, pars I, disp. III, c. 3, q. 3, t. II, p. 294 sqq), et apud Goudin, qui ea confutavit (*Op. cit.*, *Phys.*, pars I, Disp. III, q. 4, a. 2, concl. 2, t. II, p. 399 sqq, Neapoli 1724). Quod attinet ad apparitiones Sanctorum in pluribus locis, Scotistae, qui tuentur unum corpus posse absoluta potentia Dei esse circumscriptive in pluribus locis, Sanctos multiplicatione localis praesentiae in pluribus locis apparuisse censent. Contra ea, Thomistae, aliique existimant illas apparitiones evenisse vel « ministerio Angelorum, qui in assumpto corpore illos Sanctos repraesentabant, eorumque nomine res gerebant » (vid. Goudin, *ibid.*, p. 403), vel productione novi corporis sive ex nihilo, sive ex alia materia (vid. Galitium, *Op. cit.*, pars I, lib. V, tract. IV, q. IX, p. 316). Sed de hac re uberius Theologi.

[2]) *Natur. auscult.*, lib. IV, c. I, § I.

[3]) *Ibid.*, c. 5, § 3.

[4]) *In lib. IV Physic.*, lect. I. Cf B. Alb. M., *Physic.*, lib. IV, tract. I, c. 1, et Scot., *Quodlib.* XI.

ptaculum, in quo corpora sibi succedunt. Hoc receptaculum illud est, quod vulgus nomine *spatii* intelligit.

331. Ut Philosophorum opiniones de natura spatii probe cognoscantur, praemonendum est spatium ab aliis Philosophis concipi veluti aliquid, quod intra ipsa latera corporis est, ab aliis autem veluti aliquid, quod extra corpora est; unde spatium in *internum*, ac *externum* dividi solet. Internum vocatur illud, quod cum ipso corpore locato extenditur, ac penetratur, atque *externum* dicitur illud, quod corpus locatum extrinsecus ambit [1]. Iamvero e Philosophis alii tuentur non aliud spatium, quam *externum*, esse admittendum, atque hi sunt, qui spatium esse vacuum, hoc est, aliquid a corporibus distinctum, omnisque corporis expers putant; alii autem pugnant non dari aliud spatium, quam *internum*, iique sunt, qui arbitrantur spatium esse *plenum*, nempe aliquid, quod vel ab ipsis corporibus, vel ab aliqua relatione, quae inter ipsa existit, efficitur.

332. Opinionem spatii vacui inter veteres post Democritum, et Leucippum Epicurus vehementer defendit, quippe qui putavit nihil aliud esse in natura rerum praeter *inane*, seu vacuum, et *corpora*, quae in eo moventur [2]. E contrario, opinio spatii pleni placuit Platoni, et Aristoteli; nam Plato spatium a materia haud discriminavit [3], atque Aristoteles docuit spatium esse superficiem ultimi coeli immobilis, quia haec cuncta corpora continet, ideoque spatium vasi immobili esse simile dixit [4]. Inter recentes Gassendus, qui philosophiam Epicuri restituere pro viribus conatus est, notionem vacui declarare volens, dixit spatium esse ens aeternum, indipendens, non productum, quod non est nec substantia, nec accidens, sed quidquam incorporeum *sui generis*, nempe incorporeum, quod dimensiones longitudinis, latitudinis, et profunditatis habet, sed a dimensionibus corporeis longe diversas [5]. At Cartesius vacuum non solum non esse, sed ne esse quidem, aut concipi posse docuit, atque ad hanc sententiam tuendam ex eo adductus est, quod essentiam corporis in extensione consistere, et spatium nonnisi veluti quoddam extensum intelligi posse putavit. Et sane, si haec duo pronuntiata admittantur, spatium aut nihil, aut corpus esse dicendum est [6].

---

1) Cons. Boyvin, *Phys.*, pars I, Disp. III, c. 3, q. 2, *Op. cit.*, t. II, p. 290.

2) Lucret., *De nat. rerum*, lib. I, vv. 420 sqq.

3) *Tim.*, t. III, p. 40, ed. H. S. De Philosophis, qui Platoni praecesserunt, Plutarchus scripsit: « A Talete ad Platonem usque Philosophi naturam scrutantes, vacuum esse negaverunt »; *De placit. phil.*, lib. I, c. 18.

4) *Nat. auscult.*, lib. IV, c. 4, § 1.

5) *Phys.*, lib. II, sect. 2, c. 1.

6) *Princip. de la phil.*, part. II, § 9-12, *Oeuvr. phil.*, ed. Garn., t. I, p. 280-282. Cf quae de hac re cum Henr. Moro disputavit, *Epist.* XXV-XXX, t. III, p. 298 sqq, ed. cit.

333. Sed omnium celeberrima de hac re quaestio est, quae inter Clarkium, et Leibnitium agitata fuit, quorum ille Henr. Mori, Newtoni, aliorumque Anglorum sententiam tuebatur, hic vero oppugnabat. Newtonus post Morum [1] docuit spatium non aliud esse, nisi ipsam immensitatem Dei, quia Deus ex eo quod existit ubique, spatium constituit, eoque usque progressus est, ut spatium *sensorium Dei* nuncuparet [2]. Leibnitius [3], dum contra Clarkium [4] pugnavit, sententiam *pleni* secundum monadologiae suae placita defendit. Quae huc redit: Spatium in *coexistentia rerum materialium* positum est, et quoniam res materiales, seu corpora, sunt quaedam *aggregationes monadum*, seu simplicium, monades, seu simplicia, sunt initium spatii, atque ordo, qui inter simplicia coexistentia est, *phaenomenum*, seu apparentiam spatii efficit. Per Kantium [5] huius controversiae facies quodammodo immutata est; at, quandoquidem huius, et nuperorum Transcendentalium opiniones spatium verbo asserunt, re autem tollunt, has in praesentia omittimus. Ne de aliis multis dicamus, inter nostrates Galluppius [6], et Giobertius [7], etsi pleraque principia monadologiae respuerent; tamen in natura spatii declaranda ad Leibnitium proxime accesserunt.

334. Hasce diversas de natura spatii opiniones ad examen revocantes, primo statuimus spatium *externum*, quod *vacuum* vocant, quocumque modo exponatur, reiiciendum esse. Enimvero vacuum, si secundum Epicurum intelligatur, est purum, putumque nihil. Namque quidquid est, aliquid vel incorporeum, vel corporeum sit oportet. Atqui Epicurus spatium admittere non potuit veluti incorporeum, quia quidquam incorporei esse negat; neque uti corporeum, quia corpus ab *inani*, seu vacuo omnino distinguit [8]. Vacuum igitur, quod Epicurus defendit, nonnisi *nihil* est. Apposite s. Augustinus: « Inanitas non est aliquid, sed locus, ubi corpus non est, inanis dicitur [9] ».

---

1) *Enchir. metaph.*, pars I, Londini 1671.

2) *Principia mathematica philosophiae natur.*, Schol. gener., et *Optic.*, q. XXVIII, ed. cit.

3) De hac eius theoria alias.

4) *Replique aux reflexions de M.r Bayle*, p. 189, ed. Erdm., et *Recueil de divers écrits* etc. passim, et praesertim *Cinquiéme écrit*, p. 768.

5) *Critique* etc., part. I, sect. I, § 1-197, ed. cit.

6) *Lezz.* etc., lez. 118, t. III, p. 211 sqq, ed. cit.

7) *Introd.*, lib. I, c. 5, t. II, p. 150, ed. cit.

8) Omnis ut est igitur, per se Natura duabus
Consistit rebus, quae corpora sunt, et inane; lib. I, p. 420, et 421.

9) *De Gen. contr. Manich.*, lib. I, c. 4. His s. Augustini verbis respondere videtur illa, quam communiter Peripatetici admittunt, vacui distinctio in *mere negativum*, nempe quod est prorsus inane, et *privativum*, nempe quod secundum Aristotelem (*Nat. Auscult.*, lib. IV, c. 8), si non est locus repletus, eiusmodi est, ut repleri queat. De vacuo privativo s. Thomas hoc statuit: « Ad rationem vacui non sufficit in quo nihil est, sed requiritur quod sit spatium capax corporis, in quo non sit

Praeterea spatium ab Epicuro intelligitur veluti receptaculum, quod corpora continet. Atqui vacuum corpora continere non potest, quia vacuum est omnis extensionis expers ; corpora vero , cum extensa sint, nonnisi a receptaculo, quod extensum est, contineri possunt. Vacuum igitur nequit esse spatium.

335. His, aliisque difficultatibus ut obviam iret Gassendus, vacuum, quemadmodum vidimus, esse aliquid incorporeum *sui generis* dixit. Ast eius doctrina de natura spatii cum ex hoc capite, tum ex aliis, quae ante innuimus, adeo absurda est, ut viro docto, et pio in mentem venisse pene incredibile sit. Et primo, valde absurdum est aliquid existere, quod nec ad substantiam, nec ad accidens reduci potest ; quia, cum substantia, et accidens dividant ens per affirmationem, et negationem [1], nihil medii inter utrumque esse, aut excogitari potest. Secundo, illud incorporeum *sui generis,* quod Gassendus commentus est, notionem denotat, quae se ipsam destruit. Namque omnino repugnat aliquid esse simul extensum, ac inextensum. Atqui quidquid est incorporeum , est inextensum , et quidquid est longum, latum, ac profundum, est extensum. Ergo repugnat vacuum esse illud incorporeum *sui generis*, quod Gassendus excogitavit, nempe incorporeum, quod trinas dimensiones habet. Tertio, si spatium esset aeternum, non productum, atque independens, *ens a se ipso* foret. Sed nonnisi Deus, uti alibi ostendemus, est ens a se ipso. Ergo, si vacuum illud esset, quod Gassendus voluit, ipsum veluti alter Deus habendum foret.

336. Absurdior gassendiana est opinio de natura vacui, quam post Morum Newtonus, aliique propugnarunt. Nam, si spatium, quod vacuum esse volunt, esset attributum Dei, Deus ex partibus conflaretur. Cuius ratio est, quod vacuum, si non est nihil, certe extensum est, alioquin corpora, quae extensa sunt, continere non posset ; extensum autem esse non potest, nisi id, quod partibus conflatur. Atqui Deo, utpote qui omnino simplex est, non solum partium, sed cuiuslibet etiam generis compositio repugnat. Ergo repugnat spatium esse attributum Dei. Ceteris huius perabsurdae opinionis vitiis omissis [2], illud addendum nobis esse censemus, quod Leibnitius contra Clarkium observavit , opinionem Newtoni esse pantheismo stoico valde adfinem. Nam, cum quodlibet attributum Dei sit ipsamet Essentia Dei, consequitur, si spatium est attributum Dei, Essentiam Dei esse quoddam corporum receptaculum; et si addatur cum eo-

---

corpus » (I, q. XLVI, a. 1 ad 4), et cum eo s. Bonaventura: « Vacuitas loci est per privationem corporis contenti »; *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. 11, q. 3 *ad arg.* Cf Scot., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. XVI, n. 11.

[1]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. creat.*, a. 11 c.

[2]) Haec passim Leibnitius adnotavit in suis *Respp.* ad Clarkium (vid. *Lettres entre Leibniz et Clarke*, inter *Opp.* Leibn. p. 746-788), et ad compendium redegit in *Resp.* V, seu *Cinquième écrit*, § 33-46, p. 767, et 768.

dem Newtono spatium esse *sensorium Dei*, mundum esse *Divinum animal*, atque hoc animal, uti Stoicis [1], et Bruno [2] placuit, esse Deum [3].

337. At, si a doctrina vacui, quocumque modo exponatur, longe abhorremus, ne omnes quidem opiniones eorum, qui spatium esse plenum rati sunt, nobis probantur. Atque in primis opinionem Cartesii reiicimus, qui Platonem secutus spatium a corporibus non distinxit, sed ipsa corpora spatium constituere dixit. Nam spatium nec corpus, nec pars corporis esse potest. Et sane, spatium non est aliud, nec aliter esse intelligi potest, quam id, quod corpora continet. Sed repugnat id, quod corpora continet, cum eo, quod continetur, idem esse. Ergo spatium esse idem cum corporibus repugnat. Ratio autem, quam Cartesius adduxit, futilis est, quia extensio, ut suo loco ostendemus, essentiam corporis haud constituit.

338. Nec Leibnitio assentimur, qui spatium non esse aliud, nisi coexistentiam rerum corporearum contendit. Enimvero nos non possumus intelligere duo corpora *coexistere*, nisi ea in diversis punctis spatii existere simul intelligamus. Quod evincitur hoc brevi argumento: Corpora, quae coexistunt, procul dubio ab se invicem distant [4]. Atqui corpora distare dicuntur, quae diversa spatii puncta occupant. Ergo intelligi non potest plura corpora coexistere, nisi ea in diversis punctis spatii existere simul intelligamus. Quocirca coexistentia corporum spatium non efficit, sed expostulat [5]. Nos non latet Leibnitianos posse se ab hac difficultate expedire, eo quod Leibnitius spatium non esse aliquid reale, sed solum *phaenomenicum*, seu *apparens* docuit. Ast hoc effugium causam eorum deteriorem efficit, quia, si res ita est, Leibnitius, cum spatium ex coexistentia corporum constitui dixit, spatium prorsus sustulit; tantum abest, ut eius naturam explicaverit.

339. His duabus, ut caeteras, brevitatis gratia, omittamus, opinionibus spatii pleni explosis, in sententiam, quam s. Thomas, aliique Scholastici explicuérunt, et defenderunt, lubenter concedimus. Itaque opinamur spatium, si non est vacuum, ne corpus quidem esse, sed tantum *dimensiones corporis continentis relatas ad corpus contentum*, vel dimensiones, quibus corpus intra se clauditur. Quam opi-

---

1) Laert., lib. VII, segm. 189; Plut., *De Placit. Phil.*, lib. I, c. 7; Cic., *De Nat. Deor.*, lib. II, c. 11.

2) *De l'Infinito, Universo, e Mondi*, p. 49, Venetiis 1594.

3) Vid. Leibniz, *Lettres* etc., *Cinquième écrit*, § 42, et 43, p. 767, et 768. Hinc inter nuperos Bouillierius (*Théorie de la raison impersonelle*, c. 5, p. 83 sqq, Paris 1844), sibi constitit, quod sententiam Newtoni, quam amplexatus est, e pantheismi placitis derivavit.

4) Apposite s. Thomas: « Distantia primo invenitur in loco »; *Qq. dispp.*, *De Pot.* q. X, a. 1 c.

5) Cf Carol. Bernard., *Diction. phil.*, art. *Espace*, t. II, p. 272, ed. cit.

spatio reali perperam confundunt. Spatium imaginarium dicitur capacitas illa recipiendorum corporum, quam extra mundi limites existere, et in qua mundum creatum esse concipimus. Ast hoc spatium non est aliquid reale, sed phantasma omni realitate destitutum, quod imaginatio sibi confingit. Nam, quoniam nos intelligimus numerum corporum possibilium esse infinitum, sive, ut Scholae aiunt, indefinitum, intelligimus quoque infinitum fore spatium reale, si illa corpora possibilia ad existentiam reducerentur, atque hinc conceptum spatii possibilis infiniti nobis conficimus. Cum vero possibilitas rerum, ut suo loco dicemus, sit aeterna, atque immutabilis, ideo spatium infinitum aeternum, et immutabile etiam intelligimus. Iamvero imaginatio, quae conceptus mentis nostrae concomitatur, eosque forma concreta, et sensibili induit, conceptui spatii possibilis formam concretam, et sensibilem adiungit, phantasmaque spatii vacui infiniti, aeterni, ac immutabilis efformat. Sed phantasma, quod nomine *spatii imaginarii* designatur, est purum, putumque nihil, quia ipsum non ex aliqua realitate efficitur, sed in mera possibilitate fundatur [1]. Iure, meritoque igitur s. Augustinus post quosdam veteres [2] scripsit « inanes esse cogitationes hominum, quibus infinita imaginantur loca, cum nullus locus sit praeter mundum [3] », et spatium imaginarium *spatiosum nihil* vocavit [4].

ARTICVLVS TERTIVS

De origine, et vi notionis spatii

346. Postquam novimus, quid sit spatium, facile cognoscere possumus, quomodo eius notio in intellectu efficiatur, et quaenam eius vis sit.

Principio manifestum est notionem spatii, ope abstractionis, ab intellectu fieri. Enimvero, quemadmodum ex dictis colligitur, intellectus notionem spatii sibi conficit hoc modo. Ipse animadvertit corpora, quae sunt in mundo, ita esse inter sese colligata, ut unum altero contineatur, atque unum corpus altero contineri ex eo, quod dimensiones huius illud complectuntur, et ambiunt; deinde intelligit dimensiones corporis continentis seiunctas a ceteris, quae in ipso corpore sunt, et relatas ad corpus contentum. Atqui intellectus hoc non alia, quam qua pollet, vi abstrahendi intelligere pot-

---

[1]) Hunc modum, quo phantasma spatii vacui infiniti in nobis efficitur, breviter, sed dilucide declaravit cl. P. Liberatore, in *Op. cit.*, loc. cit.

[2]) Vid. Stob., *Ecl. Phys.*, c. 22, p. 38, ed. Canterus, Aureliae Allobrogum 1609.

[3]) *De Civit. Dei*, lib. XI, c. 5.

[4]) *Confess.*, lib. VII, c. I, n. 1.

est. Ergo manifestum est notionem spatii, ope abstractionis, fieri, eamque idcirco inter notiones adnumerandam esse, quae *abstractae* vocantur.

347. Iamvero hanc notionem abstractam spatii nonnisi veluti *indefinitam*, et *necessariam* ab intellectu intelligi posse manifestum quoque est. Indefinitam, quia, si intellectus trinas dimensiones corporis continentis ab omnibus iis, quae in ipso sunt, seiunctas considerat, illas sine ullo limite considerare debet; alioquin non spatium universe spectatum, sed aliquod spatium singulare, et concretum cognosceret. Necessariam autem, quia, cum intelligat omnium corporum, quae in mundo sunt, unum altero necessario contineri, atque ex eo contineri, quod a dimensionibus eius ambitur, et veluti circumscribitur, simul intelligit nullum corpus in mundo posse existere, nisi dimensionibus alterius corporis contineatur, hoc est, nisi in aliquo spatio sit. At monitos iuvenes volumus nos hic infinitum pro *indefinito*, sive *indeterminato*, et necessarium *hypothetice*, non vero *absolute* accipere. Namque intellectus spatium intelligit tamquam infinitum non ex eo, quod ipsum nullos limites habere intelligit, sed ex eo, quod nullos limites ei assignare potest; et tamquam necessarium non ex eo quod intelligit absolute necesse esse, ut spatium existat, sed ex eo, quod intelligit, si corpora existunt, necesse esse, ut spatium quoque existat.

348. Quoniam notio spatii ab intellectu, ope abstractionis, adquiritur, procul dubio decepti sunt Cartesius, Newtonus, Leibnitius, aliique, qui, uti ea, quae ante diximus, luculenter commonstrant, senserunt mentem nostram ad notionem spatii pervenire ope demonstrationis *a priori*, quam quisque illorum ex principiis sui systematis propriis facile concinnavit. At, si intellectus, ope solius abstractionis quam super corpora sensibus obvia exercet, notionem spatii sibi conficit, necesse non est confugere ad demonstrationem *a priori*, ut eius origo explicetur. Immo hanc demonstrationem *a priori* esse periculi plenam historia locuples testis est; omnes enim, qui illam adhibuerunt, vel absurdas, quemadmodum vidimus, de natura spatii opiniones tuiti sunt, vel eius realitatem, uti ex dicendis patescet, statuere haud potuerunt.

349. Decepti quoque sunt Condillachus [1], aliique Sensistae, qui, secundum Hobbesii [2], et Dalembertii [3] placita, originem notionis spatii a sensatione tactili derivarunt [4]. Etenim notio abstracta spatii tri-

---

1) *Traitè des sensat.*, part. II, c. 7, § 24, ed. cit.

2) *Elementa phil.*, pars II, c. 7, § 2, ed. cit.

3) *Elemens de phil.*, § 15, et 16, ed. cit.

4) Ipsi arbitrantur mentem humanam, statim ac sentit aliquod corpus, quod tactui resistit, adquirere conceptum extensionis realis, proindeque conceptum spatii *empirici*, quod in extensione positum esse volunt, eamdemque mentem ex eo, quod

nionem probari posse putamus hac brevi argumentatione: Nos observamus omnia corpora, quibus adspectabilis universitas rerum conflatur, ita composita inter se esse, ut alio aliis contineantur. Iam, cum, hoc ita sit, facile intelligimus 1° illud corpus, quod aliud continet, esse ipsius receptaculum, quia hoc suis dimensionibus complectitur, et veluti circumscribit; 2° illud corpus, quod nullo alio corpore continetur, esse receptaculum suipsius, quatenus intra quantitatis suae dimensiones concluditur, et veluti constringitur. Inde notionem spatii adquirimus. Nam spatium illud esse intelligimus, quod corpora in se recipit. Atqui receptaculum cuiuslibet corporis, quemadmodum experientia constat, sunt dimensiones alterius corporis, a quo continetur [1], atque, si corpus sit, quod nullo alio corpore continetur, e. g., si corpus aliquid poneretur esse extra totum universum, eius receptaculum non aliud esse intelligimus, quam sui ipsius dimensiones. Ergo spatium in dimensionibus corporis continentis relatis ad corpus contentum consistit. Idem ex eo comprobari potest, quod nos, cum spatium metiri volumus, distantias metimur, quae intercedunt inter superficies unius corporis, et superficies alterius, quo illud continetur; aut, si de corpore agatur, quod nullo alio continetur, inter extremas partes superficierum illius.

340. Ex quibus omnibus perspicitur: 1° spatium non esse aliquid separatum a corporibus, quia ipsum, si consideratur *obiective*, hoc est, prout in rebus est, in ipsis dimensionibus corporum consistit, sive hae sint dimensiones unius corporis aliud ambientis, sive sint dimensiones eiusdem corporis, prout ad substantiam, quam afficiunt, relatae considerantur [2]; 2° ad spatium efficiendum *coexistentiam corporum* quidem expostulari, sed spatium ab ipsa, ut Leibnitius voluit, non effici, quia res materiales non efficiunt spatium ex eo quod *coexistunt*, sed ex eo quod dimensiones unius corporis ad aliud corpus, quod ambiunt, relatae considerantur.

341. Restat, ut duo argumenta, quibus defensores *vacui* utuntur, expendamus; cuncta enim persequi ratio operis non sinit.

1° Obiic. Si nullum esset vacuum, haud possibile foret ullum corpus moveri, quin cuncta corpora, ex quibus mundus constat, simul moverentur. Atqui consequens, ipsis osoribus vacui fatentibus, est falsum. Ergo falsum est etiam antecedens, nempe nullum esse vacuum.

342. Resp. *Neg. antec.* Prob. *antec.* Si non esset ullum vacuum in mundo, sed omnia plena corporibus, haud possibile foret ullum corpus moveri, quin alterum ei contiguum moveretur. Atqui, si res ita

---

1) Hinc colligitur, si spatium hac ratione accipiatur, non differre a *loco*, quem paulo ante definivimus.

2) Cf s. Thom., *In lib. IV Met.*, lect. VI, atque inter nuperos p. Liberatore, *Inst. phil. ad triennium, Ontol.*, c. 2, art. 7, prop. 8, p. 360, ed. 2.

se habet, necesse est, ut, moto uno corpore, cetera omnia moveantur, quia ex sententia eorum, qui spatium plenum admittunt, cuilibet corpori aliud corpus contiguum est. Ergo etc.

343. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Et sane, etsi omnium corporum unum alteri sit contiguum, inde tamen confici nequit non posse ullum corpus moveri, nisi omnia simul moveantur. Id, ut s. Thomas advertit, perspicere licet primo ex rarefactione, et condensatione corporum; nam, si corpora rarefieri, et condensari queunt, nemo non videt posse aliqua corum moveri, quin reliqua moveantur: secundo ex motu corporum per fluidum, quia, quoties corpus in fluido movetur, non oportet totum fluidum moveri, sed satis est partes anteriores fluidi, quod corpus ambit, ad latera refluere, ut locum a corpore relictum occupent. Id luculento exemplo s.Thomas declaravit. « Si enim, scribit, proiiciatur lapis in ali quam magnam latitudinem aquae, manifeste apparet fieri quasdam circulationes circa locum percussionis, quousque pars aquae depulsae commoveat aliam, et subintret ipsam. Unde quia modica pars aquae subintrat per quamdam diffusionem in maiorem aquam circulationis praedictae, a parvo in minus procedunt, quousque totaliter deficiant [1] ».

344. Obiic. Gassendistae: Si non existeret spatium vacuum infinitum, aeternum, necessarium, ac proinde independens, haud possibile foret explicare, quomodo Deus hunc mundum adspectabilem creare potuisset; quia, quum mundus aspectabilis sit quoddam corporum systema, aliquod spatium occupare debuit. Atqui necesse est illud admittere, sine quo creatio mundi non fuisset possibilis. Ergo spatium vacuum infinitum admittendum est.

345. Resp. *Neg. mai.* Nam, si nobis detur spatium positum esse in dimensionibus corporis continentis relatis ad corpus contentum; nihil nos cogit portentum illud spatii vacui, quod Gassendus finxit, admittere, ut creatio mundi hac ex parte haud impossibilis esse dicatur. Nam, si spatium in dimensionibus corporis eo modo, quem diximus, consideratis positum est, liquet spatium a Deo cum ipso mundo creatum fuisse; tantum abest, ut ipsum ante creationem mundi existeret [2]. Gassendistae spatium, quod Scholae *imaginarium* vocant, cum

---

1) *In lib. IV Physic.*, lect. X.

2) Apposite Tertullianus: « Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia » (*Adv. Praxeam*, c. 5); et Minutius Felix: « Qui ante mundum ipse sibi fuerat pro mundo » (*Octav.*, c. 18); cf s. August. (*In Ps. CXXII*, n. 4, et *De Civit. Dei*, lib. XXII, c. 2). Quam rem dilucide exposuit s. Thomas hoc modo: « Dicendum, quod ante creationem mundi non fuit vacuum, sicut neque post; vacuum enim non est tantum negatio, sed privatio; unde ad positionem vacui oportet ponere locum, vel dimensiones separatas, sicut ponentes vacuum dicebant, quorum nullum ponimus ante mundum »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. 1, a. 5 ad 4.

nas dimensiones corporum a reliquis omnibus, quibus corpora singularia constituuntur, et determinantur, seiunctas exhibet. Atqui sensus corpora singularia cum omnibus qualitatibus, per quas determinantur, apprehendunt. Ergo origo notionis spatii a sensatione tactili, quemadmodum Sensistis placuit, repetenda non est.

350. Praeterea, si notio spatii est indefinita, et hypothetice necessaria, non vero infinita, et absolute necessaria, consequitur a vero etiam aberasse tum Ontologos, qui cum Malebranchio [1], et Giobertio [2] pertendunt mentem nostram conceptum spatii ab intuitione Dei haurire; tum Eclecticos, qui ipsam a ratione *impersonali* nobis suggeri secundum Cousinum [3] obganniunt. Etenim, missis ceteris vitiis, quibus *intuitioncm* ab Ontologis admissam, et *rationem impersonalem* Eclecticorum laborare alibi demonstravimus, eorum opinio de origine notionis spatii futili fundamento nititur; siquidem Ontologi ad *intuitum* Dei, atque Eclectici ad *rationem impersonalem* in origine spatii assignanda confugiunt, non alio rationis momento permoti, quam quod notionem spatii esse absolute infinitam, et necessariam perperam existimant.

351. Falsus denique est Kantius, qui spatium esse *visionem a priori* sensibilitatis externae docuit [4]. Enimvero ipse hanc opinionem tuitus est, quia notionem spatii cuilibet experientiae praecedere oportere iudicavit, atque hocce iudicium ex eo elicuit, quod, cum quodlibet corpus in aliquo spatio apprehendamus, haud possibile est nos aliquod corpus percipere, quin notionem spatii praeformatam animo habeamus. Ast haec argumentatio Kantii absurda est. Nam ex eo, quod nos non possumus percipere aliquod corpus, nisi in aliquo spatio, minime inferendum est nos non posse ullum corpus appre-

---

iudicat nihil omnino existere extra corpora solida, quae tactui resistunt, conceptum spatii *puri* sibi conficere.

[1]) Malebranchius (*De inquir. verit.*, Illust. ad lib. II, *Resp.* ad Ob. 3, vol. II, p. 283 sqq, necnon *Resp.* ad *Domin. Regis*, ibid. p. 168 sqq) sensit spatium esse ipsam *extensioncm intelligibilem*, unde mens nostra ex eo, quod extensionem intelligibilem in Deo intuetur, notionem spatii adquirit.

[2]) Giobertius (*Introd.* etc., part. I, lib. I, c. 5, vol. II, p. 150; cf *Protol.*, Sagg. III, t. I, § II, p. 501-511, ed. cit.) docuit mentem humanam, quoniam actum creationis divinae intuetur, simul intueri et ideam spatii, quae est in *Ente*, seu in Intellectu divino, et ipsum spatium., prout est in *existente*, quod est terminus creationis, ita ut ipsa ex intuitu Dei mundum creantis tum conceptum spatii possibilis, tum cognitionem spatii realis hauriat.

[3]) Hic censuit notionem spatii, etsi ante experientiam in nobis non exurgat, ab ipsa tamen haud pendere, quia, cum sit necessaria, et immutabilis, omnem experientiam transgreditur, sed esse in nobis *a priori*, ex eo quod ratio *impersonalis* ipsam nobis suggerit. Vid. *Cours d'hist. de la phil. mod.*, *Hist. de la phil. au XVIII siècle*, leç. XVII, ser. 2e, t. III, p. 113 sqq, et *Cours d'histoire de la phil mor. au XVIII siècle*, leç VIII, ser. 1`, t. V, p. 303 sqq, Paris 1846, et 1847.

[4]) Cf vol. I, *Idealog.*, c. I, art. 3, p. 465 sqq.

hendere, nisi notio spatii animo iam praeformata nobis sit. Sane aliud est apprehendere aliquod corpus in spatio, aliud vero cognoscere, quod aliquod corpus in spatio apprehendimus. Illud est opus sensuum, quippe quod, quoniam quodlibet corpus trinis dimensionibus alterius corporis continetur, sensus quodcumque corpus percipiunt, in spatio percipere debent. Alterum vero est opus intellectus, quia cum intellectus intelligat omnium corporum, quae in mundo sunt, unum dimensionibus alterius contineri, atque hanc ob causam quodlibet corpus esse in spatio, ipse, dum sensus apprehendunt corpora, quae sunt in spatio, ea in spatio esse intelligit. Ex quo perspicitur nos corpora posse percipere, quin notionem, seu cognitionem intelligibilem spatii habeamus, et reapse corpora percipere, antequam illam notionem habeamus, quia notio spatii perceptione corporis posterior est. Iam, disiecto fundamento, cui opinio Kantii de origine notionis spatii innititur, ipsa opinio mole sua corruat necesse est [1].

352. Quod ad vim notionis spatii spectat, ipsa secundum Scholasticos explicari posse nobis videtur hac brevi, et luculenta ratione. Notio spatii, si in intellectu, qui eius subiectum est, consideretur, procul dubio est subiectiva, et logica. Cuius ratio est, quod spatium in intellectu aliter, ac extra ipsum existit, quia dimensiones corporis, quod aliud corpus ambit, in rerum natura sunt cum substantia, aliisque corporis qualitatibus coniunctae, proindeque determinatae ; in intellectu autem ab his omnibus seiunctae, proindeque nullo certo limite circumscriptae. Verum, si notio spatii ad corpora, ex quibus intellectus illam sibi efformavit, relata spectetur, ipsa procul dubio obiectiva, et realis est, quippe quod corpora in natura rerum, uti vidimus, reapse ita inter se disposita sunt, ut dimensiones unius alterum complectantur [2]. Nisi quod advertendum est non esse, quemadmodum non paucis spatii realis defensoribus placuit, aliam realita-

---

[1]) Cf *Ibid.* p. 471.

[2]) Si notio spatii, quam Leibnitius tradidit, penitus expendatur, illam subiectivam esse facile patescet. Enimvero, si Leibnitius nec corpora, quae sunt collectiones monadum, nec monades, ex quibus quodlibet corpus constat, in se invicem quidquam agere statuit, ordo, quo omnia corpora coexistentia inter se colligari dixit, non aliud esse potest, nisi conceptus mentis, qui nullum fundamentum in natura rerum habet, seu conceptus mere logicus. Atqui ipse in hoc ordine corporum spatium positum esse voluit. Notio igitur spatii, quam tradidit, si penitus expendatur, mere subiectiva, sive omnino logica est. Nemini autem dubium esse potest, quin notio spatii, secundum Kantium, sit etiam subiectiva. Kantius enim, quemadmodum dictum est, docuit tantum abesse, ut spatium cognoscatur ope ullius sensus exterioris, ut e contrario ipsum sit *visio pura*, seu forma *a priori* sensibilitatis externae; quare non solum non cognoscitur opè experientiaè externae, sed etiam experientia externa sine intuitione *pura* spatii fieri nequit. Iam quoniam spatium, in quo sensus corpora sentiunt, non esse in rebus, sed in subiecto sentiente putavit, ideo spatium non existere, nisi in subiecto, atque in rebus non aliud esse, nisi *phaenomenum*, seu meram apparentiam decrevit.

tem spatii, aliam vero realitatem ipsorum corporum, quia dimensiones corporis continentis, quae, prout referuntur ad corpus contentum, spatium constituunt, ab ipso corpore continente separatae reapse non sunt.

CAPVT SEPTIMVM

De octava categoria

353. Res corporeas continuis mutationibus, quarum una alteri succedit, obnoxias esse videmus. Iam « esse rerum corruptibilium, quia est transmutabile, mensuratur tempore [1] ». Illud accidens, per quod res corporeae tempori adiacent, et ab eo *mensurantur*, dicitur *quando*. « Quando, inquit s. Thomas, est secundum quod aliquid denominatur a tempore [2] ». Quae cum ita se habeant, tractatio octavae categoriae, quae *quando* vocatur, versari debet circa has duas quaestiones: 1° quaenam sit vera notio *temporis*; 2° quaenam sit eius origo, et vis.

ARTICVLVS PRIMVS

De duratione, eiusque diversis modis

354. Ad notionem temporis probe assequendam opus est nonnihil de *duratione* innuere, quia tempus, ut ex dicendis patebit, quaedam species durationis est.

In omni re, quae mutatur, aliquid esse oportet, quod inter mutationes sibi succedentes in existentia, sive, ut aiunt, in *esse* suo permanet. Enimvero mutari illud dicitur, quod aliter esse incipit, quam antea erat. Atqui hoc intelligi non potest, nisi intelligatur illud, quod uno modo antea erat, esse illud ipsum, quod alio modo esse incipit. Ergo notio mutationis expostulat ut illud, quod mutatur, in suo *esse*, sive in sua existentia permaneat. Iam, si in rebus, quae mutantur, *esse*, quod in ipsis permanet, dumtaxat consideremus, notionem *durationis* adquirimus : quaelibet enim res *durare* dicitur, quatenus in suo *esse* permanet. Apposite s. Thomas: « Duratio omnis attenditur secundum quod aliquid est in actu: tamdiu enim res du-

---

[1]) I, q. X, a. 4 ad 3.

[2]) *In lib. V Met.*, lect. IX. Praestat audire B. Albertum M., qui notionem huius categoriae his perspicuis verbis tradidit: « Quando quidem non tempus significat, sed esse temporis secundum aliquam temporis differentiam, ut heri quidem fuisse, aut cras futurum esse, aut longe a praesenti, aut prope, et a praeterito, similiter olim fuisse, aut iam, aut dudum, et aliquid huiusmodi; hoc enim praedicamentum nullum aliorum significat »; *De praedicam.*, tract. VI, c. 2.

rare dicitur, quamdiu in actu est[1] ». Quod cum ita sit, duratio commode definiri potest: *permanentia rei in suo esse*, seu *continuata existentia rei*.

355. Ex dictis primo intelligitur mentem nostram ab observatione rerum mutabilium ad notionem durationis sibi efformandam adiuvari. Ipsa enim, postquam res, quae mutantur, in suo *esse* manere intellexit, permanentiam rei in suo *esse* ab essentia, aliisque, quae ipsam concomitantur, abstrahit, atque ex eo, quod permanentiam rei in suo *esse* hoc modo considerat, notionem durationis adquirit.

356. Secundo ex dictis definire etiam licet, num duratio a rebus, quae durant, distinguatur. Nam, quoniam duratio, uti vidimus, denotat permanentiam rei, liquet durationem proprie non spectare ad essentiam rei in se consideratam, sed ad *esse* rei, quo essentia in actu est. At, si duratio proprie ad *esse*, sive ad existentiam rei spectat, consequitur durationem non distingui ab *esse* rei, quia *esse* rei, prout manet, durationem constituit; sed certe distingui ab ipsa re, quae durat, quia, uti alibi ostendemus, unus Deus est ipsum suum *esse*. Quare s. Thomas advertit nullam rem, praeter Deum, esse suam durationem, quia nulla res, praeter Deum, est suum *esse*[2].

357. Denique ex dictis etiam cognosci potest, quotuplex sit duratio. Etenim, quamvis intellectus ex permanentia existentiae, quam in rebus corporeis observat, ad conceptum durationis assurgat; tamen *esse*, quod in conceptu durationis includitur, non est *esse* proprium rerum corporearum, aut incorporearum, sed *esse* rerum universe spectatum, quia intellectus ad conceptum durationis, ut diximus, pervenit ex eo quod *esse*, prout in rebus permanet, abstractum ab essentia, aliisque ipsam concomitantibus considerat. Cum hoc ita sit, liquet notionem durationis non coarctari ad modum, quo res corporeae in suo *esse* permanent, sed omnes modos complecti, quibus aliquid in suo *esse* permanere potest. Hinc tot durationes distinguendae sunt, quot sunt modi, quibus aliquid in suo *esse* permanere posse intelligitur. Atqui hi modi tres sunt. Namque *esse* aut est omnino immutabile, cuiusmodi est *esse* Dei; aut est immutabile per se, sed transmutationem adiunctam habet, cuiusmodi sunt animae rationales, quae, dum secundum *esse* suum immutabiles sunt, secundum operationes suas sunt mutabiles; aut est omnino mutabile, cuiusmodi sunt res corporeae[3]. Tres igitur sunt durationes. Quarum prima, quae est unius Dei, vocatur *aeternitas*[4]; altera, quae Angelis[5], et anima-

---

1) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. II, a. 1 *sol.*

2) I, q. X, a. 2 c.

3) Cf s. Thom., I, q. X, a. 5 c., et *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, a. 1 *sol.*

4) Notionem *aeternitatis* in *Theologia naturali* exponemus, quia intelligi non potest, quid sit aeternitas, nisi quid sit Deus, cuius propria est aeternitas, antea explicatum fuerit.

5) « Dicendum, inquit s. Bonaventura, quod aevum est mensura Angelorum, quan-

bus rationalibus [1] convenit, *aevum* [2]; tertia, et postrema, quae est propria rerum corporearum, *tempus*.

ARTICVLVS SECVNDVS

Notio temporis exponitur

358. Sextus Empiricus, veterum opiniones de natura, et notione *temporis* enarrans, inquit: « Iam enim ex dogmaticis philosophis alii tempus dicunt esse corpus, alii incorporeum: et ex iis quidem, qui dicunt esse incorporeum, alii aiunt esse rem, quae per se intelligentia percipitur, alii vero, ut quae alteri accidit [3] ». Ab his autem Aristoteles discessit: is enim docuit tempus esse conceptum, quem intellectus sibi conficit, numerando prius, et posterius in motu corporis [4].

359. Omissis in praesentia Scholasticis, qui, ut mox videbimus, sententiam Stagiritae explicuere, Gassendus, uti spatium, ita tempus esse incorporeum sensit, illudque non aliud esse voluit, quam id, quod intelligitur in praesentia fluere, fluxisse, antequam mundus crearetur, et fore, ut flueret, etiamsi Deus mundum in nihilum re-

---

tum ad esse substantiale, quod est invariabile, et incorruptibile, sed tempus, quantum ad proprietates, quae variantur, et quaedam subito, quaedam successive, sicut patet in Angelis paulatim intendi aliquam affectionem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, p. 2, dub. 3. Cf s. Thom., I, q. X, a. 5 ad 1.

[1]) « Anima, s. Thomas ait, mensuratur tempore, secundum esse, quo unitur corpori, quamvis, prout consideratur ut substantia quaedam spiritualis, mensuretur aevo »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 10 ad 8.

[2]) Ex his perspicitur aevum esse *medium inter aeternitatem, et tempus* Cf s. Thom., I, q. X, a. 5 c.

[3]) *Adv. Math.*, lib. X, segm. 215. Ut eorum nonnullos nominemus. Plato tempus non aliud, quam *motum coeli* esse dixit (cf Plut., *De Placit. phil.*, lib. I, c. 21, et *Qq. Platonicae*, p. 1006, et 1007, ed. Xilander). Aenesidemus ex Heracliti sententia existimavit tempus esse corporeum, quia ipsum non differt *ab ente*, et *primo corpore* (vid. Sext. Emp., *Pyrrh. Hypoth.*, lib. III, c. 17, sect. 138, et *Adv. Math.*, lib. X, sect. 216), quod secundum Heraclitum (Sext. Emp., *Adv. Math.*, lib. cit., sect. 233) est aer. Stoici rati sunt tempus esse aliquid, quod est incorporeum, quodque sola intelligentia percipitur (Sext. Emp., *Adv. Math.*, lib. X, sect. 218, et Laert., lib. VII, segm. 141). Ast Epicurus (Lucret., lib. I, v. 460 sqq. et Sext. Emp., *Op. cit.*, lib. cit., sect. 219, et 224-227) voluit tempus esse quidem aliquid, quod est incorporeum, sed quod sensu, non intelligentia percipitur, atque esse *accidens accidentium*, qui consequitur dies, noctes, horas, metum, quietem, aliaque huiusmodi, quae accidentia et ipsa sunt.

[4]) *Nat. Auscult.*, lib. IV, c. 2.

digeret [1]. Newtonus [2], quem Clarkeus [3], et nuper Bouillierius [4] secuti sunt, quemadmodum spatium est immensitas Dei, ita tempus esse Eius aeternitatem docuit. Leibnitius vero, quoniam spatium in ordine rerum coexistentium posuit, ideo tempus in successione rerum sive possibilium, sive realium consistere dixit [5]. De Kantio, Cousino, aliisque hic tacemus, quia illorum opiniones non tam naturam temporis, quam originem, et vim notionis eius spectant.

360. Nos reliquis opinionibus illam praeferendam esse arbitramur, quam Scholastici post Aristotelem defenderunt, quia haec, si non omnes difficultates liquido solvit [6], certe illos scopulos vitat, in quos reliquae incidunt.

361. Doctrina aristotelica, quam Scholastici ad notionem temporis statuendam exposuere, huc redit: Exploratum nobis est mundum hunc adspectabilem esse continuis mutationibus obnoxium; et quoniam omnes mutationes per motum fiunt, exploratum quoque nobis est mundum adspectabilem in continuo motu versari. Omnem autem motum in spatio fieri intelligimus, quia tum intelligimus corpus moveri, cum ab eo unum punctum spatii deseri, ac alterum occupari intelligimus. Iam, quandoquidem spatium veluti extensum, proindeque ex partibus conflatum intelligimus, idcirco intelligimus corpus non aliter in spatio moveri, quam quod partes, aliam post aliam, occupat, atque ex hac successiva partium spatii occupatione illum, quem dicunt, *fluxum mobilis* constitui. Quod si corpus, dum movetur, partes spatii, unam post aliam, sive, ut aiunt, *successive* occupare intelligimus, consequitur nos posse determinare *prius*, et *posterius* in motu, seu fluxu corporum. Ex hac determinatione prioris, et posterioris in motu corporum *conceptus temporis* in nobis exurgit. Quandoquidem autem, cum prius, ac posterius in motu corporis determinamus, re vera ipsum motum metimur, ideo tempus esse *mensuram motus secundum prius, et posterius* dicendum est [7].

---

1) *Physic.*, sect. I, lib. II, c. 7.

2) *Op. cit.*, ibid.

3) *Lettres entre Leibniz, et Clarke*, 4^e *Replique* de Mr Clarke, § 10, p. 759, ed. Erdm.

4) *Op. cit.*

5) Vid. II, cit. p. 173.

6) *Non omnes*, inquimus; namque, ut a s. Augustino observatum est, dum omnes tempus esse pro certo habent, valde difficile est intelligere, quid sit tempus. « Quid autem, ait, familiarius, et notius in loquendo commemoramus, quam tempus? Et intelligimus utique, cum id loquimur, intelligimus etiam cum, aliquo loquente, id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quaerat, scio; si quaerenti explicare velim, nescio; fidenter tamen dico scire me, quod si nihil praeteriret, non esset praeteritum tempus; et si nihil esset, non esset praesens tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus »; *Confess.*, lib. XI, c. 14, n. 17.

7) Aristoteles (*Op. cit.*, ibid.) non dixit tempus esse mensuram, sed esse numerum motus. Ratio est, quod nos, dum determinamus *prius*, et *posterius* in motu corporis

362. Ut haec definitio *temporis* clarior evadat, advertere iuvat cum Aquinate nostro [1] tempus a nobis intelligi non posse, quin simul quemdam fluxum, seu motum intelligamus, proindeque tempus cum motu ita coniungi, ut tempus, et motum simul cognoscamus. Id exemplo e dormientibus petito idem sanctus Doctor post Aristotelem declaravit; constat enim nos tempus, in quo dormimus, non advertere, quia cum illud *nunc*, in quo a somno corripimur, experrefacti coniungamus cum illo *nunc*, in quo e somno excitamur, nullum, dum dormimus, motum, seu fluxum advertimus [2]. Atqui tempus ex motu, quocum coniungitur, ideo cognoscimus, quod *prius*, et *posterius* in motu determinamus, quia cum determinamus *prius*, et *posterius* in motu, aliquid fluere intelligimus; *prius* vero, et *posterius* in motu distinguere idem est, ac motum metiri. Tempus igitur *mensura motus secundum prius et posterius* recte definitur [3].

---

secundum partes spatii, quod sub eo successive occupari intelligimus, quantitatem motus numeramus, sumendo certam aliquam extensionem temporis, puta *horam*, aut *diem*, veluti unitatem, quae est principium numeri (Cf Boyvin, *Op. cit.*, *Phys.*, pars I, Disp. III, c. 5, q. 3, p. 327, ed. cit.). S. Thomas, post Albertum M. (*De quatuor coaevis*, tract. II, art. 2), monuit numerum, qui est pars definitionis temporis, non esse numerum *numerantem*, sive absolute acceptum, puta *duo*, *tria*, *quatuor*, sed numerum *numeratum*, seu numerum consideratum in rebus numeratis, puta *decem homines*, *aut equos*, quia tempus est numerus prioris, et posterioris non in se, sed prout in motu corporum consideratur. Ex quo patet Gassendum definitionem Aristotelis perperam ex eo reprehendisse, quod numerus est quantitas discreta; siquidem « licet numerus, advertente s. Thoma, sit quantitas discreta, tempus tamen est quantitas continua propter rem numeratam, sicut decem mensurae panni quiddam continuum est, quamvis denarius numerus sit quantitas discreta »; *In lib. IV Physic.*, lect. XVII.

[1]) *In lib. IV Phys.*, lect. XVI; cf Rosselli, *Op. cit.*, 1ª 2ae, q. XII, art. 2, § 479, ed cit.

[2]) Vid. Arist., *Nat. Auscult.*, lib. IV, c. 11, § 1, ed. cit., et s. Thom., in h. l., lect. XVI.

[3]) Cf B. Alb. M., *Physic.*, lib. IV, tract. III, c. 4, et *De quatuor coaevis*, q. III; s. Thom., *In lib. IV Phys.*, lect. XVI; s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. II, pars I, a. I, q. 2 *resol.*, et *ad arg.*; Scot., *In lib. II Sent.* Dist. VI, q. IV. Nonnulli, inter quos Corsinius (*Op. cit. Met.* pars I, c. 5, § VII, t. V, p. 35) recensetur, hanc definitionem aristotelico-scholasticam obscuram esse tradunt, quia facilius intelligimus tempus, quam numerum, seu mensuram motus secundum prius, et posterius. Ast ipsi cognitionem existentiae temporis a cognitione essentiae eius satis non distinguunt. Sane, si tempus imperitis nominemus, ipsi sermonem nostrum intelligunt; sed si eis dixerimus tempus esse mensuram motus secundum prius, et posterius, certe non intelligunt, quid significare velimus. Ast hoc nemini negotium facessere debet, quia, uti ab initio diximus, tempus dari omnibus notissimum est, sed eius naturam nosse difficillimum. Hinc quaecumque definitio temporis concinnetur, vulgo hominum obscurior, quam ipsum tempus, evadat necesse est. Definitio aristotelica temporis iis, qui naturas rerum investigant, si probe expendatur, obscura esse nequit, quia naturam temporis satis explicat. Ceterum ipsa, etsi illa claritate destituatur, quae in defini-

363. Statuta definitione temporis, opus est inquirere, quanam in re tempus proprie consistat. Ad cuius intelligentiam tria mente recolenda nobis sunt. Primum est, quod tempus ex partibus secum copulatis constat. Nam tempus, ut ex dictis facile perspicitur, est aliquod continuum, quia motus, cuius ipsum est mensura, perpetuus est [1]; atqui omne continuum ex partibus secum copulatis componitur; tempus igitur ex partibus secum copulatis constat. Alterum est, quod partes temporis ita secum copulantur, ut una alteri succedat. Etenim tempus, cum sit mensura motus, est continuum successivum; partes autem continui successivi ita inter se copulantur, ut una alteri succedat. Tertium est, quod in tempore, praeter partes, *instans*, seu *nunc* admittendum est. Et sane partes, ex quibus continuum constat, non possunt aliter inter se copulari, quam per sua extrema; atque haec, utpote extrema extensorum, ac divisibilium, sunt inextensa, atque indivisibilia. Hinc in tempore, praeter partes, quarum una alteri succedit, aliquod indivisibile esse intelligitur, quo ipsae partes inter se copulantur. Huiusmodi indivisibile est id, quod vocatur *nunc*, sive *instans*; hoc enim, cum sit finis praeteriti, ac initium futuri, veluti utriusque extremum intelligitur, ideoque, perinde ac punctum, quod est extremum lineae [2], indivisibile est [3].

364. Iam nemini dubium esse potest, quin tempus reale non in suis partibus, sed *in instanti* positum sit. Nam quoniam natura entis successivi, quale, omnibus concedentibus, est tempus, expostulat, ut una pars alteri succedat, ideo ens successivum plures partes simul habere repugnat [4]. Atqui quaelibet pars temporis ob spatium,

---

tionibus requiritur, tamen caeteris procul dubio praeferenda est, quia hae uti ex dicendis patebit, dum quamdam speciem claritatis prae se ferunt, falsae sunt.

[1]) « Continuitas, inquit s. Thomas, accidit tempori ex ratione motus, quem mensurat » (*In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. II, a. 1 *sol.*). Et clarius alibi: « Tempus est divisibile, et continuum propter motum; motus autem propter magnitudinem eius, in quo movetur; ex eo enim, quod illa magnitudo est quanta, et motus est quantus, et propter hoc, quod motus est quantus, sequitur tempus esse quantum » (*In lib. V Met.*, lect. I). Exinde sanctus Doctor infert (*ibid.*) motum, et tempus non esse species quantitatis, nam « dicuntur . . . quanta . . . ex eo quod dividuntur secundum quantitatem ad divisionem alicuius quantitatis... Unde haec non solum per accidens quantitates dici possunt, sed magis posterius, in quantum quantitatis divisionem ab aliquo priori sortiuntur »; Cf Ioann. a s. Thom. *Op. cit.*, pars 1, q. XVI, art. 3, p. 217 sqq.

[2]) « Eiusdem rationis est tempus componi ex nunc, et lineam ex punctis »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. III, a. 3 *sol.*

[3]) « De ratione huius mensurae, quae est tempus, sunt duo, scilicet quod accipiantur ibi plura, ad minus duo, vel duo nunc, inter quae est tempus, vel duo tempora continuata per unum nunc; et quod illa sint succedentia »; *Op. cit., ibid.*, Dist. XIX, loc. cit.

[4]) « Cum omnis mutatio habeat duos terminos, qui non possunt esse simul..., oportet cuilibet motui, vel mutationi adesse successionem ex hoc, quod non possunt duo

quod corpus in motu positum occupat[1], plures partes habet, et solum instans, seu punctum, quod extrema partium occupat, est partium expers[2]. Ergo tempus reale in *instanti* dumtaxat positum est.

365. Tempus reale, si praeteritum, vel futurum sit, in *instanti* positum esse facile intelligitur; at nonnihil difficultatis de praesenti occurrere potest, quia praesens, eo quod praeteritum, et futurum secum coniungit, tum partem, quae praeteriit, tum partem, quae ipsi succedit, continere videtur. Verum sciendum est in praesenti, si in se spectetur, tempus per se non inveniri, quia in eo prius, et posterius non numerantur, sed tempus in ipso inveniri tantum ratione *instantis*, quia instans est id, quo prius, et posterius copulantur. Ex quo intelligitur, si tempus in praesenti invenitur, id non ex eo fieri, quod praeteritum, et futurum in ipso continentur, sed ex eo, quod praeteritum, et futurum in ipso copulantur ratione instantis, quia instans, cum sit finis praeteriti, atque initium futuri, utrumque coniungit, et continuum non quidem permanens, sed successivum efficit. Quamobrem, etsi tempus non solum in praeterito, et futuro, sed etiam in praesenti invenitur, tamen ratio, seu essentia eius in *instanti*, seu *nunc* proprie posita est, quia in praesenti nonnisi ratione instantis, seu *nunc* invenitur[3].

366. Quo haec doctrina planior fiat, nosse oportet, quomodo intelligendum sit *instans*, in quo tempus reale positum esse diximus. Iam, quandoquidem tempus sine motu, et successione intelligi nequit, manifestum est *instans*, in quo tempus reale consistit, intelligendum non esse, ut s. Thomas monuit[4], veluti *nunc*, quod invariabiliter manet, sed veluti *nunc*, quod variabiliter fluit, seu veluti aliquid, quod, dum idem *subiecto*, hoc est, secundum substantiam manet, in toto decursu temporis *ratione*, hoc est, secundum modum variat[5]. Quod luculenter evincitur hoc modo: Cum tempus respondeat motui, *nunc* temporis, sive instans respondere debet corpori, quod movetur. Atqui corpus, quod movetur, in toto tempore manet idem secundum substantiam, et variat secundum modum. Ergo in-

---

termini esse simul, et ita tempus, quod est numerus prioris, et posterioris, in quibus consistit tota successionis ratio »; *Op. cit.*, *ibid.*, Dist. XXXVII, q. IV, a. 3 *sol.*

[1]) « Tempus non mensurat, nisi ea, quae aliqualiter sunt in loco »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 96.

[2]) « Si stricte, Leibnitius ait, loquamur, punctum, et instans non sunt partes spatii, aut temporis, neque ullas partes habent; sunt enim dumtaxat extremitates » (*N. E.*, lib. II, c. 14, § 10). Id, ni fallimur, ante Scholasticos, et Leibnitium docuerat s. Basilius, ubi ait: « Quemadmodum enim principium viae nondum est via, et principium domus nequaquam domus est, sic et temporis principium nondum tempus est, imo neque pars ipsius minima »; *Hexaëm.* Homil. I, n. 6.

[3]) Cf Alb. M., *Op. cit.*, tract. cit., q. V, a. 3.

[4]) *Opusc.* XLIV.

[5]) Id sibi procul dubio voluit s. Augustinus, cum scribit: « Praesens, si semper esset praesens, iam non esset tempus, sed aeternitas »; *Confess.*, loc. cit.

stans quoque idem manet secundum substantiam, sed, prout de priori in posterius fluit, secundum modum variat. Unde tempus a s. Thoma etiam dicitur *fluxus ipsius nunc, secundum quod alternatur ratione* [1], seu continua, et successiva variatio eius, quod existit, et praesens est.

367. Haec rationis momenta ad evincendam doctrinam Stagiritae, et Scholasticorum non parum roboris, nostra quidem sententia, habent. Contra ea, caeterorum opiniones vel omnino absurdae, vel non satis exploratae nobis videntur. Atque in primis, ii, qui tempus esse aliquid corpus, uti Heraclitus, iique, qui esse aliquid incorporeum reale volunt [2], perinde falluntur. Namque notio temporis, ut inferius dicemus, non repraesentat aliquid, quod in natura rerum est, sed dumtaxat aliquid, quod in natura rerum, quae extra animam sunt, fundamentum habet. At, si tempus nihil repraesentat, quod extra animam, et in natura rerum invenitur, ipsum certe nec est corpus, nec aliquid incorporeum. Quod ad opinionem Epicuri [3] attinet, advertendum quoque est accidentia, quorum tempus esse quoddam accidens Epicurus voluit, esse res corporeas. Atqui accidens rerum corporearum nonnisi corporeum esse quit. Ergo tempus illo etiam modo, quo ab Epicuro explicatum fuit, incorporeum dici non potest.

368. Opiniones Gassendi, et Newtoni fere iisdem, ac eorum opiniones de natura spatii, vitiis laborant. Enimvero, quod spectat ad Gassendum, primo eadem momenta rationis, ex quibus vidimus monstrosum esse illud incorporeum, quod ipse spatium dixit, ostendunt quoque monstrosum esse illud incorporeum, quod tempus nuncupat. Praeterea ipse, quemadmodum spatium reale cum imaginario, ita tempus reale cum imaginario, de quo mox dicemus, confudit. Denique omnino absurdum est illud, quo pro certo, et concesso sumsit, nempe tempus reale fuisse, antequam mundus existeret, et fore, etiamsi mundus esse desineret. Etenim tempus, quocumque modo explicetur, sine motu, et successione concipi non potest; et quoniam motus, et successio concipi nequeunt sine rebus, quae moventur, tempus reale existere non potest, nisi existant res, quae moventur, et sibi succedunt. Atqui hae res ante creationem mundi non existebant, et, si mundus in nihilum redigeretur, existere desinerent. Ergo haud possibile est tempus fuisse, antequam mundus crearetur, et fore, etiamsi mundus in nihilum redigeretur [4]. Newtonus autem 1° suc-

---

1) *Op. cit.*, ibid.; cf I, q. X, a. 4 ad 2. Hinc idem sanctus Doctor inquit: « Nihil est temporis, nisi nunc . . ., non quia in ipso primo nunc sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus »; I, q. XLVI, a. 3 ad 3.

2) Cf p. 184, not. 3.

3) Cf ibid.

4) Hoc argumento usus est, ne de aliis Patribus dicamus, s. Augustinus, qui ex eo quod « tempus sine aliqua mobili mutabilitate esse non potest », elicuit hanc conclusionem: « tempora non fuissent, nisi creatura fieret, quae aliquid aliqua mutatione

cessionem in Deo posuit, quia, cum tempus sine successione intelligi non possit, is, qui tempus esse aeternitatem Dei asserit, successionem in Deo ponit. 2° Pantheismo favit, quia, eo ipso, quod tempus ab aeternitate non distinxit, mundum cum Deo confudit. Et sane, quoniam mundus est in tempore, ipse, ex Newtoni sententia, in aeternitate Dei est. Atqui aeternitas Dei est ipsemet Deus. Ergo, si tempus est aeternitas Dei, mundus est ipse Deus.

369. Demum sententia Leibnitii eisdem, ac eius sententia de spatio, scopulis impingit. Ipsa enim in primis notionem temporis non explicat. Nam tempus quidem sine successione rerum, quae aliquo ordine fit, intelligi nequit, sed eius essentia, sive ut aiunt, notio in ordine illius successionis posita non est; siquidem non ex eo quod successionem in rebus ordine procedentem contemplamur, sed ex eo quod prius, et posterius in iis, quae sibi succedunt, metimur, notionem temporis adquirimus. Praeterea, opinio Leibnitii scepticismo favet. Et sane quoniam ordo successivorum, perinde ac ordo coexistentium, Leibnitii iudicio, est quoddam *phaenomenum*, sive *apparentia*, inde fluit tempus non esse aliquid *reale*, sed *apparens*. Atqui haec, uti ex Sexto Emp. novimus, est opinio Scepticorum. Ergo opinio Leibnitii de natura temporis scepticismo favet.

ARTICVLVS TERTIVS

De origine notionis temporis

370. Sicut in natura temporis, ita in notionis eius origine assignanda Philosophi in plures, diversasque sententias discesserunt. Epicurus, quippe qui tempus « ab rerum motu, placidaque quiete » non distinxit, tempus, ope sensuum, a nobis cognosci autumavit [1]. Ast haec sententia manifeste absurda est, 1° quod perperam sumit tempus non distingui ab ipsis rebus, quae moventur; 2° quod statuit non tantum tempora particularia, et concreta, sed ipsum quoque tempus abstractum, et universale, ope sensuum, a nobis cognosci, cum notiones universales, uti ostendimus, intellectu, non vero sensibus adquirantur. Ex quo intelligitur etiam falli recentes Sensistas, qui, duce

---

mutaret, cuius motionis, et mutationis, cum aliud, atque aliud, quae simul esse non possunt, cedit, atque succedit, in brevioribus, vel productioribus morarum intervallis tempus sequeretur » (*De Civ. Dei*, lib. XI, c. 6; Cf *Confess.* lib. XI, c. 30, n. 40). Hinc tempus fuisse a Deo creatum, et, perinde ac omnem aliam rem creatam, initium habere, eodem s. Augustino monente, ad fidem pertinet. Vid. *De Gen. ad litt. Liber imperfectus*, c. 3, n. 8. Sed de hac re rursus in *Cosmologia*.

1) « Nec per se quemquam *Tempus* sentire fatendu' 'st
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete »;
Lucret., lib. I, vv. 463, et 464.

Condillacho, notionem temporis a sensatione originem ducere contenderunt.

371. Kantius docuit, quemadmodum spatium est *forma a priori* sensibilitatis externae, ita tempus esse *formam a priori immediatam* sensibilitatis internae, et *mediatam* sensibilitatis externae [1]. Verum haec opinio Kantii de tempore iisdem, ac eius opinio de spatio, difficultatibus premitur. Etenim ipsa 1° futili momento rationis innititur, quia nos principio res externas, internasque in tempore cognoscimus; deinde, postquam ab illarum successione notionem temporis nobis confecimus, ipsas in tempore esse intelligimus: 2° notionem temporis destruit, quia ipsam, uti Sceptici factitarunt, ad merum *phaenomenum* reducit.

372. Sine ullo examine mittimus opiniones Malebranchii, et Cousini, propterea quod istae ex pronuntiatis philosophicis, quae saepe excussimus, derivantur. Enimvero tempus, secundum Malebranchium, nuperosque Ontologos, est notio, quam in Deo contemplamur, et secundum Cousinum, aliosque Eclecticos est notio, quam ratio impersonalis nobis suggerit [2]. Iam, quandoquidem tum intuitionem Ontologorum, tum rationem impersonalem Eclecticorum mera calentis phantasiae figmenta esse ostendimus, opiniones horum Philosophorum de origine temporis ipsae ex se ruunt.

373. Scholasticorum doctrina, quam nos lubenter amplectimur, huc redit: Nos ex eo, quod prius, et posterius in motu rerum corporearum metimur, ad notionem temporis adsurgimus. Atqui hoc, ope sensuum, assequi non possumus, quia sensus prius, et posterius in motu rerum corporearum percipiunt, sed nexum, qui inter utrumque est, sive fluxum *instantis* de priori in posterius, in quo tempus positum est, assequi non valent. Restat igitur ut tempus cognoscamus intellectu, cuius proprium est, uti alibi ostendimus, nexus rerum cognoscere. Iam, quandoquidem intellectus notiones rerum sensibilium per abstractionem, quam super res sensibiles exercet, sibi comparat, temporis notionem ex abstractione oriri dicendum est. Quae quidem abstractio in eo posita est, quod intellectus in rebus corporeis, quarum una alteri in motu succedit, cunctis sepositis, solum motum considerat, eumque secundum prius, et posterius metitur. Hoc enim pacto ipse *mensuram motus secundum prius, et posterius*, sive tempus concipit, quin res singulares, quarum motus tempus metitur, consideret. Iam nemo certe non videt hanc sententiam Scholasticorum de origine notionis temporis esse veritati omnino consentaneam. Nam si detur, uti re ipsa ab illis omnibus datur, qui sensismo non favent, notionem temporis esse propriam intellectus, dandum quoque est intellectum illam sibi per abstractionem

---

1) *Critique* etc., *Aestet. transc.*, part. I, sect. II, § 6, ed. cit.

2) Vid. II. citt. in p. 180, not. 2, et 3.

comparare, quia ipse, uti suo loco ostendimus, notiones rerum, nonnisi ope abstractionis, adquirere potest.

374. Hanc doctrinam aristotelico-scholasticam Lockius impugnare aggressurus, praefracte contendit nos ideam temporis acquirere non ex motu, quem in rebus extra nos positis observamus, sed ex successione nostrarum idearum, quam super actiones animi nostri reflectentes in rebus advertimus [1].

375. Ast haec Lockii sententia, quam s. Thomas iam reiecerat [2], his duobus argumentis facile exploditur: 1° Tempus, uti Leibnitius contra Lockium advertit [3], nosque ex sententia Scholasticorum ostendimus, est *continuum* et *uniforme*. Atqui in perceptionibus, quae in animo nostro sibi succedunt, nec constandem, nec uniformem continuationem deprehendimus. Ergo fieri non potest, ut ex successione perceptionum nostrarum notionem temporis adquirimus. Assumptio huius argumenti evidens nobis videtur ; siquidem successio nostrarum perceptionum non est *constans*, quia interdum animus noster in eadem idea, seu perceptione diu haeret ; nec *uniformis*, quia perceptiones non eodem, sed celeriori, aut tardiori gradu sibi succedunt. Ad hoc confirmandum addere possumus successionem nostrarum perceptionum, seu idearum non efficere aliquid continuum, cuiusmodi esse tempus omnes fatentur, sed aliquid discretum. Nam cogitationes, quae in animo nostro sibi succedunt, non sunt invicem continuae, sed discretae, quia una operatio non colligatur cum altera communi vinculo, quemadmodum re ipsa colligantur partes quantitatis corporeae, in qua, Scholasticorum sententia, continuitas temporis fundatur [4].

---

1) *Op. cit.*, lib. II, § 6, t. I, p. 7. Cf c. 14, et 15 passim.

2) Vid. locum, quem inferius citabimus.

3) *N. E.*, lib. II, c. 14, § 16, p. 241, ed. Erdm.

4) Cf p. 187, not. 1. Iam s. Thomas adnotaverat successionem cogitationum non quidem propria, et stricta, sed vulgari significatione tempus appellari. « Alio modo, inquit, dicitur tempus magis communiter numerus eius, quod habet quocumque modo prius, et posterius ; et sic dicimus esse tempus mensurans simplices conceptiones intellectus, quae sunt sibi succedentes ; et istud tempus non oportet quod habeat continuitatem, cum illud, secundum quod attenditur motus, non sit continuum » (*In lib. I Sent.* Dist., VIII, q. III, a. 3 ad 4; cf s. Bonav., *In lib. III Sent.*, Dist. II, p. I, a. 2, q. I, *resol.*). De tempore ita sumpto intelligendus est ille locus, in quo sanctus Doctor inquit : « Quicumque autem percipit quemcumque motum sive in rebus sensibilibus, sive in anima, percipit esse transmutabile, et per consequens primum motum, quem sequitur tempus » (*In lib. IV Phys.*, lect. XVI). Unde fit, ut operationes nostri intellectus in tempore quodammodo esse intelligamus, idem Aquinas praeclare explicuit his verbis : « Intellectus est supra tempus, quod est numerus motus corporalium rerum. Sed ipsa pluralitas specierum intelligibilium causat vicissitudinem quamdam intelligibilium operationum, secundum quam una operatio est prior altera. Et hanc vicissitudinem Augustinus nominat tempus, cum dicit (lib. 8, c. 20 et 22 *super Gen. ad litt.*), quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus » ; I, q. LXXXV, a. 4 ad 1. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, q. I, a. 3 ad 3.

2° Si tempus in successione cogitationum nostrarum existeret, ab eaque dignosceretur, nulla certe illius metiendi ratio nobis suppeteret. Omnibus enim exploratum est in eadem parte temporis, puta die, plures in uno homine, quam in alio, ideas, immo in eodem homine, in una die plures, in altera pauciores sibi succedere, quia ipsae in animo nostro modo celerius, modo tardius, ut vidimus, sibi succedunt. Atqui certam, communemque mensuram temporis dari indubium est. Tempus igitur nec in successione cogitationum positum est, nec ab ea dignosci potest. Contra ea, si tempus in successione phaenomenorum exteriorum fundari, ab eaque dignosci dicatur, facile est motum aliquem constantem, atque uniformem invenire in natura rerum, ex quo constans, atque uniformis ratio metiendi temporis sumi potest [1].

376. Obii. 1° Lockius: Si homo, qui inter corpora quiescentia constitutus est, tempus percipit, hoc certe non ex successione phaenomenorum exteriorum, sed tantum ex successione phaenomenorum interiorum, hoc est, cogitationum suarum percipere potest; quia, dum inter corpora quiescentia constituitur, non alibi, quam in animo, successionem percipere potest. Atqui hominem, qui inter corpora quiescentia constitutus est, tempus percipere indubium est. Homo igitur tempus non ex successione phaenomenorum exteriorum, sed ex successione interiorum tempus cognoscit.

377. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min.*; *Neg. conseq.* Primo concedendum Lockio non est nos, dum inter quiescentia corpora constituti sumus, tempus percipere. Nam, quoniam successio cogitationum nostrarum, uti ostendimus, conceptum temporis nobis suppeditare non potest, consequitur nos, si motum rerum materialium non experimur, sed cognitiones nostras dumtaxat in nobis advertimus, certe aliquam successionem percipere, sed non illam, ex qua conceptum temporis adquirere possumus. Secundo, etiamsi daremus Lockio nos

---

[1]) Royer-Collard (*Fragmens* etc., ad calc. *Opp.* Reidii, t. IV, p. 347 sqq, ed. cit.), Cousinus (*Cours de l'hist. de la phil. mod.*, II, citt. in p. 130, not. 3), Rosminius (*Psicolog.*, part. 2, lib. III, c. 4, t. II, p. 189-205, ed. cit.), Garnierius) *Traité des facult.* etc., lib. VI, sect. I, c. 5, § 8, t. II, p. 200, ed. cit.), aliique Lockio consenserunt asserenti tempus non ex successione rerum corporearum, sive phaenomenorum exteriorum, sed ex successione idearum, sive phaenomenorum interiorum cognosci; sed, secus ac Lockio visum fuit, contenderunt successionem phaenomenorum interiorum non constituere tempus, sed occasionem menti nostrae praebere, ut ad notionem temporis assurgat. Verum opinio Lockii illo etiam modo, quo ab hisce Philosophis emendata, atque enucleata est, defendi non potest. Nam si successio phaenomenorum interiorum notionem temporis non suppeditat, ipsa procul dubio menti nostrae ne occasionem quidem ad notionem temporis assurgendi praebere potest, quippe quod fieri nequit, ut duorum, quae nulla similitudine secum continentur, unum nobis occasionem cognoscendi alterum praebeat. Accedit, quod absurda sunt, ut saepe innuimus, placita de origine idearum, quorum ope Royer-Collard, aliique memorati Philosophi sententiam Lockii emendasse sibi adblanditi sunt.

ex successione cogitationum nostrarum posse percipere, et re ipsa percipere tempus, inde inferre non posset animum nostrum notionem temporis non adipisci etiam ex motu, quo res materiales sibi succedere experitur. Etenim, si successio nostrarum cogitationum ideam temporis nobis praebere posse dicatur, nihil vetat, quin dicatur nos notionem temporis adquirere etiam posse ex motu, quem in rebus materialibus sibi succedentibus advertimus. Quin etiam ex motu successivo rerum materialium prius, et perfectius, quam ex successione cogitationum nostrarum, notionem temporis nos adquirere posse dicendum foret. Prius, quia, uti ante ostensum est [1], nos prius res extra animum nostrum positas, quam cogitationes nostras, cognoscimus; perfectius, quia motus successivus rerum materialium est constans, ac aequabilis, successio autem cogitationum est inconstans, et difformis. Illud tantum cum Leibnitio Lockianis concedendum est « mutationem perceptionum nobis occasionem praebere de tempore cogitandi [2] », non quidem antequam, sed postquam notione temporis potiti sumus. Nam, postquam notionem temporis ex motu, et successione rerum materialium eo, quo diximus, modo, adquisivimus, intellectus ex suis cogitationibus ad cogitandum de tempore excitari potest, quia inter ipsas quamdam successionem advertit. Lockiani fortasse in eo errarunt, quod, quoniam successio perceptionum nostrarum mentem nostram ad cogitandum de tempore excitat, notionem temporis ab ea effici concluserunt. Verum « consecutio perceptionum, ut laudatus Leibnitius ait, ideam durationis in nobis excitat, sed minime efficit ».

378. Obii. 2° Si tempus ex motu rerum corporearum cognosceremus, motus rerum corporearum mensura temporis non foret. Atqui consequens falsum est, quia homines tempus ex motu corporum coelestium manifeste metiuntur. Ergo falsum quoque est antecedens, nempe quod tempus ex motu rerum corporearum cognoscitur.

379. Resp. *Dist. mai.:* Motus *intrinsecus* non foret mensura temporis, *conc. mai.*; motus *extrinsecus*, *neg. mai.*; *dist.* pariter *min. Neg. conseq.* Cum de tempore agitur, duplex motus distinguendus est, scilicet unus *extrinsecus*, alter *intrinsecus*. Motus extrinsecus est motus constans, et aequabilis alicuius corporis, qui sumitur veluti communis mensura omnium motuum particularium, puta motus solis; intrinsecus vero est motus particularis singularum rerum, quae sibi per partes succedunt, puta calefactionis, aut frigiferationis. Hac distinctione motus statuta, Lockio respondemus homines tempus metiri ex motu extrinseco, seu illius corporis, cuius motus constans, et aequabilis veluti mensura omnium motuum sumitur [3]; sed notionem

---

1) Vol. I, *Dynam.*, c. III, art. 7, p. 330.

2) *Op. cit.*, loc. cit.

3) « Hic videri potest, inquit s. Augustinus, tunc coepta esse tempora, cum coe-

temporis adquirere ex motu intrinseco, hoc est, ex motibus particularibus rerum, quas in natura observamus. Et sane, nos primum ex motu successivo rerum materialium, per methodum abstractionis, quam exposuimus, conceptum temporis nobis conficimus; deinde motum alicuius corporis, qui constans, ac aequabilis est, statuimus, ut tempora particularia rerum, quae sibi per partes succedunt, metiri possimus, atque illum tanquam communem mensuram, et normam omnium motuum, qui in rebus successivis occurrunt, sectamur [1]. Alius igitur est motus, ex quo tempus cognoscimus; alius vero, ex quo tempus metimur [2].

ARTICVLVS QVARTVS

Utrum conceptus temporis sit subiectivus, an obiectivus

380. Philosophi, uti ex disputatis de natura temporis, et de origine notionis eius facile intelligi potest, in vi notionis temporis definienda tres contrarias sententias amplexati sunt. Namque alii senserunt tempus esse omnino reale [3], alii esse conceptum omnino logi-

---

lum, et luminaria coeli ordinatis itineribus currere coepissent; quod si verum est, quomodo poterant dies esse, antequam tempus esset, si a cursu luminarium tempus exorsum est? » *De Gen. ad litt. Lib. imperf.*, c. 3, n. 8.

[1]) Hinc Leibnitius (loc. cit.) contra Lockium advertit « motum esse mensuram temporis hoc sensu, quod motus aequabilis est mensura motus inaequabilis ».

[2]) Unde Aristoteles non statuit duo, quae secum pugnant, cum scribit: « Non solum autem metimur motum tempore, sed etiam motu tempus; quia se invicem definiunt. Tempus enim definit motum, cum sit eius numerus; ac motus tempus, dicimusque multum, ac paucum tempus, motu metientes » (*Op. cit.*, lib. cit., c. 12, § 5, ed. cit.). Quod duobus luculentis exemplis illustravit. Nam, dum nos ex rebus, quas numeramus, numerum intelligimus, ex numero res numeratas cognoscimus, quia, cum multitudinem rerum cognoscere volumus, illas numeramus. Item nos ex magnitudine motum, et ex motu magnitudinem extimamus, quia, si ambulatio est longa, inde iudicamus longum esse iter; et rursus, si longum est iter, ambulationem esse longam. Conimbricenses in h. l. inculcant illud a nobis iam statutum, nempe « quod tempus motum prius definiat, tempus vero a motu posterius mensuretur »; *In lib. IV Phys.*, c. 12, p. 126, Venetiis 1606.

[3]) Opiniones Philosophorum, qui tempus reale esse contendunt, diversis principiis innituntur, prout diversa sunt eorum placita de natura temporis. Nonnulli enim tempus esse reale arbitrantur, quia sentiunt tempus non esse aliud, nisi ipsas res, quae sibi succedunt, sive aliqua substantia, sive accidens sit. In horum censum veniunt Plato, Aenesidemus, Epicurus, et Zeno, quorum alii tempus esse substantiam realem, alii vero accidens, vel proprietatem substantiae realis voluere (cf II. cit. p. 184, not. 3). In media aetate post s. Bonaventuram (*In lib. II Sent.*, Dist. II, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*), aliosque, Scotus (*In lib. II Sent.*, Dist. II, q. 1) pro viribus contendit tempus esse aliquid, quod, nemine cogitante, in natura rerum existit, quia ipsum est affectio, seu *passio* motus, qui est aliquid reale. Scoto assensus est Durandus (*In lib. II Sent.*, Dist., II, q. 4), licet hic ex eius schola non fuerit. Condillachus

cum [1], alii autem esse conceptum mentis, qui in rerum natura fundamentum habet [2].

381. Postrema haec sententia ceteris procul dubio anteferenda est. Enimvero quandoquidem tempus est mensura motus secundum prius, et posterius, liquet notionem temporis ex duobus elementis componi, quorum unum sunt res, quae secundum prius, et posterius numerantur, alterum est illarum mensuratio. Atqui ex his duobus primum ab intellectu nostro non pendet, quia res secundum prius, et posterius moventur, seu invicem sibi succedunt, quin nos de ipsarum motu, et successione cogitemus; alterum autem est actus nostri intellectus, quia intellectus prius, et posterius in motu rerum metitur. Notione igitur, sive, ut Scholastici aiunt, definitione temporis duo elementa continentur, nempe unum subiectivum, alterum obiectivum. Iam ex his duobus elementis subiectivum est proprie illud, quod notionem temporis constituit. Nam nos, ut ex disputatis de natura temporis perspicitur, tempus in rebus, quae sibi succedunt, non ante concipimus, quam prius, et posterius in illarum successione metiamur. Sed mensuratio prioris, et posterioris in motu

---

(*Op. cit.*, *ibid.*) in recenti aetate ad Epicuri sententiam accessit Gassendus, aliique pauci post eum putarunt notionem temporis esse realem, seu obiectivam, quia tempus est ens, quod in natura a ceteris rebus distinctum existit (vid. p. 184). Newtonus vero, Clarkeus, aliique Newtoni sectatores idem senserunt, illa ratione permoti, quod tempus est ipsa aeternitas Dei (vid. *ibid.*). Denique Giobertius (ll. cit. p. 180, not. 2) quem nonnulli hodie sectantur, cum mentem nostram Deum mundum creantem intueri sibi persuasisset, nos tempus in Deo non modo, prout possibile in Eo est, sed etiam prout est reale in mundo, apprehendere autumavit.

[1]) Hanc sententiam, quam Antipbanes, et Critolaus (*Eclog. Phys.*, lib. I, c. 2, p. 19, ed. cit.) propugnarunt, et ad quam in media aetate aliqui non magni nominis Philosophi (cf Fr. Marc. Anton. Galitium, *Summ. phil. arist. ad mentem s. Bonaventurae*, pars I, lib. IV, tract. I, q. II, a. 3, p. 703, Romae 1635) accesserunt, Leibnitius, et Kantius ex suae philosophiae principiis facile collegerunt. Nam continuum, sicut in iis, quae coexistunt, ita in iis, quae sibi succedunt in natura, non esse reale, sed phaenomenicum ab ipso Leibnitio declaratur, atque ordo, qui cum inter illa, tum inter ista ab eo ponitur, nonnisi logicus esse potest, quia cum monades nullam in se vim exerant, ordo inter ipsas ab intellectu tantum poni potest. Kantius vero sine ulla ambage docuit tempus, perinde ac spatium, esse subiectivum, non vero obiectivum; sed, secus ac illi, qui tempus esse subiectivum tuebantur, docuit tempus non esse notionem intellectus, sed visionem puram sensibilitatis, cui nihil in natura rerum respondet.

[2]) Aristoteles, cui post s. Augustinum (*Confess.*, lib. XI, c. 27) Albertus M., s. Thomas, aliique Scholastici adhaeserunt, hanc mediam inter ambas e regione oppositas viam ingressus fuit. Eiusdem sententiae, ni fallimur, Cartesius fuit. Namque ipse (*Les principes de la phil.*, part. 2[e], § 57, *Oeuvr. phil.*, t. I, p. 257, et 258, ed. Garnier), dum asseruit tempus, si ad intellectum nostrum referatur, esse modum, quo res sibi succedere intelligimus, non negavit vere extra nos existere res, quae sibi invicem succedunt. Neque ab hac sententia Balmesius (*Fil. fondam.*, lib. VII, c. 14, *t.* II, p. 207 sqq, ed. cit.), aliique nuperi multum abludere videntur.

rerum est, ut modo diximus, actio intellectus, proindeque aliquid subiectivi. Ergo ex duobus elementis, quae notione temporis continentur, subiectivum illam proprie constituit. Verum, si elementum subiectivum notionem temporis proprie constituit, elementum obiectivum ei fundamentum praebet. Nam, quoniam intellectus noster notionem temporis sibi efformat per abstractionem super phantasmatis rerum, quas in mundo adspectabili sibi invicem succedere experimur, nemo non videt, etsi in mundo non sit illud, quod notionem temporis proprie denotat, in ipso tamen illud inveniri, ex quo nos notionem temporis nobis efformamus. Quare, si notio temporis est logica, et subiectiva, ipsa procul dubio reale, atque obiectivum fundamentum habet [1].

382. Quo id magis, magisque declaretur, breviter demonstrabimus notionem temporis non posse dici aut omnino obiectivam, seu realem, aut omnino subiectivam, seu logicam. Et primo, ipsa dici nequit omnino realis. Tempus enim, omnibus concedentibus, veluti reale intelligi non aliter potest, quam, ut Scholae aiunt, *ad modum entis successivi*, quippe quod procul dubio non habet in rebus *esse* fixum, sed fluens. Atqui in omni ente successivo non aliud *esse* reale intelligi potest, quam *instans*, sive, uti ante diximus, indivisibile motus, quia praeteritum, et futurum non sunt in natura rerum. Ergo in notione temporis nonnisi instans veluti reale intelligi potest. Iamvero notio temporis non in instanti, sed in fluxu instantis de priori in posterius, hoc est, in connexione instantis cum praeterito, et futuro posita est. Haec autem connexio ab intellectu ponitur, quia inter id, quod est in natura rerum, nempe *instans*, et ea, quae in ipsa non sunt, scilicet *praeteritum*, et *futurum*, realis, atque obiectiva connexio inveniri non potest. Reliquum igitur est, ut dicamus tempus esse notionem subiectivam, quae in natura rerum fundatur [2].

383. Secundo, notionem temporis non esse omnino logicam perspicere licet cum ex modo, quo ipsam nobis efformamus, tum ex rebus, ad quas illam referri intelligimus. Et sane, si primum spectetur, intellectus notionem temporis sibi conficit ex phantasmatis rerum,

---

[1]) Audiatur s. Thomas: « . . . positis rebus numeratis, necesse est poni numerum: unde sicut res numeratae dependent a numerante, ita et numerus earum. Esse autem rerum numeratarum non dependet ab intellectu animae: unde nec numerus rerum ab intellectu animae dependet, sed solum ipsa enumeratio, quae est actus animae, ab intellectu animae dependet » (*In lib. IV Physic.*, lect. XXIII). Scite igitur sanctus Doctor advertit *prius*, et *posterius*, nempe instans, quod de priori in posterius fluit, et idem secundum substantiam manet (cf p. 188-189), esse *quasi materiale*, atque actum, quo intellectus prius, et posterius in motu metitur, esse *formale* temporis. « Illud, ait, quod est de tempore quasi materiale, fundatur in motu, scilicet prius, et posterius: quod autem est formale, completur in operatione animae numerantis »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. II, a. 1 *sol.*

[2]) Cf s. Thom., *In lib. IV Physic.*, lect. cit.

quae in mundo re ipsa sibi invicem succedunt; sin alterum, experientia constat res, quas nos in tempore esse intelligimus, in mundo ita dispositas esse, ut una alteri succedat [1].

CAPVT OCTAVVM

De duobus postremis categoriis

ARTICVLVS PRIMVS

De situ

384. Quoniam res corporeae propter suam quantitatem locum occupant, huius partes quemdam ad ipsum locum ordinem habeant necesse est. E. g., corpus hominis nonnisi sedendo, vel stando, vel cubando in loco esse potest [2]. Iam illud accidens, quod ex comparatione partium corporis ad locum existit, *situs* appellatur. « Situs, inquit s. Thomas, est quidam ordo partium corporalium secundum locum [3] ».

385. Ad huius categoriae intelligentiam inquirere opus nobis est, quid sit, quo situs a *positione*, et ab *ubi* discriminatur. Atque in primis *positio* ordinem partium quantitatis ad totum, non vero ad locum denotat [4]. E. g., ordo, quem caput, pedes etc. ad corpus animalis habent, quamvis nomine *situs* designetur [5], tamen ad categoriam situs non pertinet [6]. Hinc « situs, aiente B. Alberto M., per prius dicit ordinationem partium in loco, et per posterius dicit ordinationem in toto. Positio autem e converso per prius dicit ordinatio-

---

[1]) Haec pauca de duobus opinionibus, quae per oppositas vias doctrinam aristotelico-scholasticam aggrediuntur, in universum innuisse satis est; nam vitia, quibus singula Philosophorum placita, a nobis exposita, laborant, prorsus eadem sunt, ac ea, quae de vi notionis spatii adnotavimus. Enimvero, praeter quam quod absurda sunt pronuntiata, ex quibus pleraque eorum deducta sunt, Gassendus profitetur quemdam dualismum, sive, ut a Manete, praecipuo eius auctore, dicitur, manicheismum, quia aliud infinitum et absolutum reale, praeter Deum, admittit; Newtonus pantheismum, quia tempus cum aeternitate confundens, res creatas in aeternitate Dei ponit, proindeque a Deo, qui sua ipsa aeternitas est, non distinguit; Leibnitius idealismum, quia ordo in rebus successivis, in quo tempus ponit, ex eius systemate non est, nisi opus intellectus; denique Kantius scepticismum, quem ex sua de tempore, perinde ac de spatio, doctrina fluere non negavit, immo professus est.

[2]) Cf s. Damascenum, *Dialect.*, c. 53.

[3]) *Quodlib.* III, a. 7 c. « Dispositio, alibi ait, in eo, quod importat ordinem alicuius habentis partes secundum locum, pertinet ad praedicamentum situs, qui est ordo partium in loco; » 1ª 2ae, q. XLIX, a. 1 ad 3.

[4]) « Positio, subdit Aquinas, est ordo partium in toto»; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 65.

[5]) De situ hac ratione accepto locuti sumus p. 112.

[6]) Cf Ripa, *Op. cit.*, c. 11, q. IV, a. 9, p. 312.

nem partium in toto, et per posterius dicit ordinationem in loco [1] ». Secundo, quoniam corpus dicitur esse *locatum*, prout in loco est, et dicitur esse *situm*, prout hoc, vel illo modo in loco est, *ubi* et *situs* diversas categorias constituunt. Hoc s. Thomas ex eo praecipue demonstrat, quod non mutato *situ*, potest mutari *ubi*; puta si homo sedens, permanente sessione, ab alio moveretur, ipse *ubi* quidem, sed non *situm* mutaret [2].

386. Ordo autem, quem corporis partes ad locum habent, considerari potest vel dumtaxat in ipso corpore, vel prout ad aliud corpus refertur. Inde situs divisio in *absolutum*, et *relativum* exurgit. Situs absolutus potest esse vel proprius, seu *naturalis*, ut in homine esse erecto capite, in belluis prono; vel *arbitrarius*, ut stare, genuflectere, sedere; vel *violentus*, ut inversio corporis in ipso homine. Situs autem relativus, si ratione longitudinis spectetur, *sursum*, vel *deorsum*; si ratione latitudinis, *dextrorsum*, vel *sinistrorsum*; sin denique ratione profunditatis, *antrorsum*, vel *retrorsum* appellatur [3]. Iam situs relativus, quemadmodum post s. Augustinum [4] s. Bonaventura adnotavit, nonnisi *ex motu progressivo* animalium enasci potest; hic enim in causa est, cur situs *proprie in animalibus*, in rebus autem inanimatis *nonnisi similitudinarie ponatur* [5].

387. Denique, quoniam res spirituales, quemadmodum saepe dictum est, ex materialibus cognoscimus, inde fit, ut notionem *situs* e rebus materialibus ad spirituales transferamus, atque his quoque *situm* metaphorice accommodemus [6]. Hinc Deus, aiente Aquinate, dicitur sedens « propter suam immobilitatem, et auctoritatem, et stans propter suam fortitudinem ad debellandum omne, quod adversatur [7] ».

---

[1]) *De sex principiis*, tract. VI, c. 1.

[2]) Cf *In lib. IV Phys.*, lect. VII.

[3]) « Dextrum, et sinistrum, ait s. Bonaventura, dicunt terminos latitudinis, et sursum, deorsum longitudinis, et ante, et retro profunditatis »; *In lib. II Sent.*, Dist. XIV, p. I, a. 11, q. 2 *resol.*

[4]) (*Qq. Octogintatres*, q. 29.

[5]) *Ibid.* Audiatur s. Thomas: « In animalibus sunt distinctae virtutes, ex quibus relatio dextri, et sinistri consurgit; propter quod talis relatio vere, et realiter in animali consistit; unde, qualitercumque vertatur animal, semper relatio eodem modo manet; numquam enim pars dextra sinistra dicetur. Res vero inanimatae, quae praedictis virtutibus carent, non habent in se huiusmodi relationem realiter existentem, sed nominantur secundum relationem dextri, aut sinistri ex eo quod animalia aliquo modo se habent ad ipsum; unde eadem columna nunc dextra, nunc sinistra dicitur, secundum quod animal ex diverso situ ei comparatur »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 14. Cf I, q. XIII, a. 7 c.

[6]) «Quod est, scribit s. Thomas, in corporalibus situs, est in spiritualibus ordo, nam situs est quidam ordo partium corporalium secundum locum »; *Quodlib.* III, a. 7 c.

[7]) I, q. III, a. 1 ad 4.

ARTICVLVS SECVNDVS

De habitu

388. Exploratum omnibus est inter accidentia, quae substantiae corporeae adiacent, ea recensenda esse, quae illam non metiuntur, sed dumtaxat instar vestimenti, vel ornamenti ipsi accommodantur. Huiusmodi, e. g., illa sunt, ex quibus Socratem *tunicatum*, vel *loricatum* denominamus. Iam supremum genus, ad quod haec accidentia referuntur, illam categoriam constituit, quae nomine *habitus* designatur [1]. Haec categoria ab Alberto M. definitur: *Corporum, et eorum, quae circa corpus sunt, adiacentia* [2]. Qua in definitione, eodem B. Doctore monente, vox *corporum* id denotat, ad cuius commodum habitus spectat, puta esse togatum est hominis commodum. Voces, *eorum, quae circa corpus sunt*, significant materiam, ex qua habitus constat, e. g., toga est materia habitus, qui *esse togatum* dicitur. Denique vox *adiacentia* denotat ordinem, qui est inter corpus, circa quod aliquid est, et illud, quod est circa corpus, nempe inter habentem, et quod habetur, atque illud accidens constituit, quod *habitus* vocatur [3].

389. Ex his pronum est nonnulla intelligere, quae ad notionem habitus declarandam plurimum iuvant. Primo ad efficiendam categoriam habitus duae substantiae requiruntur, quarum una circa aliam versatur; quapropter ex nullo accidente, quod substantiam afficit, categoria habitus effici potest. Hinc s. Damascenus, postquam habitum ita definivit: *Habitus est substantia circumstans substantiam*, illico pergit: « Si enim alterum quidem substantia sit, alterum autem accidens, uti scientia, ac sciens, minime ad praedicamentum *Habere* referuntur [4] ». Secundo, essentia habitus non consistit in alterutra, aut utraque substantia, sed, ut Graeci aiebant, in *circumpositione* (ἐν περιθέσει) unius substantiae circa alteram, sive, ut s. Bonaventura inquit, « in adiacentia unius substantiae respectu alterius [5] ». Ex quo vides Suaresium [6], aliosque non paucos vim huius categoriae haud

---

[1]) « Multis modis, inquit s. Augustinus, habitum dicimus.... vel habitum eorum, quae membris nostris accommodantur extrinsecus, secundum quem dicimus vestitum, calceatum, armatum, et si quod huiusmodi est »; *Qq. Octogintatres*, q. 73.

[2]) Perspicuum est *habitum*, prout hic accipitur, omnino differre ab habitu, quem in *Logica* (p. I, c. I, art. 4, p. 61 vol. I) esse quamdam qualitatis speciem diximus.

[3]) *De sex principiis*, tract. VII, c. I.

[4]) *Dialect.*, c. LXI.

[5]) *In lib. III Sent.*, Dist. VI, a. 1, q. 3 *resol.* Cf Alb. M. (*loc. cit.*), et s. Thomam, qui ob id scripsit (*In lib. V Met.*, lect. XX, et 1ª 2ªe, q. XLIX, a. 1 c.) habitum *neque indumentum, neque habentem indumentum* esse, sed aliquid medium inter utrumque.

[6]) *Dispp. Mett.*, Dist. LIII, sect. I, n. 3.

probe intellexisse, cum essentiam huius categoriae esse vestem decreverunt, quia vestis est materia, ex qua habitus constat, sed essentiam habitus haud constituit.

390. Tertio, quamvis habitus inter duas substantias sit; tamen id non impedit, quin sit accidens categoricum; quippe quod, ut iam advertit s. Thomas [1], positio unius substantiae circa alteram, in qua natura habitus consistit, est accidens.

391. Porro duo adnotanda sunt, quorum unum ex s. Augustino, et alterum ex s. Thoma nobis suppetunt. S. Augustinus docuit mutationes, quae in hoc accidente locum habent, eiusmodi esse, ut ad vestem, vel aliud huiusmodi, non ad ipsum corpus spectent [2]. S. Thomas vero advertit, quamvis animantia bruta vestibus, armis, aliisque huiusmodi naturaliter ornentur [3]; tamen nihil prohibere, quominus, si quid horum extrinsecus habeant, ab hoc, veluti praedicamento, aeque ac homines, denominari possint.

---

1) « Quod est in se substantia, non potest esse accidens alicuius, quamvis coniunctio unius substantiae ad alteram possit esse accidens, ut sic una substantia alicui accidentaliter advenire dicatur, sicut vestis homini »; *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. III, a. 2 *sol.* Cf *ibid.*, lib. II, Dist. XXVI, q. I, a. 1 *sol.*

2) « Tertium genus, ait, est, cum ipsa, quae accidunt, mutantur, ut habitum faciant, et quodam modo formantur ab eis, quibus habitum faciunt, sicut vestis; nam cum reposita, vel proiecta est, non habet eam formam, quam sumit, cum induitur, atque inducitur membris. Ergo induta accipit formam, quam non habebat exuta, cum ipsa membra et cum exuuntur, et cum induuntur, in suo statu permanent »; *Qq. Octogintatres*, q. 73. Cf Albert. M., *De praedicam.*, tract. VI, c. 2.

3) Audiatur sanctus Doctor: « In aliis animalibus natura dedit sufficienter ea, quae ad conservationem vitae pertinent, ut cornua ad defendendum, corium grossum, et pilosum ad tegendum, ungulas, vel aliquid huiusmodi ad incidendum sine laesione. Et sic cum talia animalia dicuntur armata, vel vestita, vel calceata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus. Sed huiusmodi non poterant dari homini a natura, tum quia non conveniebant subtilitati complexionis eius, tum propter multiformitatem operum, quae conveniunt homini, in quantum habet rationem, quibus aliqua determinata instrumenta accommodari non poterant a natura; sed loco omnium inest homini ratio, qua exteriora sibi praeparat loco horum, quae aliis animalibus intrinseca sunt. Unde cum homo dicitur armatus, vel vestitus, vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem neque causae, neque mensurae, unde est speciale praedicamentum, et dicitur habitus »; *In lib. III Phys.*, lect. III.

COSMOLOGIA

INTRODVCTIO

1. Postquam singulas philosophiae subiectivae partes absolvimus, ratio propositi ordinis expostulat, ut ad partes philosophiae obiectivae exponendas progrediamur.

Partes philosophiae obiectivae, ut diximus, sunt quatuor, nempe *Theologia naturalis*, *Cosmologia*, *Anthropologia*, et *Ethica* [1]. Iamvero, missa Ethica, quae ad philosophiam practicam spectat, si rerum, circa quas reliquae versantur, vel praestantia, vel cognitio scientifica consideretur, Theologia naturalis primum inter omnes locum sibi vindicat, quia Deus est praestantissimum omnium obiectorum cognitionis, et cum sit causa omnium rerum, est causa, per quam perfecta, absolutaque scientia omnium rerum obtineri potest. At, si ordo, quo rerum cognitionem adquirimus, spectetur, Cosmologia locum caeteris praeripit, quippe quod nos, uti ante ostendimus, primo mundum sensilem cognoscimus; deinde ex cognitione illius in nos redeuntes naturam, et proprietates animi nostri scrutamur; denique ex mundi sensilis, animique nostri cognitione ad Dei, veluti primae Causae omnium rerum, cognitionem assurgimus.

2. Iam nos ordini cognitionis, quem in hoc opere sectari nobis proposuimus, insistere volentes, Anthropologiam Theologiae naturali, atque utrique Cosmologiam praemittemus. Nisi quod de Deo primum in seipso, secundo, prout res creatae ad Eum referuntur, agemus, ut hoc pacto cognitio mundi sensilis, animique nostri, quam in Cosmologia, et Anthropologia assequi statuimus, perficiatur. Itaque a Cosmologia initium facientes, quid sit, in quo ipsa versatur, principio declaremus oportet.

3. « Quem Graeci, Plinius ait, Κόσμον nomine *ornamenti* appellavere, eum et nos a perfecta, absolutaque elegantia, *mundum* dicimus [2] ». Cosmologia igitur, si latine reddatur, idem valet ac *sermo*

---

1) Vid. vol. I, p. 31.

2) *Histor. natur.*, lib. II, c. 4. Cf Tertull., *Apolog.*, c. 17, et *Advers. Hermogenem*, c. 40; s. Hilar., *De Trin.*, lib. I, c. 7. Pythagoras, primus omnium, vocem Κόσμος ad rerum adspectabilem universitatem designandam adhibuit. Cf Achillem Tatium, *Isagoge ad Phaenomena Arati*, c. 5, interp. Dionys. Petavio, Append. ad *Chronicon Eusebii*; *Opp.* Euseb. ed. Migne, t. I, col. 946, Parisiis 1857, et Stob., *Eclog. Phys.*, p. 48, ed. Canter.

de mundo. Quid sit mundus, ex dicendis plane perspicietur; in praesentia satis est monere *mundi* nomine designari *universitatem rerum creatarum, quae coelo, terraque continentur* [1]. Ex quo intelligis, si nomen Cosmologiae, qua late patet, sumatur, Anthropologiam illius ambitu contineri, quia homo inter res, quae coelo, terraque continentur, invenitur [2]. Verum, quoniam numerus scientiarum naturalium per observationes, experimentaque, quae, plurimis saeculis labentibus, peracta sunt, valde succrevit, recentibus visum est non solum scientiam hominis a scientiis physicis segregare, sed etiam hisce omnibus scientiam veluti illarum vestibulum, sive, ut aiunt, *propaedeuticam* praemittere, in qua principia scientiarum physicarum communia, earumque studio inservientia exponuntur. Haec, quam *philosophiam* vel *metaphysicam physicae* nonnulli nuper ivocant [3], illi fere respondet, quae *Cosmologia* praesertim a Wolfianis vocata fuit, quaeque, quoniam partem rationalem scientiarum physicarum exponit, inter partes philosophiae adnumerata est. Nos, ne ab hac methodo scientiarum dividendarum, et disponendarum sine gravi causa discederemus, Anthropologiam a Cosmologia secrevimus, atque ob rationum momenta, quae exposuimus, hanc illi praemittendam duximus.

4. Quamobrem Cosmologia, quo hodie a multis accipitur et quo a nobis tractatur modo, circa res sensui obvias versatur, eaque complectitur, quae tum ad corpora vitae expertia, tum ad corpora vitam vegetativam, aut sensitivam habentia pertinent. Ipsa igitur definiri potest, *Scientia, quae suprema principia, supremasque rationes mundi sensilis exponit*. Quae quidem, uti ex dictis patet, hunc in ordinem digerenda nobis est, ut primo diversa genera rerum mundum constituentia, excepto homine, qui est anthropologiae obiectum, explicemus; deinde nexum, quo ipsa inter sese continentur, mundique systema efficiunt, exponamus; denique de mundi origine disseramus. In singulis autem capitibus non modo cosmologiae, de qua nunc agimus, sed etiam anthropologiae, quae cosmologiam consequetur, tractandis, perinde ac in dynamilogia factitavimus, rationem cum experientia coniungemus. Nam, quoniam scientia in cognitione causarum consistit, opus nobis est consulere primo experientiam, ut *facta* exploremus, deinde rationem, ut factorum causas detegamus. Historia

---

1) « Mundus itaque est compages e coelo, terraque coagmentata, atque ex his naturis, quae intra ea continentur »; ita Auctor libri *De mundo*, c. 2, inter *Opp. Arist.*, ed. Didot, vol. III, p. 628.

2) Hinc vides Waddigton-Kastum (*De la psych. d'Arist.*, part. II, c. 2, p. 294 sqq) immerito reprehendisse Aristotelem, quod tractatui *De Anima* in scientiis naturalibus locum assignavit.

3) Th. H. Martin egregium hac de re librum a nobis saepe laudatum evulgavit, quem *Philosophiam spiritualistam naturae* inscripsit, eumque, veluti *Prodromum*, praemissum voluit *Historiae scientiarum physicarum in antiquitate*, in qua exaranda multis abhinc annis adlaborat.

philosophiae opportunitatem huius methodi mirifice comprobat. Namque, uti ex dicendis patescet, Rationalistae ob neglectum experientiae nonnisi hypotheticas, omnique vi obiectiva destitutas de naturis rerum, in primisque hominis, theorias tradiderunt; Empiristae vero, quippe qui soli observationi factorum fidebant, ab investigandis naturis rerum abstinuerunt, immo illarum investigationem non modo vanam, sed periculi quoque plenam esse autumarunt [1].

CAPVT PRIMVM

De natura corporum

ARTICVLVS PRIMVS

Discrimen inter corpora non viventia, et viventia explicatur

5. Quisquis ad rerum, quae in hoc mundo sensus percellunt, naturas, et differentias cognoscendas aciem mentis suae unquam intendit, procul dubio novit illarum alias non moveri, nisi cum ab aliquo principio extrinseco impelluntur, puta lapides, ferrum, ceteraque multa, alias vero eiusmodi esse, ut per se ipsa moveantur, puta *plantа, bruta,* et *hominem*. Iam illae sunt, quae corpora *non viventia*, seu *mortua* dicuntur; hae vero, quae *viventia* vocantur [2].

6. Quin vita in quodam motu reipsa posita sit, ne vulgus quidem hominum dubitat, quia vulgus dicit corpora *vivere*, cum in ipsis quemdam motum, licet vitae non proprium, observat, eaque *mori*, aut *extingui*, cum illo motu orbantur [3].

7. At, si vulgus hominum quandoque putat viva esse etiam illa corpora, quae motu, quicumque is sit, cieri videt, Philosophis inquirendum est, quisnam sit ille motus, in quo proprie vita consistit, quippe non omnia eodem modo moveri exploratum cuique est.

---

[1]) Id praeclare observarunt, ne plures nominemus, Vacherot, *Histoire de l'école d'Alex.*, part. 4e, c. 4, t. III, p. 357 sqq, ed cit., et Peisse, *Préf. aux Fragm. de phil. de Hamilton*, p. XXIV-XXVII, ed. cit.

[2]) Cf vol. I, *Dynam.*, c. I, p. 225-226.

[3]) Hanc loquendi rationem non modo homines e vulgo, sed oratores quoque, et poetae, quibus, ornatus, aut delectationis causa, *translate* loqui familiare est, immo ipsi scientiarum naturalium cultores, quoties perspicuitas id expostulat, usurpare solent. Nihil enim frequentius apud ipsos occurrit, quam ut flammam *vivere* dicant, dum celeri partium motu splendorem, caloremque emittit, *mori* autem, cum ab illo motu cessat; aquam *vivam* appellent, dum erumpit e fontibus, atque inter aggeres decurrit, *mortuam* vero, dum in palude, aut stagno quiescit; ipsumque amorem vocent *vivum*, dum vehemens est, multumque operatur, et *mortuum*, dum segnis est, nihilque molitur. Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. I, dub. 5, et s. Thom., I, q. XVIII, a. 1 ad 3.

8. Iam « ex his, ut sapienter s.Thomas habet, quae manifeste vivunt, accipere possumus, quorum sit vivere, et quorum non sit vivere. Vivere autem manifeste animalibus convenit . . . . . Unde secundum illud oportet distinguere viventia a non viventibus, secundum quod animalia dicuntur vivere ». Postquam sanctus Doctor hanc methodum, veluti unice accommodatam ad notionem vitae assequendam proposuit, statim subdit: «Primo autem dicimus animal vivere, quando incipit ex se motum habere, et tamdiu iudicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet; quando vero iam a se non habet aliquem motum, sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitae. Ex quo patet, quod illa proprie sunt viventia, quae se ipsa secundum aliquam speciem motus movent. . . . . ut sic viventia dicantur quaecumque se agunt ad motum, vel operationem aliquam; ea vero, in quorum natura non est, ut se agant ad aliquem motum, vel operationem, viventia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem [1] ».

9. Ex qua argumentatione intelligitur 1° vitam non inveniri in iis omnibus, quae moventur, sed dumtaxat in iis, quae per se ipsa moventur; unde *viventia* dicenda sunt illa corpora, quae sese ab aliquo principio intrinseco ad motum determinant, et *non viventia* illa, quae ab aliquo principio extrinseco ad motum determinantur [2]; 2° motum, in quo vita consistit, late accipiendum esse, ita ut quamlibet operationem, quae a principi intrinseco operantis profiscicitur, complectatur [3].

10. Ut vero haec notio vitae evadat illustrior, advertendum est vitam posse duobus modis considerari, scilicet vel prout ipsum *esse* viventis denotat, sive, ut Scholae aiunt, *in actu primo,* vel prout operationem viventis denotat, sive *in actu secundo* [4]. Iam manifestum est in vita utroque modo considerata illud inveniri oportere, quod essentiam eius efficit, quodque, ut modo diximus, in eo positum est, ut ex se ad motum determinetur. Si priori modo consideratur, ipsa denotat, aiente s. Thoma, « substantiam, cui convenit, secundum suam

---

[1]) I, q. XVIII, a. 1 c. Cf B. Alb. M., *De vegetabilibus, et plantis*, lib. I, tract. I, c. 2.

[2]) « Inanimum enim est, ait Cicero, omne quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore, et suo: nam haec est natura propria animae atque vis » (*Somnium Scipionis*, c. 9, et *Qq. Tuscul.*, lib. I, c. 23). Quem locum ad verbum vertit e Platonis *Phaedro* (*Opp.* ed. H. S. t. III, p.245). Breviter inter Scriptores Ecclesiasticos Achilles Tatius: « Est autem animantis hoc proprium a se ipso moveri »; *Op. cit.*, c. cit., p. 340.

[3]) Breviter idem s. Thomas: « Propria ratio vitae est ex hoc, quod est natum movere seipsum; large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus dicitur. Ea omnia sine vita esse dicimus, quae ab exteriori tantum principio moveri possunt »; *In lib. II De Anim.*, lect. 1.

[4]) « Vita dicitur dupliciter: uno modo ipsum esse viventis . . . alio modo ipsa operatio viventis, secundum quam principium vitae in actum reducitur »; 1ª 2ae, q. III, a. 2 ad 1.

naturam movere seipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem [1] ». Sin posteriori modo, significat operationes, quas operans ex principio intrinseco exerit, quaeque idcirco *vitales* dicuntur; unde idem sanctus Doctor: « opera vitae dicuntur, quorum principia sunt in operantibus, ut seipsos inducant in tales operationes [2] ».

11. Illud, ex quo corpora inter viventia numerantur, *principium vitale* vocatur. Huic principio latini nomen *Anima* tribuerunt, illudque a graeca voce Ἄνεμος, quae *ventum* significat, derivarunt, vel quod animalium vitam inspirato, expiratoque aëre foveri, et conservari putarent, vel quod clarius vitae indicium in expirando, inspirandoque aëre consistit [3]. Hinc corpora viventia *animata*, et corpora non viventia *inanimata* quoque vocantur. Denique corpora viventia, seu animata *organica*, et corpora non viventia, seu inanimata *inorganica* dicuntur, quia illa organis, seu instrumentis pollent, quorum subsidio operationes vitales naturae suae consentaneas eliciunt; haec autem nullis organis instruuntur. Hinc eadem est divisio corporis in *viventia* et *non viventia*, vel *animata*, et *inanimata*, vel in *organica*, et *inorganica*.

12. Iam multa sunt capita, ex quibus corpora viventia a non viventibus discriminantur. Horum praecipua haec sunt:

Primo differunt ex *structura partium*. Nam, ut modo innuimus, corpora viventia ex partibus dissimilibus constant adeo concinnatis, ut ex iis instrumenta existant ad operationes vitales obeundas accommodata; corpora vero non viventia ex partibus conflantur, quae nullam peculiarem texturam habent. Hoc discrimen, ne nobiliores plantarum species nominemus, manifeste apparet, si ipsae *algae*, aliaeque eiusmodi plantae, quae sunt infimum viventium genus, cum ferro, sulphure, aliisque mineralibus comparentur. Secundo ex *figura*. Etenim corpora non viventia, puta *aurum*, *lapis*, et *ignis* sub qualibet figura, et vel exigua mole naturam, viresque suas retinent; sed viventia sine certa quadam figura, et mole nec existere, nec operari possunt. Tertio ex *origine et perpetuitate*. Nam corporum viventium alia ab aliis sibi similibus procreantur, et successiva sui generis propagatione perpetuantur; non viventia autem, quia omni semine carent, ideo sui simile corpus gignere non valent; quare nec per generationem originem habent, nec per successionem generationum perpetuantur, sed ex fortuito causarum diversi generis concursu efficiuntur, assiduasque vices subeunt. Quarto, ab *explicatione, et modo*

---

[1]) I, q. XVIII, a. 2 c.

[2]) Ibid. ad 2.

[3]) Vox *Anima* apud latinos non modo *ventum*, sed aërem quoque (vid. Horat. *Carm.*, lib. IV, Od. XII, v. 2 significat. Hanc ob rationem illa, quae vivunt, *spirare* dicuntur, atque anima, cum e corpore separatur, dicitur *efflari*. Idem fere valet vox Ψυχή, qua Graeci usi sunt, ipsa enim ἀπὸ τοῦ ψυχειν, *a refrigerando* originem ducit. De qua re vid. Arist., *De Anim.*, lib. I, c. 2, § 23.

se conservandi. Et sane, viventia ex vi sibi insita gradatim succrescunt, donec perfectionem sui propriam assequantur, iacturas suas per assimilationem elementorum, quae in substantiam suam convertunt, resarciunt, vitamque tandem naturali cursu amittunt; at non viventia ex se in eodem statu perseverant, nonnisi accessu novae materiae augentur, aut recessu materiae, quam habent, minuuntur, et nonnisi actione causae exterioris corrumpuntur [1].

13. Cum haec, aliaque, quae praeterivimus, capita discriminis sint inter corpora, quae viventia, et corpora, quae non viventia vulgo existimantur, liquet vehementer aberrasse cum inter veteres Taletem [2], aliosque e Ionia philosophos, Platonem [3], Stoicos [4], et Stratonem [5], tum inter recentes Tournefortium [6], ceterosque Cardani [7], et Paracelsi [8] discipulos, Cornel. Agrippam [9], Henr. Morum [10], Robinetum [11], Spinosam [12], atque inter nuperos, ne de Pantheistis Germaniae dicamus, Sprengelium [13], Vireyum [14], Schlegelium [15], Tissotum [16], aliosque, quod cunctis corporibus aliquam vitam inesse autumarunt [17]. Quorum

---

[1]) Cf de hac re P. M. Liberatore, *Del composto umano*, c. 2, vol. I, p. 35 sqq, et passim, Roma 1862.

[2]) Cf Arist., *De Anim.*, lib. I, c. 2, § 14.

[3]) *Tim.*, p. 36, ed. H. S.

[4]) Vid. Cic., *De nat. Deor.*, lib. II, c. 11, et 22; Plut.; *De placit. Phil.*, lib. I, c. 7; Laert., lib. VII, segm. 157.

[5]) Cic., *De nat. Deor.* lib. I, c. 13. De his, aliisque antiquis videsis Schmidt, *Universum et anima mundi secundum placita antiquorum* (germ.), Lipsiae 1835.

[6]) Tournefort, *Mém. de l'Acad. Royal.*, an. 1702.

[7]) *Theonoston, seu de animi immortalitate*, lib. IV, *Opp.* t. I, p. 439, Lugduni 1663.

[8]) Vid. *De pestilentiis*, lib. II, p. 348, aliaque loca, quae Degerandus citavit in *Hist. comp. de la phil.*, ed. 2, part. II, c. 5, t. I, p. 210, et 211, Paris 1847.

[9]) Agrippa de Nettesheim, *De occulta philosophia*, lib. II, c. 12-15, Antuerpiae 1531.

[10]) *Enchiridion metaphysicum*, c. 19, Lond. 1671. Hic vitam, seu principium vitale mundi, quod Agrippa, Paracelsus, aliique *archaeam* vocarunt, *principium hylarchicum* dixit.

[11]) *Op. cit.*, lib. VI, c. 1, ed cit.

[12]) *Ethic.*, Pars II, Prop. XIII. Schol., *Opp.* t. II, p. 89, ed. cit.

[13]) Sprengel, *Istituzioni di fisiologia*, trad. dal lat., Part. gener., c. 2, t. I, p. 98, Palermo 1817.

[14]) Virey, *De la puissance vitale*, Paris 1823.

[15]) Schlegel, *Philosophie de la vie*, trad. de l'allem. par Guènot, leç. VI, t. I, p. 280, Saint Cloud 1837.

[16]) Tissot, *Anthropologie spéculative*, c. 4, et 5, t. I, p. 385 sqq, Dijon 1843.

[17]) Hi Philosophi, ut ex se patet, a diversis principiis theoriam de vita universali derivarunt. Alii enim, cum pantheismum profiterentur, cunctas res mundanas vivere rati sunt, quia mundum a Deo non distinxerunt; alii vero, a pantheismo abhorrentes, admiserunt principium quoddam vitae a Deo distinctum, et, secundum plerosque, ab ipso Deo productum, quod totum mundum permeat, et pervadit. Ioan. Ba-

error, praeter ea, quae modo innuimus, ex dicendis in hac philosophiae parte omnino explodetur.

14. Corporum non viventium, prout non viventia sunt, nullae diversae species assignari possunt, quia corpora non viventia, cuiuscumque speciei sint, non aliud, quam omnis vitae negationem prae se ferunt, hoc est, non aliud, quam quod per se ipsa non moventur. At corporum viventium plures species, ut inferius videbimus, existunt, quia plures, diversaeque sunt operationes vitae, et plures, diversaeque facultates, quibus ipsae exercentur. Quamobrem nos primum de natura et proprietatibus corporum non viventium, sive inanimatorum in universum; deinde de natura, et proprietatibus singulorum generum viventium disseremus.

ARTICVLVS SECVNDVS

Systema atomicum, seu mechanicum de elementis corporum exponitur, et refellitur

15. Naturam, seu substantiam corporis nosse volentibus in eo adlaborandum nobis est, ut principia essentialia investigemus, ex quibus corpora constant, quaeque *elementa* corporis vocantur. Cuius rei ratio est, quod corpora, omnibus fatentibus, sunt substantiae compositae, et substantia cuiuslibet rei compositae in principiis, quae ipsam efficiunt, posita est.

16. De natura elementorum, ex quibus corpora componuntur, diversae sunt Philosophorum opiniones. Atque in primis nonnulli veteres, et recentes, cum hanc investigationem, sola experientia duce, instituendam esse sibi persuasissent, eo pervenerunt, ut omne corpus ab aliis exiguis corporibus, quae *atomos* vocarunt, dumtaxat componi decernerent; unde eorum de hac re doctrina *systema atomicum*, seu *atomismus* dicta est.

17. Atomismum inter veteres post Leucippum [1], et Democritum [2] Epicurus propugnavit, cuius haec fuit sententia : Principia corporum sunt corpuscula *atoma*, nempe insecabilia, quae, quamvis partes habeant, in illas tamen dividi nequeunt [3], eaque ita exigua, ut omnem

---

yer, quem nonnulli secuti sunt, ad id probandum capite secundo *Genes.* (v. 2) abusus est in op. *Physices ad lumen divinum reformatae synopsis*, p. 29, Lipsiae 1633.

[1]) Arist., *De gen. et corr.*, lib. I, c. 8.

[2]) Vid. eius *Fragmenta* apud Ad. Frank, *Fragmens qui subsistent de Democrite*, *Mém. de l' Acad. Roy. de Nancy*, 1836, et Mullach, *Democriti Abderitae Fragmenta* etc., Lipsiae 1843. Praeter multos, qui post Magnenum (*Democritus revivi-scens, seu Vita et Philosophia Democriti*, Papiae 1846) philosophiam Democriti illustrarunt, legere licet Ritterum, art. *Democritus* in *Lexico* Ersch, et Gruber (germ.), Lipsiae 1833.

[3]) Corpuscula, ex quibus corpora componuntur, dicta atomi sunt, non quia exigua

oculorum aciem effugiant, figuraque, magnitudine, gravitate, aliisque qualitatibus praedita, quae quantitatem consequuntur. Iam corpora ex atomorum concursu, commixtione, et compositione gignuntur, eo quod, cum atomi per inane vagentur, similes cum similibus cohaerent; corrumpuntur vero, cum atomi, ex quarum coniunctione effecta sunt, dissociantur; alterantur denique, si dispositio atomorum in ipsis quodammodo turbetur [1]. Epicuri doctrinam, quae suis non caruit fautoribus [2], omnino emortuam inter recentes Gassendus exsuscitavit [3], eamque magna ex parte Cartesius [4], et post eum diversa ratione Newtonus longe celebriorem reddiderunt [5]. Neque deest theo-

---

sunt, quemadmodum nonnulli existimant; sed quia in partes, ex quibus reipsa constant, dividi nequeunt (cf Plut., *Op. cit.*, lib. I, c. 3). Enimvero vox ἄτομος (lat. *atomus*) componitur ex α privativo, et τέμνω, *seco*.

[1]) Praeter fragmenta Democriti iam citata legere licet ea, quae Aristoteles in libris *Nat. Auscult.*, *de Generat. et Corrupt.*, *de Coelo*, ceterisque, et deinceps Laertius, (lib. X, segm. 41 sqq), Plutarchus, (*De Placit. Phil.*, lib. I passim), aliique tradiderunt.

[2]) Cf Lafaist, *Dissert. sur la philosophie atomistique*, Paris 1833, et Swellengrebel, *Veterum de elementis placita*, c. 3, p. 47 sqq, Traiecti ad Rhenum 1844. Leucippus, omnium primus, teste Laertio (lib. IX, segm. 30), atomos esse principia corporum dixit.

[3]) *Syntagma phil.*, pars II, *Phys.*, sect. I, lib. III, c. 8, *Opp.* t. I, p. 280 sqq, Lugduni 1658. Nisi quod duo, utpote Fidei Catholicae repugnantia, reiecit, nempe atomos increatas, per sese mobiles, et temere in vacuo volitantes, atque mundum ex fortuita atomorum concursione genitum.

[4]) Eius sententia huc redit: 1° Deus sub initium rerum ingentem massam materiae, eamque in particulas proxime inter se aequales, ac, ne ullum vacuum esset, cubicas divisam creavit. 2° Hisce innumeris particulis duplicem motum indidit: unum, quo circa se ipsas volverentur; alterum, quo plures illarum coniunctae circa centrum commune moverentur, pluraque idcirco centra constituerent. 3° Ex priori motu, confractis, contritisque cubicarum particularum angulis, tria inde materiae genera effecta sunt; scilicet una *subtilis*, ac *ignea*, veluti scobs, qua omne vacuum oppletur; altera *globosa*, ac *aetherea*, quae ex angulis particularum cubicarum abrasis enata est; tertia *crassa*, ac *terrestris*, quam particulae irregulares, diversisque figuris praeditae, ac ad motum minus aptae cómponunt; ex posteriori autem motu tot *vortices* enati sunt, quot centra plures particulae simul constituerunt. 4° A primo genere materiae ortum habuerunt *sol*, et *stellae fixae*; a secundo *coelum*; a tertio denique *terra cum planetis, et cometis* (vid. *Les princ. de la phil.*, Part. 3ª, § 44 sqq, et *Traité du monde*, § 8-10). Cartesius initio hanc suam *cosmogoniam*, sive theoriam *de origine mundi*, veluti meram hypothesim proposuit (*Les princip. de la phil.*, Part. 3ª, § 44); sed paulatim eo provectus est, ut ipsam pro historia de origine mundi unice vera haberet; *Op. cit.*, Part. 4, § 206.

[5]) Newtonus in origine mundi explicanda ab Epicuri, et Gassendi placitis non longe discessit. Etenim 1° docuit Deum particulas materiae, ex quibus corpora constituenda erant, adeo duras, omnisque meatus expertes creasse, ut nec deteri possent unquam, nec minui, praetereaque iis magnitudinibus, figuris, et proprietatibus pollentes, ut rationi spatii responderent, in quo futurum erat, ut moverentur, finesque sibi statutos assequerentur. 2° Quoniam adeo durae sunt particulae, ex quibus cor-

riae atomorum in hac nostra aetate patrocinium ; nonnulli enim, ceteroquin praeclarissimi, Physici omnem varietatem corporum non ab aliis principiis repetunt, quam ab atomis, et a motu exteriori, quo atomi pelluntur [1]. Quandoquidem recentes [2] post Gassendum non alium motum, nisi exteriorem, seu *mechanicum* [3] atomis concedunt; systema, quo ipsi productionem corporum explicant, *mechanicum* quoque audiit.

18. At theoria systematis atomici, quocumque modo exponatur, prorsus absurda est. Id, caeteris omnibus omissis, evinci potest ex duplici capite, quod atomi sive considerentur in se, sive prout ad effectionem corporum, secundum Atomicos, concurrere debent, principia constitutiva corporum esse nequeunt.

19. 1° Atomi, si in se spectentur, principia constitutiva corporum esse non possunt. Namque atomi, ipsis Philosophis, contra quos pugnamus, docentibus, *magnitudine*, et *figura* pollent. Atqui quidquid magnitudinem, et figuram habet, ex partibus conflatur, quia id, quod est *magnum*, seu *quantum*, ex partibus ipsum integrantibus efficitur [4], et *figura* non aliud est, nisi dispositio partium [5]. Ergo atomi ex partibus conflantur [6]. At vero principia *constitutiva*, sive *intrinseca* corporum ex partibus constare repugnat [7]. Nam principia constitutiva

---

pora constituta sunt, inde confecit corpora non posse disrumpi ex eo, quod eorum particulae franguntur, sed ex eo tantum, quod separantur, proindeque omnes corporum mutationes per varias solummodo separationes, novasque coniunctiones particularum durabilium fieri. 3° Denique asseruit particulas illas primigenias, praeter vim inertiae, quam habent, motum perpetuo accipere *a quibusdam principiis actuosis*, cuiusmodi sunt, *gravitas, et causa fermentationis, et cohaerentiae corporum*. Cf *Optices*, lib. III, q. 31, ed. cit.

[1]) Huius atomismi cl. P. Secchium e S. I. (Secchi, *L'unità delle forze fisiche*, Roma 1864) fautorem esse P. Cornoldi eiusdem S. I. modo ostendit in egregio opusculo, quod, dum has plagulas corrigebamus, in nostras manus incidit, *I sistemi meccanico, e dinamico circa la costituzione de' corpi*, Verona 1864.

[2]) Recentes, inquimus, quia veterum Atomicorum sententia non satis explorata est. P. Cornoldi, modo laudatus, censet (*Opusc. cit.*, c. I, § 7) Democritum, et Epicurum in ea sententia versatos esse, quod motus atomis extrinsecus adveniret. At res aliter se habere nobis videtur, quippe quod Cicero cum alibi, tum maxime in libro *De Fato* (c. 10, et 20, ed. cit.) saepe inculcavit motus, ex Democriti, et Epicuri sententia, esse *naturales* atomis, eosque non posse ab ulla exteriori causa turbari.

[3]) Notum est motum a Physicis dici *mechanicum*, cum a vi exteriori in corpore producitur, et *physicum*, cum a vi ipsi corpori insita proficiscitur.

[4]) Cf p. 130.

[5]) Cf vol. I, *Log.* pars I, c. I, art. 4, p. 62.

[6]) Hoc defensores atomismi non negant, quippe qui, ut modo vidimus, tradunt atomos esse vera, germanaque corpora, licet *perexigua*, atque *insecabilia*.

[7]) « Oportet enim, Aristoteles ait, principia nec ex se invicem esse, nec ex aliis, et ex ipsis esse omnia » (*Nat. Ausc.*, lib. I, c. 3). Idem Plato inculcavit (vid. *Parmenid.*, et *Phaedr.*). Et sane, si non omnia *ex ipsis* constituerentur, non forent pri-

corporum debent esse prima ; id autem, quod ex partibus componitur, non est primum principium [1], sed, ut Scholae aiunt, *principiatum*, quia partes, ex quibus componitur, principia ipsius sunt [2], et repugnat quidquam esse simul *principium*, et *principiatum*. Atomi igitur, si in se spectentur, principia constitutiva corporum esse nequeunt. Revera, atomi, uti a nupero Philosopho observatum est [3], admitti possunt in chymia veluti limes, ultra quem analysis chymica non progreditur ; verum in metaphysica veluti principia constitutiva corporum haberi non possunt, quia, cum ipsae quoque ex partibus componantur, in metaphysica adhuc quaerendum est, quo modo formentur, et usque eo quoad intellectu resolvi possint.

20. 2° Atomi, quacumque ex parte considerentur, corpora constituere non possunt. Principio haud possibile est, quemadmodum multi post Lactantium [4] observarunt, atomos, quaecumque esse dicantur, inter se ita cohaerere, ut corpus constituant. Nam, cum Epicurus, aliique veteres Atomici, tum Gassendus, eiusque sectatores docent atomos inter se coire, et corpora constituere ex eo quod duplici motu, scilicet *ad perpendiculum*, et *ad declinationem*, sive, ut aiunt, *perpendiculari*, et *declinatorio* pollent. Non aliud inter veteres, et Gassendum, aliosque recentes intercedit, quam quod illi duplicem motum, quem diximus, atomis per se inesse, hi vero a Deo ipsis inditum esse arbitrantur. At duplici illo motu, ut iam adversus Epicurum Tullius advertit, explicari non potest, quomodo atomi ad corpora constituenda coire queant. Non motu ad perpendiculum. Nam, si gravitate feruntur ad perpendiculum atomi, evenit profecto, ut una alteram perpetuo insectetur, sed fieri nunquam potest, ut una alteram contingat, quia omnes eadem vi deorsum feruntur. Nec motu ad declinationem. Etenim declinatio atomorum non aliter fieri posset, quam si una atomus ab alia depelleretur. Atqui hoc haud possibile est; nam, quoniam atomi, ut modo ostendimus, ob motum ad perpendiculum, quo pollent, sese contingere non possunt, fieri nequit, ut una aliam depellat [5]. Ergo motus ad declinationem atomis inesse

---

ma omnium principia; si essent *ex aliis*, ne ullius quidem rei prima principia essent, quia principia illis priora darentur; si demum *ex se mutuo* essent, non omnia essent prima principia. Hinc liquet ea, quae ex partibus constant, cuiusmodi sunt atomi, non posse esse principia constitutiva corporum, quia ea, quae ex partibus constant, *ex aliis* sunt.

1) Hinc s. Thomas inquit: « Non omne principium est primum principium » ; I^{a} 2^{ae} q. VI, a. 1 ad 1.

2) « Nomine principiati, ait idem sanctus Doctor, non utimur, nisi in his, quaesunt constituta in esse per principium » ; *In lib. III Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 1 ad 5.

3) P. Gius. Romano d. C. d. G., *La scienza dell'uomo interiore, e delle sue relazioni con la natura, e con Dio*, Cosmol., Part. I, c. 2, § 24, t. IV, p. 37 sq, Napoli 1849.

4) *De ira Dei*, c. 10, ed. Gallaeus, Lugd. Batav. 1660.

5) Cf Cic., *De Fato*, c. 10, et 20, ed. Ernesti, Rotterodami 1804.

nequit; tantum abest, ut per ipsum atomi ad corpora constituenda coire queant.

21. Ceterum, etsi Atomicis detur atomos posse se contingere, ipsi ne rationem quidem reddere possent, quomodo atomi corpora constituant. Et sane omne corpus quadam unitate per se, et proprie dicta gaudere debet, ita ut, dum ipsum in partes divisibile est, actu sit indivisum, sive per se unum [1]. Iam huiusmodi unitas in corpore ex contactu atomorum effici non potest, quia contactus quidem congeriem, seu multitudinem atomorum efformare valet, sed efficere nequit, ut illa multitudo atomorum unicum individuum constituat, quia congeries multarum rerum constituit unum *per accidens*, non vero *per se*, cuiusmodi est corpus [2]. Hinc necesse est, quemadmodum Leibnitius advertit, esse in corpore, praeter extensionem, aliquam vim privativam [3], hoc est, aliquod principium simplex, quod partes eius complectatur, atque ad unitatem reducat. Atqui atomismus hanc vim, uti ex dictis intelligitur, non admittit, neque atomis aliud, nisi motum ad perpendiculum, et ad declinationem concedit. Ergo ex contactu atomorum effici nequit illa unitas, seu actualis indivisio, sine qua corpus intelligi non potest [4].

22. Praeterea, ut ab eodem Lactantio antiquis Atomicis obiectum fuit [5], si atomi primordia rerum esse dicantur, intelligi non potest, unde diversae naturae rerum existant, et quomodo generatione perpetuentur. Et sane dubitari non potest, quia res naturales et secundum substantiam differant, puta homo a bellua, bellua a planta, plantaque a lapide, et secundum substantialem generationem perpetuentur. Iamvero ex fortuita atomorum coitione, et conglobatione nullam in rebus substantialem diversitatem produci, nullamque novam substantiam generari posse manifestum est. Namque atomi, antiquorum, recentiumque Atomicorum iudicio, eaedem secundum substantiam sunt, nec nisi motu, figura, situ, aliisque huiusmodi differunt, quae sunt mera accidentia. Atqui accidentia nec diversitatem substantialem in rebus, nec ullam novam substantiam efficere possunt, quia

---

[1]) Ad rem s. Augustinus: «Nihil est esse, quam unum esse»; *De mor. Man.*, lib. II, c. 6; cf p. 57.

[2]) « Fit unum, ait s. Thomas, ex multis . . . ordine, et compositione. Sed hi duo modi non competunt ad constitutionem unius naturae ex pluribus » ; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 35.

[3]) *Lettre à un ami sur le cartesianisme*, p. 123, ed. Erdm.

[4]) Leibnitius (*Système nouveau de la nature* etc., p. 124) scripsit se ex eo, quod in atomis principia verae unitatis non inveniri vidit, permotum esse ad reiiciendam doctrinam de atomis, et vacuo, quam initio amplexus fuerat. Legesis ea, quae contra doctrinam atomorum disseruit *Remarques sur la perception réelle, et substantielle du Corps, et du Sang de Notre Seigneur*; *Opp.* ed. Dutens, t. I, p. 30, Genevae 1768.

[5]) *Op. cit.*, ibid.

in effectu nequit plus contineri, quam in perfecta, et completa causa eius continetur. Ergo, si ex atomis omnia efficerentur, haud possibile foret explicare, unde diversae naturae rerum existant, et quomodo generatione perpetuentur.

23. Ceteras atomismi noxas praeterimus, quippe quod ipse, ne de antiquioribus Patribus dicamus, a Lactantio, et s. Augustino, qui illum, perinde ac Lactantius, saepe vexavit, ne refutatione quidem dignus est habitus. Re vera ille inquit : « et quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui haec putet refellenda [1] » ; hic dein : « Sed iam pudet me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint etiam defendere, non iam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cuius aures haec ferre potuerunt [2] ».

ARTICVLVS TERTIVS

De systemate chymico

24. Ad systema *atomicum* facile revocari illud potest, quod *chymicum* [3] vocatur.

Huius praecipua capita haec sunt : 1° Corporum sensibilium alia dicuntur *simplicia*, alia *mixta*, seu composita. Simplicia sunt, quae in alia corpora *heterogenea*, seu diversae naturae, adhuc resoluta non sunt, puta *hydrogenium*, et *ferrum* ; mixta autem ea, quae in corpora *heterogenea* resolvuntur, puta *aqua*, aut *lignum* ; unde haec ex simplicibus diversae naturae componuntur, illa non item. 2° Cuncta corpora, sive simplicia, sive mixta in partes dividuntur, quae, si sint homogeneae, nempe eiusdem naturae, dicuntur *moleculae integrantes* quia corpus ab ipsis integrum efficitur, sin heterogeneae, nempe diversae naturae, *moleculae constituentes* vocantur. E. g., in aqua moleculae, ex quibus massa visibilis aquae constat, sunt *integrantes*, et moleculae *hydrogenii*, et *oxygenii* sunt *constituentes*, quia ab harum copulatione natura aquae efficitur. 3° Vis, qua moleculae integrantes uniuntur, *cohaesio* audit, et vis, qua moleculae constituentes coniunguntur, *affinitas chymica* vocatur. Utraque ab officio, quo fungitur, nomen attractionis *molecularis* sumit, atque haec ab attractione universali fortasse distinguenda est. 4° In corpore simplici non aliae moleculae inveniuntur, quam integrantes, sed in corpore mixto tum integrantes, tum constitutivae, quia in ipso et massa visibilis eius, et simplicia diversi generis, ex quibus natura ipsius efficitur, conside-

---

1) *Op. cit.*, ibid.

2) *Epist.* CXVII, c. 4, n. 31.

3) *Chymicum* dictum est a verbo χύω, vel χέω, *fundo*, quia Chymici, praesertim ope calorici, et electrici, corpora mixta fundunt, eaque hoc pacto in corpora simplicia, ex quibus constant, resolvunt.

rari possunt. Ita in hydrogenio non alias moleculas, quam partes ipsius hydrogenii, nanciscimur ; ast in aqua cum partes aquae, tum duo corpora simplicia, nimirum hydrogenium, et oxygenium invenimus. 5° Ultimae particulae, ad quas in divisione molecularum integrantium pervenitur, quaeque humana arte insecabiles sunt, *moleculae*, aut *atomi primitivae* dicuntur. His positis, faut ores systematis chymici decernunt 1° corpora esse quasdam coagmentationes substantiarum compositarum, quia, cum atomi non sint in alio, tamquam in subiecto, partesque habeant, verae substantiae corporeae sunt ; 2° diversitatem corporum ex diversitate molecularum constituentium enasci.

25. Hoc systema ab atomico, ut patet, duplici ex capite maxime differt. Namque in primis systema atomicum repetit diversitatem corporum a diversitate figurae, aliorumque accidentium, quibus atomi inter se differunt, vel a diversis modis, quibus atomi aggregantur; systema autem chymicum a diversis naturis simplicium, ex quibus mixta efformantur. Praeterea systema atomicum, eo saltem modo, quo a recentibus propugnatur, atomos omni vi sibi insita expoliat, corporaque ex ipsis nonnisi per motum exteriorem componi statuit [1] ; at systema chymicum in moleculis quandam vim *cohaesionis*, aut *affinitatis* agnoscit, quae *molecularis* vocatur. Systema chymicum, praeter multos chymiae cultores, duo Patres e S. I. Romanus [2], et Tongiorgius [3] hodie dilucide exponunt, et propugnant, neque ab ipso p. Ramiereus ex eadem S. I. multum abhorrere videtur [4].

26. Hoc systema non minus, quam atomismus, a veritate alienum est. Et sane methodus, quam Chymici ad corporum elementa indaganda adhibent, ad quaestionem, de qua agimus, exsolvendam non est accommodata. Nam Chymici non aliis mediis utuntur, quam *analysi*, et *synthesi*, seu resolutione, et compositione, quae chymicae dicuntur. Enimvero ipsi primo corpus mixtum in alia *resolvunt*, quae amplius resolvere non valent, quaeque idcirco *simplicia* vocant ; deinde melius perspecturi, num ex his simplicibus corpus componatur, simplicia, ad quae in resolutione mixti pervenerunt, *componunt*, et, si ex

---

[1]) Re vera P. Secchi, quem atomismo favere vidimus (p. 210, not. 1), admonuit (*Op. cit.*, c. 1, § 14) se voces *affinitatis*, *attractionis*, aliasque eiusmodi adhibere, ne a consueta loquendi ratione recederet, sed ipsas nonnisi *metaphorice*, seu translate accipere, quia proprie sumtae non aliud denotant, nisi figmenta, sive, ut scholae aiunt, *entia rationis*. E re autem fore dixit, si illis cunctis vocibus unica vox *motus* substitueretur.

[2]) Cf *Op. cit.*, *Cosmol.*, part. I, c. 2, n. 36 sqq, t. IV, p. 58 sqq.

[3]) Tongiorgi, *Inst. phil.*, *Cosmol.*, c. 2, art. 5, t. II, p. 232 sqq, Bruxelles 1862.

[4]) Ramière, *La matière, et la forme*, art. 2, in Ephem. *Revue des sciences ecclésiastiques*, t. IX, p. 337 sqq, Paris Octob. 1864. Hic profitetur quidem se non magis systemati *chymico*, quam systemati scholastico *de materia, et forma* favere ; sed re ipsa ita disserit, ut ad systema chymicum propendere manifeste prodat.

horum compositione mixtum rursus efformari vident, illa simplicia esse huius mixti elementa statuunt [1]. Iamvero manifestum est simplicia, ad quae analysis, seu resolutio chymica desinit, esse ipsa quoque corpora [2], quae a mixtis non alia ex causa differunt, quam quod minus composita sunt, atque ob minorem compositionem partium analysi chymica resolvi nequeunt, sed dumtaxat actione mechanica in partes minutiores secari possunt. Atqui elementa, de quibus quaestio est, nempe principia constitutiva corporum esse ipsa quoque corpora repugnat, quia, si quodlibet elementum est per se corpus, non potest concurrere ad constituendam aliquam rem, prout haec est corpus [3]. Patet igitur methodum, qua Chymici ad indaganda elementa corporum utuntur, ad quaestionem de principiis constitutionis corporis resolvendam non esse opportunam. Accedit, quod huiusmodi quaestio non ad chymiam, aut ad aliam, quaecumque sit, specialem scientiam naturae, sed ad metaphysicam spectat. Nam chymia, quoniam, perinde ac ceterae speciales scientiae naturales, intra experientiae fines sese continet, non aliam compositionem in corporibus spectare potest, nisi quae ex coniunctione simplicium efficitur, quia haec dumtaxat experientiae subiicitur. Verum quaestio de principiis constitutivis corporis, de qua agimus, ad essentiam corporis definiendam spectat, et quoniam cognitio essentiarum, ut vidimus [4], ab experentia quidem proficiscitur, sed nonnisi ratiocinatione solvi potest [5], ipsa ad metaphysicam pertinet [6].

---

1) Hinc chymia dicta quoque est *Spargyrica* a vocibus σπάω, *extraho*, seu *resolvo*, et ἀγείρω, *congrego*, seu *compono*; vid. Vossium, *Etymol.*, h. v.

2) S. Thomas elementa corporum, licet simplicia, corpora vocavit. Enimvero elementa definivit: « corpora, in quae alia resolvuntur, ipsa vero non resolvuntur in alia » (*In lib. III de Coel.*, lect. VIII), eaque, periude ac corpora mixta, quae ab ipsis componuntur, ex materia, et forma componi dixit. « Elementorum corpora, scribit, sunt simplicia, et non est in eis compositio, nisi materiae, et formae »; *Cont. Gent.*, lib. III, c. 23.

3) Rationem discito a s. Thoma: « Quidquid consequitur ad esse perfectum, non est constitutivum illius rei »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, q, 1, a. 2 *sol.*

4) Vid. vol. I, *Dynam.* passim.

5) Hac in re dissentientes non habemus nobiliores Chymicos; hi enim non intimae naturae corporis notitiam tradere, sed ea tantum, quae analysi chymica, aut divisione mechanica detegunt, exponere profitentur.

6) Quod quidem ab ipsis Scholasticis observatum est. Ipsi enim, cum, secus ac Atomici, et Chymici, principia, quae naturam rei constituunt, ab elementis corporum accurate distinguerent, illa invenienda esse ratiocinatione, haec analysi, et synthesi opinati sunt. Vid. prae ceteris s. Thom., *In lib. De Coelo*, lect. VIII. Idem sanctus Doctor compositionem per essentiam, quae ratione invenitur, a compositione per mixtionem, quae experientia patescit, luculenter discriminavit hoc in loco: « Aliquid venire in compositionem alicuius contingit dupliciter: aut per essentiam suam, per modum principii materialis, et formalis. . . .; aut per mixtionem, sicut ex elementis efficitur mixtum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, q. III, a. 1 *sol.*

27. Praeterea simplicia, ad quae analysis chymica corporis pervenit, non *actu*, seu per proprium principium formale in corpore existunt, sed per aliud principium formale in novam, ac unicam substantiam corpoream transmutantur. Atqui, si ita res est, liquet simplicia chymica, prout in corpore existunt [1], non esse, nisi principium materiale, seu, ut quoque aiunt, *passivum* corporis, opusque eis esse aliquo principio formali, seu *activo*, ex quo ad corpus constituendum determinantur. Ergo elementa chymica per se non constituunt corpus mixtum, sed dumtaxat sunt huius principium materiale. Propositio huius argumenti, quam P. Romanus, alique negant [2], demonstratur hoc duplici argumento: 1° Exploratum est Chymicis alias esse vires, proprietatesque corporum simplicium, cum seorsum existunt, alias vero corporis mixti, quod ex illis componitur [3]. Atqui differentia rerum, et proprietatum nonnisi ex diverso principio, quod rerum naturam determinat, oriri potest, siquidem a natura vires, et proprietates proficiscuntur. Ergo aliud est principium, quod determinat naturam singulorum simplicium, ex quibus mixtum componitur, cum seorsum existunt; aliud autem principium, quod determinat naturam illorum, cum in mixto existunt [4]. Quandoquidem autem principium, quod rei naturam determinat, substantiam illius efficit, liquet simplicia in mixto non inveniri *actu*, hoc est, per propriam formam, sed per aliud principium formale, ex quo in novam unicam substantiam transmutantur. Apposite s. Thomas: « Quae miscentur, mixtione iam facta, non manent actu, sed virtute tantum; nam, si actu manerent, non esset mixtio, sed confusio tantum; unde corpus mixtum ex elementis nullum eorum est [5] ». 2° Exploratum etiam est

---

[1]) De hac re plura inferius.

[2]) Romano, *Op. cit.*, vol. cit., p. 57, et Tongiorgi, *Op.* cit., vol. cit., p. 238.

[3]) « In mixto, inquit Aquinas, impediuntur qualitates unius elementi per qualitates alterius » *(Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 7, c. 1). Idem sanctus Doctor (Opusc. XXXII *De mixtione elementorum*), enumeratis sententiis aliorum de modo, quo qualitates elementorum sunt in mixto, pro viribus tuetur qualitatem corporis mixti esse aliam, ac qualitates elementorum simplicium, atque has illa contineri *virtute*, hoc est, quia nova qualitas corporis mixti qualitates elementorum simplicium *eminenter* continet. Cons. Ferrariensem, *In lib. III Cont. Gent.*, c. 56.

[4]) Hoc adversus Averroem s. Thomas luculenter inculcavit, probavitque hoc modo: « Averroes *in III lib. De coelo* dicit, quod formae elementorum sunt mediae inter formas accidentales, et substantiales, et quod recipiunt magis, et minus, et sic formis elementorum remissis, et quodam modo ad medium redactis, quodam modo fit mixtio. Sed hoc non est possibile . . . , nam forma substantialis est terminus quidam esse specifici, unde in indivisibili est ratio formae, sicut ratio numeri, et figurae; nec est possibile, ut intendatur, vel remittatur, sed omnis additio, vel subtractio facit aliam speciem »; *Quodlib.* I, a. 6 ad 3. Cf I, q. LXXVI, a. 4 ad 4.

[5]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 56, n. 2; cf *ibid.*, lib. IV, c. 35. Hinc *mixtionem* definivit *miscibilium alteratorum unionem* (*In lib. II Sent.* Dist. XVII, q. III, a. 1 *sol.*, et *In lib. I De gener. et corrupt.*, lect. XXV; cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist.

moleculas simplicium in mixto ita se permeare, ut in nullo vel minimo spatio una sine altera inveniatur. Puta in quolibet puncto spatii aliqua particula aquae, sed non aliqua atomus oxygenii, vel hydrogenii existit. Atqui hoc explicari ex eo nequit, quod illae moleculae inter se compenetrantur; quaelibet enim molecula corporum simplicium corpus est, corpora autem inter se compenetrari naturaliter non possunt. Ergo dubitare nefas est, quin simplicia non sint per propriam formam in mixto sed omnia per novum principium formale in novam, atque unicam substantiam corpoream transmutentur [1].

ARTICVLVS QVARTVS

De systemate dynamico

28. *Dynamicum* vocatur systema illorum Philosophorum, qui, cum, deserta experientia, quaestionem de natura elementorum, solius rationis ope, hoc est, *a priori* resolvendam suscepissent, decreverunt unumquodque corpus conflari ex substantiis simplicibus, quae *monades*, sive *unitates* nuncupantur.

29. Hoc de natura elementorum systema, cuius vestigia in philosophia Pythagorae inveniuntur [2], Leibnitius in recenti aetate ex industria exposuit, et propugnavit [3]. Ipse, quoniam pro certo habuit non posse dari ullam substantiam compositam, sed omnem substan-

---

VIII, pars 2, dub. 5), illud porro adnotandum est, cum sanctus Doctor docuit elementa in mixto manere virtute, non hoc sibi voluisse, quod *potentialiter* in eo sunt, et non *actu*, sed quod illorum qualitates tantummodo *virtualiter* remanent. « Ad hoc ut sit mixtio, ait, necessarium est, quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem, ut prius; sunt enim corrupta quantum ad formas, et remanent quantum ad virtutem »; *In lib. I De gener., et corrupt.*, lect. XXV.

[1]) Ad rem s. Thomas: « Commixtum ex duobus neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum »; 3, q. LXXVII, a. 8 c. Cf *Quodlib.* cit., ibid.; et I, loc. cit.

[2]) Quin Pythagoras docuerit, numeros esse principia, ex quibus omnis universitas rerum componitur, dubitare non sinunt, praeter Aristotelem (*Met.*, lib. XIII, c. 3, § 2), aliosque ethnicos, in primis Sext. Empiricum (*Pyrrh. Hyp.*) lib. III, c. 18, sect. 152 sq, et *Adv. Math.*, lib. X, sect. 248 sqq), s. Iustinus (*Ad Graec. Cohort.*, c. 4), et s. Irenaeus (*Adv. haeres.*, lib. II, c. 14, n. 6, ed. Massuet). Verum disputatur, num eius numeri cum *monadibus*, seu unitatibus Leibnitii consentiant. Asserentem opinionem, quae valde probabilis est, Sigism. Gerdil erudite defendit in suo Op., *Introduzione allo studio della religione*, lib. II, § 5, *Opp.*, t. II, p. 147 sqq, Napoli 1853.

[3]) Leibnitius, ut diximus (p. 212, not. 4), principio systema mechanicum amplexus fuerat; deinde, cum illud argumentis metaphysicis confirmari non posse advertisset, ad systema dynamicum se convertit; denique, hoc etiam, ut inferius videbimus, magna ex parte relicto, ad theoriam scholasticam de materia, et forma tandem devenit.

tiam esse simplicem [1], mordicus pertendit principia, seu elementa corporum esse substantias simplices, et corpora non aliter esse substantias compositas, quam quod sunt complexiones substantiarum simplicium. Hinc substantias simplices, ex quibus corpora efficiuntur, *monades*, nempe unitates vocavit, quia sicut unitas est indivisibilis, et principium numeri, qui ex unitatibus componitur, ita substantiae simplices sunt indivisibiles, et principia corporum, quae ex substantiis simplicibus componuntur. Quomodo autem plures monades ad corpus efficiendum concurrant, explicuit hoc modo: Monades, ex quibus quodlibet corpus constat, 1° utpote simplices nec extensionem, et figuram habent, nec spatium occupant, nisi fortasse punctum. 2° Sunt dissimiles, quia duae res similes dari nequeunt [2], atque infinitae in qualibet particula corporis, quia materia est in infinitum divisibilis [3]. 3° Repraesentatione totius mundi gaudent, quia haec essentiam cuiuslibet monadis constituit, sed quoniam monades, ex quibus corpora componuntur, infimum gradum entium tenent, repraesentatio totius mundi in ipsis est obscura, et confusa, hoc est, sine conscientia, perinde ac est in anima nostra, dum in profundo somno versamur, aut in deliquium labimur [4]; ex quo consequitur mundum universum vivere, vel, si mavis, esse collectionem viventium. 4° At monades, si conscientia, sive apperceptione perceptionis universi carent, appetitu, nempe principio intrinseco activitatis pollent, ex quo omnes mutationes in ipsis fiunt. 5° Quandoquidem monas non potest quidquam in aliam monadem agere, sed actio cuiusque monadis in ipsa monade manet, consequens est monades non posse ad corpus efficiendum aggregari ex mutua in se ipsas actione, sed opus esse aliqua causa exteriori, ex qua congregentur. 6° Causa, ex qua monades congregantur, est Deus, quia Deus monades ita inter se coniunxit, ut internae mutationes cuiusque monadis cum mutationibus internis omnium aliarum conspirent, atque hoc pacto, quamvis aliae in alias nihil agant, tamen aliae ab aliis determinari videantur [5].

---

[1]) Cuius ratio, Leibnitii iudicio, in eo posita est, quod, quidquid est compositum, ex simplicibus componatur necesse est, quippe quod, si componentia essent ipsa quoque composita, rursus componentia uniuscuiusque horum quaerenda essent, atque hoc modo progressio in infinitum fieret. Iam, quoniam simplicia, ex quibus compositum conflatur, non possunt esse, nisi substantiae, consequens est omne compositum ex complexione substantiarum simplicium constitui, proindeque non dari ullam substantiam compositam, sed omnem substantiam esse simplicem (cf Leibnit., *Principes de la nature, et de la grace*, § 1, p. 714, et maxime ea, quae Wolfius pro hac theoria Leibnitii disseruit in *Ontol.*, pars II, sect. II, c. 1, § 686, et c. 2, § 789-794, ed. cit.). Sed de principio, ex quo Leibnitius ad substantias compositas tollendas permotus est, alias disseremus. — [2]) Cf p. 66.

[3]) Cf 4me *Lettre à Clarke*, p. 758; *Ad R. P. Des Bosses, Epist.* XVI, p. 636, et 667; *Réponse à la lettre de Foucher*, p. 118, ed. Erdm.

[4]) Cf vol. I, *Dynam.*, c. III, art. 7, p. 333.

[5]) Cf, prae multis aliis locis, *Lettres à Mons. Arnauld sur la métaphysique*, *et*

30. Quandoquidem hoc systema romanensi fabellae simillimum est, ut mox videbimus, Wolfius, et plerique Leibnitiani multa illius placita reiecerunt. Hi enim elementa corporum esse simplicia non negarunt, sed voluerunt ea praedita esse vi motrice activa, qua singula in singula agunt, a singulisque in singula reagitur, ob eamque mutuam aliorum in alia actionem et secum copulari, et, ne sese penetrent, praepediri [1]. Verum Boschovichius e S. I. doctrinam leibnitianam de monadibus adeo perpolivit, ac concinnavit, ut multos ad illam amplectendam pertraheret. Cl. Auctor, aliter ac Leibnitius, contendit, 1° materiam non esse divisibilem in infinitum; 2° monades in quolibet corpore esse procul dubio innumeras, sed non infinitas; 3° monades, ex quibus corpora componuntur, perceptione, atque appetitu non gaudere. Modum vero explicaturus, quo monades ad efficienda corpora secum copulantur, quin sese penetrent, in ipsis vim attractricem simul, et repultricem agnovit, qua monades certis intervallis disiunctae in se mutuo agunt, et pro horum intervallorum ratione sese modo ad mutuum accessum, modo ad mutuum recessum determinant. In maioribus intervallis fere sola attractio agit, unde phaenomena gravitatis oriuntur; in minoribus vero alternae sunt vices accessus, et recessus; imminutis denique in infinitum intervallis, in infinitum crescit vis repultrix, ita ut omnem contactum in natura excludat. Cohaesio autem elementorum ex eo efficitur, quod monas, cum a repulsione ad attractionem transit, in limites quosdam incidit, quos cum praetergredi nequeat, nec accedere amplius, nec recedere potest [2]. Res per Wolfium, Boschovichium, aliosque sensim eo devenit, ut fere omnes fautores simplicitatis monadum docerent elementa corporum, secus ac Leibnitio visum fuerat, pollere vi activa, per quam in sese invicem agunt, corporumque varietates nonnisi ex varia illorum multitudinem, et dispositione enasci, quippe quod ex illis similibus elementis moleculae, quae constituunt corpora simplicia, atque ex corporibus simplicibus varie dispositis corpora mixta efficiuntur [3].

---

sur la physique, p. 107; *Système nouveau de la nature, et de la communication des substances*, p. 126; *Monadologie*, p. 705-712; *Principes de la nature, et de la grace*, p. 714, ed. Erdm. Hinc « Leibnitii iudicio, Balmesius ait, mundus minorum est horologiorum congeries, quae ea perfectione Creator struxit, ut uniuscuiusque motus aliorum motibus adamussim, mutuoque respondeat »; *Cursus philosophiae elementaris, Hist. phil.*, n. 51, p. 127, Barcinone 1850.

[1]) Vid. Wolfium, *Cosmologia*, sect. I, c. 1, et 2, ed. cit.

[2]) Boschovich, *Philosophiae naturalis theoria reducta ad unicam legem virium in natura existentium*, Venetiis 1763. Iuvabit de hac theoria consulere Leopoldum Biwald ex eadem S. I., *Physica Generalis*, Part. 2, sect. I, Graeciae 1767.

[3]) Vid. Dugald Stewart, *Essais phil.*, Ess. 2, c. 1, p. 157 sqq, trad. par Huret, Paris 1828; Maine de Biran, *Sur les rapports du physique, et du moral de l'homme*, p. 301 sqq, Paris 1838; Cousin, *Fragm. phil.*, Prèf. de la Ire ed., *Oeuvr.* t. II, p. 37, Bruxelles 1841; Damiron, *Hist. de la phil. au XIX siècle*, art. *Cousin*, p. 354,

31. At systema dynamicum, licet nobilium Philosophorum auctoritate glorietur, multis, iisque gravissimis premitur difficultatibus. In placitis, quae Leibnitii propria sunt, refellendis non immorabimur, quia ipsa partim iam refutata sunt, partim adeo sunt absurda, ut Leibnitius Philosophos suum de monadibus systema serio expendisse aliquando miratus sit [1]. Enimvero, Leibnitius, 1° cum monades perceptione ac appetitione pollere dixit, omnia, quae in mundo sunt, vivere cohaerenter docuit [2], proindeque ea, quae vivunt, non specie, sed gradibus differre sumpsit. 2° Numerum infinitum *actu* admisit, quia unumquodque corpus ex infinitis monadibus conflari statuit. 3° Actiones transeuntes nec esse, nec dari posse putavit; unde omnes mutationes, quae in monade fiunt, ex vi ipsis insita fieri contendit. Atqui haec tria pronuntiata, quae fundamenta sunt theoriae leibnitianae, uti a nobis ostensum est, sunt prorsus absurda [3]. Ergo theoria Leibnitii de elementis constitutivis corporum absurda est.

32. Praeterea, caeteris omissis, ab hac theoria leibnitiana duo absurda fluunt, quae in praesentia adnotanda nobis esse censemus. Primum est, omnium corporum massas aequales inter sese esse, ita ut vel minima corporis particula, si elementa, ex quibus constat, spectentur, totum mundum exaequet. Iam hoc nemo non videt adeo absurdum esse, ut confutatione non egeat. Alterum est, monades, quae nullam extensionem habent, sed punctum solummodo occupant, ita sese contingere, ut nullum vacuum inter ipsas interiaceat. Atqui id omnino abnorme est. Namque duo puncta, uti Aristoteles contra Zenonem advertit [4], quae ita se contingunt, ut nullum inter se va-

---

ed. cit.; Ubaghs, *Du dynamisme*, Louvain 1852; De-saint-Venant, *Mémoire sur la question de savoir, s' il existe des masses continues, et sur la nature probable de dernières particules des corps*, p. 10, Paris 1844; Couchy, quem De-saint-Venant laudavit (*ibid.*, p. 11, et 12). Galluppius noster ad eamdem sententiam proxime accessit, *Lezz.* etc., lez. LXXXIV, p. 225.

[1]) En quid de se ipso scripsit in *Epist.* ad Pfaffium: « Ita prorsus est, V. S. R., ut scribis de Theodicea mea, rem acu tetigisti, et miror neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc meum senserit; neque enim Philosophorum est rem serio semper agere, qui in fingendis hypothesibus, ut bene mones, ingenii sui vires experiuntur ». Hunc locum Leibnitii primo evulgavit Pfaffius in *Dissert. De morte naturali*, § 5, p. 17, Tubingae 1720; deinde tota epistola prodiit in *Actis Erudit.*, mens. Mart. 1728. Qua de re cons. Des Mazeaux, *Recueil de diverses pièces* etc., Avertissement, p. XXIII sqq, ed. cit., et Leclerc, *Bibl. anc., et mod.*, t. XV, part. I, art. XVI, p. 179.

[2]) *Système de la nature, et de la grace*, § 1, p. 714, ed. cit. Et sane, « Vita, inquit s. Thomas, maxime manifestatur duplici opere, scilicet cognitionis, et motus »; I, q. LXXV, a. 1 c.

[3]) Cf p. 135, et p. 147-149. Viventia specie differre, quod vix innuimus (p. 207), inferius ostendemus.

[4]) *Natur. Auscult.*, lib. VIII, c. 5, § 4, ed. Didot. Apposite s. Thomas: « Contiguum requirit distinctionem in situ »; I, q. LXVII, a. 2 c.

cuum interiectum relinquant, in unum coalescunt, omniaque alia, quae illis duobus adduntur, in unicum illum punctum coalescant oportet. Cuius rei ratio in eo posita est, quod indivisibilia, cuiusmodi sunt puncta, sese nonnisi secundum se tota tangere possunt, quia, cum expertia partium sint, non inveniantur in ipsis extrema, et medium. Atqui, si tangunt sese secundum se tota, inter se compenetrentur, atque idem spatium occupent necesse est. Ergo puncta, si sese tangant, in unum coalescunt. Ex quo intelligitur, si theoria leibnitiana de monadibus admitteretur, nullam continuitatem in mundo dari posse non modo realem, quam nos, secundum philosophiae christianae placita, tuebimur, sed ne phaenomenicam quidem, quam Leibnitius, eiusque discipuli tuiti sunt [1].

33. Systema dynamicum ne ab hisce quidem noxis, quas recensuimus, purgatum, et, quo Boschovichius, illud exposuit modo, acceptum defendi potest.

1° Et sane, systema dynamicum, quocumque modo propugnetur, non modo extensionem *realem*, sed *phaenomenicam* quoque tollit. Phaenomemicam quoque diximus. Nam Boschovichius, eiusque sectatores, cum ex elementis inextensis realem extensionem oriri haud posse perviderent, statuerunt extensionem corporum non esse realem, sed phaenomenicam, sive apparentem, atque huiusmodi phaenomenum, sive apparentiam ex eo oriri, quod, cum distantia, quae inter simplicia aliquod corpus componentia existit, sensu non percipiatur, impulsiones, quas sensus ex simplicium actione recipiunt, quamdam repraesentationem continui efficiunt. Verum, praeterquam quod extensio, ut inferius videbimus, realis, non vero apparens est, ab inextensis boschovichianis ne apparentem quidem extensionem oriri posse certum nobis videtur. Et sane, quemadmodum extensio sine continuitate nec esse, nec intelligi potest; ita phaenomenum extensionis sine phaenomeno continuitatis effici nequit. Atqui ab inextensis phaenomenum continuitatis effici non potest. Nam, si inextensa, seu simplicia sese contingant, perspicuum est ex ipsis phaenome-

---

[1]) Cf Tongiorgi, *Op. cit., Cosmol.*, c. 2, art. 2, § 48, ed. cit. Ut haec magis perspicua fiant, adnotandum est cum s. Thoma, *indivisibile* esse duplex « unum, quod est terminus continui, ut punctus in permanentibus. . . , aliud, quod est extra genus quantitatis » (I, q. VIII, a. 2 ad 2, et *ibid.*, q. LII, a. 2 c). Iam indivisibile, priori significatione acceptum, « habet situm determinatum in continuo, ultra quem porrigi non potest » (*Contr. Gent.*, lib. II, c. 56), et « non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis » (I, q. VIII. *loc. cit.*); quapropter nihil prohibet, quin sit, uti diximus (p. 132), principium quantitatis continuae. At, si altera significatione sumatur, quemadmodum in systemate monadum, sive unitatum re ipsa sumitur, ex eo continuitatis ratio reddi nequit. Etenim ipsum « non applicatur ad continuum, sicut aliquid eius, sed in quantum contingit illud sua virtute » (I, *ibid.*); huiusmodi autem tactus non est « solum secundum ultima », sed « est ad totum quod tangitur. . . , et facit substantiam tangentem esse intra id, quod tangitur, et incedentem per ipsam absque impedimento »; *Contr. Gent.* ibid.

num continuitatis oriri non posse, quia simplicia, quae sese contingunt, in unicum, uti ante ostendimus, punctum coalescere debent. Sin quamdam inter se distantiam, ut Boschovichius voluit, servent, ipsa profecto in unicum punctum non coalescunt, sed non idcirco phaenomenum continuitatis efficere possunt. Et sane, cum nec partes, seu inextensa, quae corpus componere dicuntur, continuae sint, nec totum, seu corpus, quod ab eis componi dicitur, sit continuum, omne fundamentum phaenomeno continuitatis deest. Intelligi profecto potest, quomodo obiectum non omnino continuum ex eo, quod interstitia sensus effugiunt, visui, et tactui omnino continuum appareat, quia, cum ultimae eius partes reapse continuentur, reale fundamentum illius apparentiae existit. At nullo modo intelligi potest, quomodo phaenomenum, seu apparentia continuitatis, ex pluribus inextensis fiat, quae nec ipsa continua sunt, nec totum, quod ex ipsis componi dicitur, continuum efficere valent. « Simplicitas, ad rem inquit s. Bonaventura, non admittit magnitudinem molis [1] ».

2° Omnino repugnat in singulis inextensis existere vim attrahendi, et repellendi, ex qua distantiam, atque ordinem inter ea Boschovichius repetivit. Nam, cum attractio, et repulsio sint vires naturaliter oppositae, quis vel minimum dubitare potest, quin repugnet inveniri in eadem indivisibili molecula corporis unicam vim quae modo attractrix, modo repultrix sit? Cl. Boschovichius oppositos eiusdem vis effectus, ut diximus, ex diversitate distantiae, quam inextensa inter se habent, derivavit. At vero distantia, prout maior, vel minor est, causa esse potest, cur quantitas effectus augeatur, aut minuatur, sed nunquam efficere valet, ut effectus priori omnino oppositus producatur. Iamvero, si repugnat esse in inextensis boschovichianis unicam vim, quae modo attractionis, modo repulsionis munus obit, consequitur non posse inter illa inveniri distantiam, ex qua phaenomenum continuitatis oriri Boschovichius censuit.

3° Si unica vis attractionis, repulsionis inextensis boschovichianis concederetur, admittenda quoque foret actio *in distans*, quia ipsa, Boschovichii sententia, dum sese non contingunt, se mutuo attrahunt, et repellunt. Atqui actio in distans haud possibilis est; siquidem « oportet, aiente Aquinate, omne agens coniungi ei, in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere [2] ». Ergo vel ex hoc capite vires attractionis, et repulsionis, per quas Boschovichius phaenomenum continuitatis explicare voluit, reiiciendae sunt [3].

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, p. II, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[2]) I, q. VIII, a. 1 c.; cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 68.

[3]) Kantius, cuius theoriam, praeter alios Philosophos Germaniae, Remusatius (*Essais* etc., Ess. IX, c. 4, t. II, p. 287-306, ed. cit.), et Javary (*De la certitude*, lib. V, c. 2, p. 491 sqq, Paris 1847) sectantur, dynamismo leibnitiano, et boschovichiano, quem imperfectum esse putavit, novum dynamismum sufficere voluit. Itaque pu-

ARTICVLVS QVINTVS

Systema Aristotelico-scholasticum exponitur

34. Ii philosophi, qui in natura elementorum, ex quibus corpus conflatur, investiganda rationem cum observatione coniunxerunt, omne corpus ex *materia*, veluti *principio passivo*, et *forma*, veluti principio activo, componi pugnarunt; unde eorum systema *materiae* et *formae* nuncupatur [1].

---

tavit in hac universitate rerum inveniri non modo *finalitatem externam*, illam nempe, qua diversae res sibi invicem subiiciuntur, et subserviunt, sed etiam *finalitatem internam*, qua singulae res se ipsas gignunt, conservant, et perficiunt. Inde confecit praeter leges *mechanicas*, illas nempe, quibus machina mundi componitur, eiusque phaenomena universalia explicantur, admittendas quoque esse leges *plasticas*, illas nempe, quibus singulae res *plasmantur*, sive efformantur, quarumque operatio phaenomenorum particularium reddi potest (Vid. *Elementa metaphysica physices*, c. 2, *Dynamice*, *Opp. lat.* vert. Born., t. II, p. 172, 218, Lipsiae 1796, 1798). Contra quam Kantii theoriam haec satis sit adnotare. Primo ipsemet Kantius monuit sua de principiis rerum theoria non res, quales in se sunt, nempe *noumena*, sed quales nobis apparent, nempe *phaenomena* explicari, ita ut, si quis intellectus corpora, qualia in se sunt, intelligeret, fortasse aliam ad illorum constitutionem explicandam viam sibi ineundam esse cognosceret. At nos, perinde ac ii omnes, qui scepticismo kantiano haud litant, non quaerimus causas, ex quibus phaenomenum, seu apparentia corporum in animo nostro efficitur, sed principia, ex quibus realis illorum natura constituitur. Secundo, finalitas interna, sive, ut a Philosophis Germanis hodie appellatur, *teleologia immanens*, ob quam Kantius vires plasticas in corporibus agnovit, ut inferius dicemus, a veritate non uno ex capite abhorret. Tertio, sciendum est corpora, Kantii sententia, non esse aliud, nisi vires motrices, quae in toto spatio disseminatae inveniuntur; hae enim, cum sint attractivae, et repulsivae, in se invicem agunt, atque hoc pacto phaenomenon extensionis efficiunt. Ast hae vires ne phaenomenicum quidem corpus, quod dumtaxat a nobis cognoscit Kantius dixit, constituere possunt. Etenim vires motrices attractionis, et repulsionis existere nequeunt sine subiecto, in quo sunt, et a quo exercentur, et sine obiecto, quod attrahunt, aut repellunt. Atqui cum subiectum harum virium, tum obiectum, quod hae vires attrahunt, et repellunt, non sunt, secundum Kantium, nisi corpus. Ergo et vires, et harum actiones corpus iam constitutum expostulant; tantum abest, ut ipsum constituant.

[1]) Ad hoc systema quodammodo accedit atomismus dynamicus, quem Henr. Martin velut medium inter atomismum purum, et dynamismum purum proposuit, defenditque. Clar. Auctor (*Op. cit.*, part. II, c. 14, t. I, p. 351-376) ex puro atomismo, aut puro dynamismo multa incommoda enasci putavit, quia dynamismus purus atomos non aliud, nisi vires esse vult, atque atomismus purus, si in atomis vires quasdam, quibus invicem attrahuntur, aut repelluntur, agnoscit, hasce vires accidentales, non vero essentiales illis esse, in solaque extensione essentiam atomorum consistere contendit. Haec incommoda non aliter vitari posse ei visum est, quam si statuatur atomos natura sua esse substantias extensas, sed vi dynamica gaudere, qua motum *in distans* ducunt, ipsumque quadam impulsione secum communicant. Hoc pacto in

35. Theoria de materia, et forma, de qua tantopere in media aetate disputatum est, a Platone inter veteres inchoata [1], atque ab Aristotele ad umbilicum perducta est [2]. Ipsa deinceps fautores ex ethnicis Stoicos [3], Plotinum [4], eiusque nobiliores discipulos [5], atque e christianis « ingentem, ut Mosheimius ait, veterum Doctorum numerum [6] », in primis s. Augustinum [7] habuit. Denique Doctores mediae aetatis illam adeo perpoliverunt, et illustrarunt, ut systema, quod ipsam defendit, *aristotelico-scholasticum* iure, meritoque nuncupetur. Verum, postquam in recenti aetate systema atomicum veterum, Cartesii praesertim opera, rursus in scenam prodivit, « hoc dogma, ut Moshemii verbi utamur, prae caeteris explosum, et summae dementiae postulatum fuit »; et fere cunctis Philosophis visum est ipsum « tam absurdum, et ineptum esse, ut aures statim sapienti ad eius auditum claudendae sint » [8] Nec potuit huic recentium intolerabili petulantiae froenum iniicere vel ipse magni inter suos nominis Leibnitius, qui primum a systemate atomico, ut diximus [9], ad dynamicum gradum fecit; deinde, hoc etiam relicto, ad systema scholasticum de materia, et forma confugit [10]. Nisi quod ob diuturnas, vehementesque pugnas, quibus recentes Atomici, et Dynamici se mutuo lacessivere, tandem effectum est, ut non pauci, iique praeser-

---

atomo nec vis sine subiecto, in quo consistat, nec extensio sine vi, qua actu pollet, agnoscitur. Diximus *quodammodo accedit*; nam materia, et forma, ut mox videbimus, aliud sunt, ac materia, et vis resistendi, quas Hen. Martin admisit.

[1]) Cf *Tim.*, passim, et praesertim p. 534, ed H. S., et p. 133, ed. et trad. Martin, Paris 1841, et *Phileb.*, p. 26-27, ed. H. S.

[2]) *Met.*, lib. VII, c. 3, lib. VIII, c. 1, et lib. XII, c. 2.

[3]) Plut., *De repugn. Stoic.*, p. 1054, ed Xiland. Cf Ravaisson, *Sur le Stoïcisme*, in « Mém. de l'Acad. des Inscript. », t. XXI, p. 15.

[4]) *Enn.* I, lib. VIII, *Enn.* II, lib. IV-VII, et *Enn.* III, lib. VI, ed. cit. Cf Ravaisson, *Essai sur la métaph. d'Arist.*, t. II, p. 328 et 331, p. 382, 384, et Steinhart, *Meletemata Plotiniana*, p. 21, Namburgi 1840.

[5]) Puta Porphyrius, *Sententiae ad intelligibilia ducentes*, ed. Creuzer, et Moser ante *Ennead. Plot.*, § 22, p. XXXIV, Paris 1855, et Proclus, e cuius *Commentariis* in *Tim.*, *Parm.*, et *Alcibiad.* multa loca protulit Berger, *Proclus, exposition de sa doctrine*, Paris 1840.

[6]) *Adnot.* in Cudworti *Systema intellectuale*, lib. V, sect. II, § 27, p. 947, Ienae 1733.

[7]) *Confess.*, lib. XII, c. 3-6, n. 3-6, et lib. XIII, c. 33, n. 48; *De Genes. cont. Manich.*, lib. I, c. 7, n. 11.

[8]) *Ibid.* p. 948.

[9]) Cf p. 217, not. 3.

[10]) Vid. *Systema theologicum*, p. 202, ed. cit. Quod cum saepe alibi inculcavit, tum maxime in *Epist.* XXIX ad *Patrem des Bosses*, ubi ait: « Et in hoc me prorsus cum Scholasticis sentire arbitror, eorumque materiam primam et formam substantialem, potentiam nempe passivam, et activam, primitivas compositi, et completum ex his resultans, revera arbitror esse illud vinculum substantiale quod urgeo »; *Opp. phil.*, ed. Erd. 739.

tim scientiarum naturalium studiosi, ad corporum constitutionem explicandam non aliud systema suppetere posse sibi persuaderent, quam quod *materiam*, seu principium passivum, et quamdam *vim*, seu principium activum admittit. Cui systemati cum nihil melius, quam theoria de materia, et forma aristotelico-scholastica satisfaciat, paulatim ad hanc tuendam, vel tolerandam hisce postremis annis deventum est. Inter Italos commemoratione digni sunt, quantum scimus, Brentazzolius [1], Contius [2], Tommasius [3], Santius [4], Liveranius [5], Franceschius [6], et qui hisce omnibus palmam facile praeripuit P. M. Liberatore e S. I. Hic praeclarus Philosophus in saepe laudato opere [7] hanc philosophiae peripateticae theoriam et validis e rationis penu petitis argumentis communire, et cum exploratis recentium Physicorum inventis componere, et a difficultatibus, quibus nonnulli et Physici, et Philosophi ipsam oppugnare non desinunt, vindicare pro viribus conatus est. Nec desiderantur omnino hodie in Gallia, atque in Germania eius fautores, inter quos Barthol. Saint-Hilaire, accuratus interpres, atque eruditus adnotator operum Aristotelis, asseruit theoriam materiae, et formae esse simplicem, et veram [8], eamque theoriis Cartesii, et Leibnitii esse praeferendam [9].

36. Iam Scholasticos, a quibus, ut modo diximus, haec theoria Aristotelis valde perpolita, et declarata est, audiamus.

Sciendum in antecessum est Scholasticos, ut compositionem corporum explicarent, causas intrinsecas universales eorum a particularibus accurate distinxisse. Atque id quidem sapienter. Nam quaelibet res materialis considerari potest et in universum, prout est corpus, et singillatim, prout est corpus determinatum, nempe hoc corpus, non vero aliud. Puta ferrum, si in universum spectetur, est corpus, non aliter, ac aurum, argentum, aes, aut aliud eiusmodi; sed si spectetur, prout est iis omnibus praeditum, propter quae omnes illud vocitant ferrum, atque ab auro, argento, et aere discriminant, est corpus de-

---

1) Brentazzoli, *Tracce d'uno studio intorno alla vita*, p. 16, Bologna 1857.

2) Conti, *Evidenza, Amore, e Fede, o i Criterii della filosofia*, vol. I, p. CXXXVI, Firenze 1858.

3) Tommasi, *La Chimica e la Fisiologia*, in ephem. *La Rivista contemporanea di Torino*, vol. XI.

4) Santi, *Sulla forma de'viventi corporei, e sulle differenze, che dipendentemente appunto dalla forma in essi si osservano*, in ephem. *Giornale Scientifico, Letterario, Agrario di Perugia e sua Provincia*, Nuova Serie, an. 1859, Disp. VI, p. 484; *Materia e forma, ossia Principii costitutivi de'corpi*, Perugia 1865.

5) Liverani, *Su i principii del moderno Ippocratismo*, p. 6, Fano 1859, et *Considerazioni in occasione d'un Discorso* etc., p. 45, et 47, Fano 1861.

6) Franceschi, apud Santi, *Materia, e Forma* etc., p. 13.

7) *Del Composto umano*, Roma 1862.

8) *Physique d'Aristote*, trad. en franç. Prèf. p. XXVIII, Paris 1862.

9) *Ibid.*, p. CXXI.

terminatum, nempe ferrum, non vero aurum, aut argentum, aut aes, a ut aliud simile. Hinc patet sciscitanti, quaenam sint causae compositionis rerum, non posse uno modo satisfieri, cum quaestio et de causis intrinsecis universalibus omnium corporum, et speciatim de quibusdam determinatis corporibus versari possit. Scholastici causas intrinsecas universales rerum *principia*, et causas particulares *elementa* [1] appellarunt, atque elementa ex principiis, non vero principia ab elementis conflari docuerunt. Quae cum ita sint, nemo non videt theoriam aristotelico-scholasticam, de qua agimus, non posse probe intelligi, nisi quid, Aristotelis, et Scholasticorum iudicio, elementum a principio, et causa differat, et, num quaestio circa principia, an circa elementa versetur, clare definiamus.

37. Quid principium sit, quidque a causa differat, in *Ontol.* secundum s.Thomam, aliosque Scholasticos explicuimus [2]. Hic cum eodem Aquinate, qui de notione principii ad huius controversiae intelligentiam rursus disseruit, in memoriam nobis revocamus principium esse « omne id, a quo incipit motus », nempe id, a quo res quocumque modo originem habet; sed causam « solum dici de illo principio, a quo consequitur esse posterius », nempe a quo res producitur, sive *esse* suum accipit [3]. Quamobrem notio principii, ut diximus [4], latior est notione causae, quia illa notionem genericam originis, haec autem notionem specificam illius originis, quae productio dicitur, significat.

38. Elementa, non solum Aristotelis, sed etiam, uti Albertus M. advertit, omnium antiquorum iudicio, sunt « ultima illa, in quae dividuntur resoluta corpora, ita quod illa ultima non resolvantur in alia a se specie differentia [5] ». Ex qua notione elementi s. Thomas post Aristotelem [6], eumdemque Albertum M. [7] confecit tria ad notionem elementi constituendam requiri: 1° Ut primum omnium compositionem corporis ingrediatur, quia elementa sunt ea, ex quibus prima compositio corporis, prout hoc, vel illud corpus est, efficitur [8]. 2° Ut corpore, cuius elementum est, contineatur, quippe quod elementa, uti ante vidimus, cum compositionem corporis ingrediuntur, non corrumpuntur omnino, sed remanent *virtute*. 3° Ut sit ultimum, in quod corpus resolvitur [9], ipsum vero in alia specie differentia resolvi nequeat, quemadmodum ea dividuntur, quae partes diversas

---

1) S. Thomas alicubi (*In lib. III De Coelo*, lect. VIII) causas universales nuncupat *elementa universalia*.

2) Pag. 150.

3) Vid. Opusc. XXXI *De principiis naturae*.

4) Pag. cit. Cf s.Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXIX, a. 1 ad 2.

5) *In lib. V Met.*, tract. I, c. 4.

6) *Met.*, lib. IV, c. III, § 1, et 2, et *De Coelo*, lib. III, c. 3, § 2, ed. Didot,

7) *Loc. cit.*

8) Cf s. August., *De quant. anim.*, c. I, n. 2,

9) S. August., *ibid.*

habent [1]. Afferamus e recenti physica exemplum *hydrogenii*, et *oxygenii*, quae sunt elementa *aquae*. Namque primo eis nihil prius invenitur, quod compositionem aquae ingreditur; tum ea, si non *actu*, *virtute* aqua continentur, quia ex proprietatibus utriusque natura aquae existit; ultima denique sunt, in quae aqua resolvitur, quia qualibet pars hydrogenii, et oxygenii et ipsa verum hydrogenium, et oxygenium est [2].

39. Ex his nonnulla perspicere licet, quae ad intelligentiam doctrinae aristotelico-scholasticae de constitutione corporum plurimum conferunt. Primum est, quod cum principia, tum elementa sunt causae intrinsecae [3] corporis; illa quidem universales, haec autem particulares, propterea quod ex illis natura omnium corporum communis constituitur, atque ex his illa natura singularibus proprietatibus determinata gignitur. Alterum est, quod, quamvis elementa non sint per se principium constitutivum corporis, tamen, cum in corporis constitutione proprias formas amittunt, atque unicam corporis formam induunt, principium materiale, seu *materia* corporis evadunt; unde Aristoteles elementum *ut materiam* consideravit [4]. Tertium est, quod, cum scholastici inquirunt causas, ex quibus corpus universe spectatum constituitur, hoc est, cum quaestionem metaphysicam de constitutione corporum instituunt, causas universales eorum, non vero particulares quaerunt, quia harum investigatio ad speciales scientias physicas, non vero ad metaphysicam physicae, quam physicam generalem quoque vocant, spectat. Qua de re theoria Scholasticorum, quam expositurus sumus, non de elementis, sed de principiis corporum

---

[1]) Vid. s. Thom., *De principiis naturae*, et *In lib. III De Coelo*, lect. cit.

[2]) Aristoteles (*Met.*, lib., et c. citt.). ut idem luculentis exemplis illustraret, advertit elementa vocis non esse syllabas, sed litteras, quia in has vox ultimo loco resolvitur; et elementa demonstrationum esse syllogismos simplices, quippe quod hi, cum non plus contineant, quam quod ad concludendum requiritur, nempe tres terminos, sunt ultimi, ad quos demonstratio in resolutione sistit. Cf Bonitz, In cit. loc. *Met. Arist.*, *Met.*, Pars poster., p. 227, ed. cit., et quod ad syllogismos attinet, Waitz, *Organ.*, t. II, p. 362.

[3]) Intrinsecae, inquimus, ut illas distingueremus a causis agente, et finali, quae non ingrediuntur compositionem corporis, sed extra corpus, quod producunt, existunt. Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. I, *Expos. text.*

[4]) Re vera ipse (*Met.*, lib. VI, c. 17, § 10, ed cit.) dixit elementum esse aliquid, *quod inest ut materia* (ἐνυπάρχον ὡς ὕλην), atque ita *elementum principio* (στοιχεῖον ἀρχῇ) sicut *materia formae* (ὕλην εἴδει) opposuit (vid. Waitz, t. II, p. 362). Quod s. Thomas quoque aperte docuit his paucis: « Elementum significat aliquod primum, et simplex in genere causae materialis » (*Qq. dispp., de Pot.*, q. X, a. 1 c.). Id autem, quemadmodum Bonghius (*Met. di Arist.*, lib. V, c. 3, p. 231, not. 2, ed. cit.) advertit, intelligendum est de materia, prout per formam iam determinata est, sive in materia, quam, ut mox dicemus, Scholastici *secundam* vocant. Porro ex dictis facile intelligis Aristotelem elementum modo *principium* (*Met.*, lib. I, c. 3, § 2), modo *causam* (ibid., lib. XI, c. 5, § 4), modo utrumque (*ibid.*, lib. V, c. 1, § 1), iure

versatur. Postremum est, quod, cum elementa corporum et ipsa, Scholasticorum sententia, corpora sint [1], haec quaestio de principiis non solum corpora, sed etiam eorum elementa, hoc est, non modo mixta, sed etiam simplicia complectitur.

40. Iamvero Scholastici in hac sententia versati sunt: duplex substantiale principium ad corporis constitutionem concurrere, eorumque unum esse *passivum*, ex quo, ceu radice, extensio corporis exurgit, alterum vero *activum*, ex quo activitas emergit. Primum vocarunt *materiam primam*, et alterum *formam* [2].

---

vocasse, quia elementum ex eo, quod compositionem corporis ingreditur, est causa intrinseca eius, atque ex eo, quod ipsam ingreditur ut materia, est principium corporis constitutivum. Vid. Bonitz, *Comm. cit.*, p. 225-227, et Waitz, *Op. cit.*, t. I, p. 317 sqq, et t. II, p. 362 sqq.

[1]) Vid. p. 215, not. 2, et s. August., *De quant. an.*, c. 1, n. 2.

[2]) Sciendum est plerosque graecos Philosophos, secus ac a recentibus factitatum est, aliud vocabulo ὕλη (*materia*), aliud vocabulo σῶμα (*corpus*) significasse, quia materiam esse ἀσωμάτων (*incorpoream*), et corpus ex ὕλη (*materia*) et μορφή (*forma*), sive ποιότητι (ut Cicero vertit, *qualitate*) constitui docuerunt. Certe, haec distinctio non modo apud Aristotelem, cui auctori vulgo tribuitur, sed etiam apud Timaeum Locrum, vel Auctorem, quisquis sit, libelli *De Anima mundi* (cum adnott. Ioan. Serrani, inter *Opuscula mythologica*, ed. Theoph. Galeus, p. 544, Amstel. 1688), Platonem (II. citt., in quibus tamen non adhibuit vocem ὕλη, sed τόπος, vel χώρα, *locus*), Stoicos (a quibus id, quod a Platone, ac Aristotele μορφή, dictum erat, ποιότης, *qualitas*, vocatum est, ut videre licet apud Plut., *Op. cit.*, ibid.), et Ravaisson, (*Op. cit.*, ibid.), Plotinum (*II. cit.*), Porphyrium (*Op. cit.* ibid.), Chalcidium (*Comment. in Tim.*, q. XIII, ed. Meursius, Lugd. Batav. 1617), aliosque multos occurrit. Quid vero vocabulis materiae, et formae, seu qualitatis, ex quibus corpus efficitur, in universum intellexerint, discere iuvat e Cicerone, qui de Platonicis, et Peripateticis loquens, diserte scripsit: « De natura autem... ita dicebant, ut eam dividerent in res duas; ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praeberet ea, quae efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim esse censebant; in eo autem, quod efficeretur, materiam quamdam; in utroque tamen utrumque; neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Nihil enim est, quod non alicubi esse cogatur. Sed quod ex utroque, id iam corpus, et quasi qualitatem quamdam nominabant» (*Acad. quaest.*, lib. I, c. 6, ed. Ernesti). Atque inferius: « Sed subiectam putant omnibus sine ulla specie qualitatem, atque carentem qualitate... materiam quamdam, ex qua varia egressa, atque effecta sunt » (c. 7, ed. cit.; cf Plut., *De placit. Phil.*, lib. I, c. 9, *Opp.* t. I, p. 882, ed. Xiland.). Ex quibus patet quodlibet corpus, nobiliorum graecorum Philosophorum sententia, ex duobus principiis constare, scilicet uno passivo, quod per se spectatum commune cunctis corporibus est, altero autem activo, quo principium passivum ad hoc, vel illud corpus constituendum contrahitur. Haec adnotasse operae pretium duximus, quippe quod, ut hoc philosophiae peripateticae caput dilucide exponi, defendique possit, vocabula, quae Aristoteles, eiusque sectatores adhibuerunt, adamussim declaranda sunt, et summa eius a quaestiunculis, quibus nonnulli posteriorum aetatum Scholastici ipsam obruerunt, diligenter est seiungenda. Quod quidem Mosheimius, Scholasticis ceteroquin valde infensus, tum saepe monuit, tum maxime his in locis: « Ego vero mihi prope persuadeo, qui tam acriter in hoc dogma invecti sunt, viri ceteroquin meis laudibus superiores, verba potius, et vocabula, quibus illud exponi

41. A notione materiae primae exponenda ordiamur. Scholastici materiam pro duobus diversis modis, quibus ipsam considerarunt, in *primam*, et *secundam* diviserunt. Materia ab eis vocata est *prima*, cum consideratur in se, hoc est, prout nullam ex se habet formam [1], ob idque ad quamlibet formam in se recipiendam indifferens est; *secunda* autem, cum consideratur, prout iam formam in se recepit, et, quamdiu ipsam retinet, ad determinationes accidentales, quas natura, vel ars in ipsam inducere possunt, in se recipiendas apta est. Scholastici, hac divisione materiae praestituta, sapienter docuerunt materiam concurrere, tanquam principium substantiale, ad corpus efficiendum, prout est *prima* [2], non vero prout est *secunda*; namque ipsa, prout est secunda, corpus ab eius cum forma copulatione iam constitutum expostulat. Materiae autem *primae* duae definitiones ab eis post Aristotelem traditae sunt, quarum una est negans [3]. Nos utramque exponemus, ut notionem materiae et luculentius tradere, et a recentium obiectionibus tueri possimus.

42. Materiam priori modo Aristoteles [4] definivit, cum illam esse dixit, *quae per se ipsam neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur*. Quibus verbis significat materiam primam non esse per se ullam speciem determinatam entis, quia nec quidditatem, seu essentiam completam rei, nec aliquid eorum, quibus essentia in qualibet re determinatur, prae se fert; sed esse in potentia ad ea omnia, quibus essentia completa rei constituitur, et determinatur [5].

---

solet, sectasse, quam rem ipsam, ac Scholasticorum insanis saepenumero de prima materia quaestionibus, et concertationibus maxime commotos fuisse, ut tam duram ferrent sententiam ». Et, paucis interiectis: « Non putem hoc dogma tam absurdum, et ineptum esse, ut aures statim sapienti ad auditum eius claudendae sint, modo vocabula seponat, quibus id exponi solet, et inanes quaestiunculas, quas homines quidem iusto auctiores cum eo coniunxerunt, a summa rei seiungat »; *Op. cit.*, ibid.

[1]) Cf s. Thom., I, q. LXVI, a. 1 c.

[2]) Hanc divisionem materiae in *primam*, et *secundam* probavit Leibnitius, qui inter recentes philosophiae novatores principe locum facile obtinet. « Sed responderi, ait, commode potest ex recepta non minus, quam vera philosophia materiam intelligi vel secundam, vel primam; secundam esse quidem substantiam; completam, sed non mere passivam; primam esse mere passivam, sed non esse completam substantiam; accedereque adeo debere animam, vel formam animae analogam »; *De ipsa natura, sive de vi insita, actionibusque creaturarum*, § 12, p. 158.

[3]) Notio materiae primae melius negatione, quam affirmatione exponitur. Nam cum quaelibet res, prout est ens, intelligatur, materia, quae, secundum s. Thomam, *debile esse habet* (*Qq. disp.*, *De Ver.*, q. III, a. 5 ad 1), seu, ut s. Augustinus (*Confess.*, lib. XII, c. 6, n. 6) ait, est *prope nihil*, melius negando de ipsa omnem perfectionem, quam aliquid minimum perfectionis designando cognoscitur. Cf Suarez, *Met.*, disp. XVI, sect. 6, et Marc. Ant. Galitium, *Op. cit.*, pars I, lib. I, tract. II, q. 3.

[4]) *Met.*, lib. I, c. 3, § 4, ed. Didot.

[5]) « Id communiter, subdit Aquinas, materia prima nominatur, quod est in genere

43. Materiam autem posteriori modo Aristoteles definivit: *primum cuiusque rei subiectum, ex quo insito fit aliquid, et non per accidens* [1]. Et sane, materia prima intelligitur velut *subiectum*, quia subiicitur cuilibet formae, quam in se recipit, et a qua determinatur; praetereaque velut subiectum *primum*, quia, cum sit id, quo ens primo constituitur, non expostulat aliud subiectum, in quo et ipsa sit [2]. Dicitur vero, *ex quo insito fit aliquid*, ut excludantur causae exteriores, nempe efficiens, finalis, atque exemplaris; hae enim, uti alibi vidimus, ad constituendam rem ita concurrunt, ut essentiam eius non ingrediantur. Denique additur, *et non per accidens*, quia ex copulatione materiae cum forma fit unum per se, et substantiale, non vero *per accidens*, seu accidentale, cuiusmodi fit ex corpore iam constituto, et forma, quam ars in ipsum inducit [3].

44. Quod si ambae definitiones prae oculis habeantur, inde perspicitur materiam primam definiri posse: *Aliquid, quod cum per se ab omni essentia* [4], *et proprietate vacet, in potentia ad recipiendum in se quamlibet essentiam, aut proprietatem est* [5].

---

substantiae, ut potentia quaedam intellecta praeter omnem speciem, et formam, et etiam praeter privationem; quae tamen est susceptiva et formarum, et privationum » (*Qq. dispp., De spir. creat.*, a. 1 c.). Atque alibi: « Primum principium materiale imperfectissimum est. Cum enim materia, in quantum huiusmodi, sit in potentia; oportet quod primum principium materiale sit maxime in potentia, et ita maxime imperfectum » (I, q. IV, a. 1 c.). Hanc notionem negantem materiae primae iam tradiderat Plato in *Tim.* (p. 534, ed. H. S.), ubi praeter alia statuit *matrem, et receptaculum earum rerum, quae genitae, et conspicabiles sunt*, esse oportere invisibilem quamdam speciem, quae omni forma destituatur. (Cf Plut., *Opp.*, t. I, p. 882, ed. Xiland.). Omissis Stoicis (cf p. 224, not. 3), Plotino (*Enn.* II, lib. IX, c. 10-15), aliisque Neoplatonicis, audiamus s. Augustinum, quem Moshemius (*loc. cit.*, p. 948) laudavit: « Nonne Tu, Domine, docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil. Erat quaedam informitas sine ulla specie »; *Confess.*, lib. XII, c. 3, n. 3.

[1]) *Nat. Ausc.*, lib. I, c. 9, § 4, ed. cit.

[2]) « De ratione materiae, ait s. Thomas, est quod ipsa sit primum subiectum »; *Qq, dispp., De sp. cr.*, a. 2 c. Cf I, q. III, a. 2 ad 3.

[3]) Haec notio positiva materiae quoque passim occurrit apud veteres, inter quos Plato (*Tim.*, p. 534) asseruit materiam esse *naturam, quae recipit omnia corpora* (. . . φύσιν τά πάντα δεχομένην σώματα), et Plotinus (*Enn.* II, lib. IV, c. 1, ed. cit.), illam *subiectum quoddam, et receptaculum specierum* (ὕλην ὑποκειμένον τι καὶ ὑποδοχήν εἰδῶν) vocavit.

[4]) «Materia, scribit s.Thomas, proprie loquendo non habet essentiam, sed est pars essentiae totius » (*Qq. dispp., de Ver.*, q. III, a. 5 ad ult.). Hunc etiam spectat illud s. Bonaventurae: « Materia incompleta est de se »; *In lib. I Sent.*, Dist. I, a. 3, q. 1 *ad arg.*; cf *ibid.*, Dist. XIX, p. 2, a. 1, q. 3 *ad arg.*

[5]) Haec definitio dilucide continetur hisce s. Augustini verbis: « Mutabilitas rerum mutabilium ipsa capax est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et haec quid est? numquid animus? numquid corpus? numquid species animi, vel corporis? Si dici posset, nihil aliquid, et, Est non est, hoc eam dicerem; et tamen

45. Haec de definitione materiae [1]. In definitione formae tradenda longe brevioribus nobis esse licet, quia, quid sit forma, ex iis, quae de diversis causarum generibus *Ontologia* statuimus [2], facile perspici potest.

46. Principio monemus nos hic disputationem non de alia forma instituere, quam substantiali, quia principia inquirimus quae naturas rerum constituunt [3], et non de alia forma substantiali, quam quae ad materiam aliquam determinandam, seu, ut Scholae aiunt, *actuandam* destinatur, quia omnia, quae in hoc mundo aspectabili sunt, materia, et forma conflantur [4]. Iam haec ab Aristotele dicta fuit *ratio quidditatis* [5], scilicet id, quod *quidditatem*, seu naturam rei constituit [6], propterea quod, cum materia per se non sit *actu* aliquid eorum, quae in re sunt, liquet ipsam non posse ad essentiam rei constituendam concurrere, nisi ab aliqua forma determinetur. Quamobrem essentia rei non a materia, quae per se ad omnia indifferens est [7], sed a forma repetenda est [8].

47. Haec modo voce ἐνέργεια (*energia*), modo voce ἐντελέχεια [9] (*ente-*

---

iam utrumque erat, ut species caperet istas visibiles et compositas » (*Confess.*, lib. XII, c. 6, n. 6). Clarius fortasse ubi Manichaeos materiam esse malum asserentes refutavit. « Sed *hylen*, ait, dico quamdam penitus informem, et sine qualitate materiem, unde istae, quas sentimus, qualitates formantur, ut antiqui dixerunt . . . Nec ista ergo *hyle* malum dicenda est, quae non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei privationem cogitari vix potest. Habet enim et ipsa capacitatem formarum; nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies utique diceretur » (*De nat. boni cont. Manich.*, lib. un. c. 18). Quem secutus s. Bonaventura, materiam ita definivit: « Materia est indistincta, et passibilis ad distinctionem per formam »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. 1, a. 1, q. 3 *resol.*

[1]) De qua, si plura cupis, legesis B. Alb. M., *De quatuor coaevis*, tract. I, q. 1, art. 1.

[2]) Cf p. 151.

[3]) « Forma constitutiva, inquit s. Bonaventura, dicitur ad materiam »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. II, a. 1, q. 3 *ad arg.*

[4]) Id iuvenes monitos volumus, ut intelligant nos hic non agere de *substantiis separatis*, hoc est, de Angelis, quorum existentia, ut saepe diximus, Divina Revelatione nobis innotescit; hi enim, cum ad corpus informandum non destinentur, sunt formae, quae per se existunt; unde *formae subsistentes* vocantur. Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. creat.*, a. 1 ad 6. Anima autem humana, etsi dissoluto corpori superstes sit, tamen ad illud semper ordinem retinet.

[5]) *Nat. Auscult.*, lib. II, c. 3, § 1.

[6]) « Forma, ait s. Thomas, est. . . constituens ipsam naturam rei in his, quae sunt composita ex materia, et forma »; 3, q. XIII, a. 1 c.

[7]) Ad rem idem sanctus Doctor: « Materia prima, secundum se considerata, est in potentia ad omnes formas naturales » (*In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. 1, a. 1 *sol.*

[8]) Hinc s. Augustinus aiebat: « Omnia, quae sunt, forma penitus subtracta, nulla erunt »; *De lib. arb.*, lib. II, c. 17, n. 45.

[9]) Scaliger (*Exercitationum* etc., Exercit. LXXX, sect. 4, ed. cit.) putavit hanc vocem compositam esse ab ἐν (*in*), τέλος (*finis*, vel *perfectio*), et ἔχω (*habeo*), quia forma id in se habet, ex quo materia perficitur, ipsaque omnis perfectionis, qua res

lechia), quam Leibnitius valde probavit, ad suaeque monadologiae usum adhibuit [1], modo aliis huiusmodi, quae *vim*, *actum*, aut *activitatem* significant, ab Aristotele designata est, quia forma efficit, ut res *actu* sit. Ex his intelligis formam substantialem, de qua hic agimus, secundum doctrinam Aristotelis breviter definiri posse: *actum primum materiae* [2]. Et sane ipsa, quia est actus, distinguitur a *materia*, quae, ut mox dicemus, est mera *potentia*; quia est *actus primus* [3], distinguitur cum ab *actu existentiae*, hoc est, ab actu, quo res *esse* suum accipit [4], tum a formis accidentalibus, quae essentiam rei iam constitutam quibusdam modis afficiunt [5]; denique quia est *actus materiae*, distinguitur a *substantiis separatis*, sive Angelis, de quibus nos hic non agere diximus; hi enim sunt *formae subsistentes*, hoc est, *actus sine materia*, quia ad nullum corpus informandum destinantur [6].

48. Ex iis, quae ad notiones materiae, et formae explicandas statuimus, haud difficile est perspicere, quomodo materia, et forma ad efficiendum corpus concurrant. Primo, quandoquidem materia est per se indifferens ad quamlibet formam in se recipiendam, et forma efficit, ut materia ad hoc, vel illud corpus efficiendum determinetur [7],

---

gaudet, fons est. Illam ad verbum *perfecti habiam* vertit Hermolaus Barbarus, de quo videsis Naudaeum, *Apologia virorum magiae suspectorum*, c. 13.

[1]) Vid. *Lettre au P. Bouvet*, p. 146; *De ipsa natura* etc., § 12, p. 158; *Replique aux reflexions de Bayle*, p. 187; *Epist.* II ad P. des Bosses, p. 436, et *Epist.* XVII, p. 667; *Monadolog.*, § 48, et passim, p. 709 sqq; *Systema theol.*, p. 208, ed. cit., etc.

[2]) « Materia . . . ait s. Bonaventura, est propter sustentationem formae, quae est eius actus »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. I, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[3]) « Actus . . primus . . . inquit s. Thomas, est forma » (*Qq. dispp.*, *de Pot.*, q. 1, a. 1, c.). Quo in loco illud etiam monet, quod « nomen actus primo fuit attributum operationi, sic enim quasi omnes intelligunt actum; secundo autem exinde fuit translatum ad formam, in quantum forma est principium operationis, et finis ».

[4]) «Manifestum est, scribit s. Thomas, quod esse per se consequitur formam, unumquodque enim habet esse per propriam formam » (*Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 14 c.). Et alibi: « Comparatur forma ad ipsum esse, sicut lux ad lucidum, vel album esse »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 54, n. 3.

[5]) « Forma accidentalis a substantiali differt, quia forma substantialis facit hoc aliquid, forma autem accidentalis advenit rei iam hoc aliquid existenti »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 1 ad 9. Cf I, q. LXXVI, a. 4 c.

[6]) Vid. p. 231 not. 4. Cf s. Thom., I, q. L, a. 2 c. Aliquando potentia ad *esse* nomine *materiae*, et *actu esse* nomine *formae* designantur. Quocirca, cum formae creatae, quae in materia non subsistunt, *sint in potentia, in quantum habent esse finitum, et limitatum* (*Qq. dispp.*, *De sp. cr.*, a. 1 ad 1), dici quoque potest, quod « in ipsis est compositio potentiae, et actus, et per consequens materiae, et formae. . . .; sed tamen hoc non est proprie dictum secundum communem usum loquendi »; *ibid.* in *sol.* Cf I, loc. cit. ad 3, et *Quodlib.* III, a. 20 c., necnon s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, a. 1, q. 2 *resol.*

[7]) Apposite s. Thomas: « Materia per formam contrahitur ad determinatam speciem » (I, q. XLIX, a. 2 c.); et rursus (*ibid.*, q. L, a. 2 c.): « Materia recipit for-

consequens est materiam ceu quamdam *potentiam*, et formam ceu *actum* eius, ad corpus efficiendum concurrere, quia res dicitur esse in potentia ad aliquid, si illud in se *actu* non habet, sed ad illud assequendum naturaliter comparata est; atque illud dicitur esse *actus* rei, quod efficit, ut res actu habeat illud, ad quod habendum in potentia est. « Materia, s. Thomas ait, per formam est ens actu, cum de se sit potentia tantum [1] ». Id Aristoteles exemplo e rebus artificiosis petito declaravit. Ait enim materiam ita se habere ad ens naturale, ut lignum se habet ad rem artificiosam, quia sicut lignum, cum nullam per se figuram artificiosam habeat, in potentia ad omnes recipiendas est, ita materia, cum nullam quidditatem, proprietatemque in se recipiendam in potentia est.

49. Secundo, materia ad effectionem corporis concurrit veluti principium passivum, forma autem veluti principium activum [2]. Hoc alterum pronuntiatum est primi consectarium. Nam, cum omnis operatio *esse* consequatur, illud concurrit veluti principium omnis actionis ad corpus constituendum, quod principium est, ex quo corpus est id, quod est; illudque vero veluti principium passivum, quod ab alio efficitur id, quod est. Atqui forma substantialis, uti ex dictis patet, est principium, quo materia est id, quod est, nempe quo ad corpus constituendum concurrit; et materia est principium, quod efficitur id, quod res est [3]. Ergo forma veluti principium activum, et materia veluti principium passivum ad corporis effectionem concurrunt [4].

50. Tertio, ex materia, et forma substantiali unum corpus per se, et sine interventu ullius medii efficitur [5]. Cuius rei ratio est, quod illud, quo aliquid est ens, est quoque unum [6]; atqui forma per se

---

mam, ut secundum ipsam constituatur in esse alicuius speciei, vel aeris, vel ignis, vel cuiuscumque alterius ».

[1]) *In lib. VII Met.*, lect. II. Cf I, q. VII, a. 2 ad 3. Ex his intelligitur potentiam materiae « esse ad ipsum esse substantiale, et non potentiam operativam, seu ad esse accidentale » (I, q. LIV, a. 3 ad 3). Hinc « potentia, quae est in genere substantiae, materia est, sicut forma actus »; *Qq. dispp., De sp. cr.*, a. 3 ad 21.

[2]) « In materia nulla potentia activa est, sed pure passiva » (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 2 *sol.*); et rursus (*ibid.*, Dist. XXX, q. II, a. 2 *sol.*): « Virtus activa non est ex parte materiae, sed magis ex parte formalis principii ».

[3]) « In omnibus illis, in quibus est compositio ex materia, et forma, est etiam compositio ex quo est, et quod est »; *In lib. I Sent.*, Dist. VII, q. V, a. 2 *sol.*

[4]) Id etiam calculo suo Leibnitius comprobavit, et paucis hisce complexus est verbis: « . . . essentiam tamen corporis consistere in materia, et forma substantiali, hoc est; in principio passionis, et actionis; substantiae enim est agere, et pati posse. Itaque materia est prima potentia passiva, forma autem substantialis est actus primus, sive prima potentia activa »; *Syst. theol.*, p. 194, ed cit.

[5]) Ne ab hac quidem doctrina Scholae recessisse videtur Leibnitius, quippe qui non esse aliud medium inter materiam, et modificationem, nisi *ipsum esse substantiatum*, putavit. Vid. *Ad des Bosses* Epist. XXVIII, p. 728, ed. Erdm.

[6]) Cf p. 212.

ipsam efficit, ut res sit in actu; ergo forma per se ipsam efficit, ut ex ea, et materia unum corpus fiat [1]. Adde quod materia, et forma se ad se ipsas veluti potentia, et actus invicem habent; atqui potentia, et actus unum per se efficiunt, quia illud ipsum, quod est in potentia, fit in actu; ergo materia, et forma sine ullius rei interventu corpus efficiunt [2].

51. Hactenus de corpore substantiali in se spectato, nempe prout ab *esse*, quod in rerum natura habet, seiunctum intelligitur. At, quandoquidem in quolibet corpore, praeter compositionem principiorum, ex quibus natura eius efficitur, alia est compositio naturae, et eo esse, quo natura existit [3], oportet, ut corpus, prout *esse* in natura rerum accipit, sive, ut Scholae aiunt, *in fieri*, et prout *esse* iam accepit, sive, *in facto esse* exponatur.

52. Si corpus posteriori modo, hoc est, prout iam in natura rerum

---

[1]) Audiatur s. Thomas: « Sic dicitur aliquid unum, quomodo et ens. Forma autem per seipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquod medium. Unde unitas rei compositae ex materia, et forma est per ipsam formam, quae secundum seipsam unitur materiae, ut actus eius » (I, q. LXXVI, a. 7 c. Cf *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 9 c.). Brevius alibi: « Illa, quae sunt composita ex materia, et forma, statim sunt ens, et unum, quia materia est ens in potentia, et fit ens actu per adventum formae, quae est ei causa essendi » (*Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 1 ad 5). Quare, eodem sancto Doctore monente, « omne, quod efficitur forma alicuius, fit unum cum illo » (*In lib. III Sent.*, Dist. XXVII, q. I, a. 1 *sol.*), ita ut idem sit « esse formae, et materiae, et hoc idem sit esse compositi »; 1ª 2ae, q. IV, a. 5 ad 2. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, a. 4 ad 2, et *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 80.

[2]) « Unde, ait Aquinas, simile est quaerere, quae est causa alicuius rei, et quae est causa, quod illa res sit una, quia unumquodque, in quantum est, unum est; et potentia, et actus quodammodo unum sunt. Quod enim est in potentia, fit in actu; et sic non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea, quae sunt penitus diversa. Unde nulla causa est faciens unum ea, quae sunt composita ex materia, et forma, nisi quod movet potentiam in actum » (*In lib. VIII Met.*, lect. V). Ex quibus postremis verbis patescit, cum corpus ex materia, et forma sine ullius medii interventu effici dicitur, id intelligendum esse de principio interno, non de principiis externis. Nam, cum materia, ut mox dicemus, nunquam sine aliqua forma existat, ipsa non potest amittere formam, a qua *actu* determinatur, novamque adquirere, nisi ad ipsam in se recipiendam a quibusdam causis, sive, ut aiunt, agentibus exterioribus disponatur. « Materia, ait idem sanctus Doctor, prout nuda consideratur, se habet indifferenter ad omnes formas, sed determinatur ad speciales formas, per virtutem moventis »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.* a. 3 ad 2.

[3]) « In quibus (*rebus materialibus*) invenitur duplex compositio. Prima quidem formae, et materiae, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita non est suum esse, sed esse est actus eius. Unde ipsa natura comparatur ad suum esse, sicut potentia ad actum » (I, q. L, a. 2 ad 3). Alibi autem: « In rebus compositis est considerare duplicem actum, et duplicem potentiam. Nam primo quidem materia est in potentia respectu formae, et forma est actus eius; et iterum natura constituta ex materia, et forma est in potentia respectu ipsius esse, in quantum est susceptiva eius »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 1 c.

constitutum existit, consideretur, ipsum non ab aliis principiis substantialibus, quam quae diximus, nempe materia, et forma, iisque, nulla re media copulatis, componitur. Sed primo monendum est nec unquam materiam corporis sine forma, nec unquam formam corporis sine materia in rerum natura esse posse. Nam repugnat existere in rerum natura aliquid, quod est *actus* sine eo, cuius est actus, cuiusmodi est forma sine materia. « De ratione formae, inquit s. Thomas, est quod sit in eo, cuius est forma [1] ». Item repugnat aliquid existere, quod est tantum in potentia, cuiusmodi est materia sine forma. « Materia prima, sanctus Doctor subdit, non potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur; quidquid enim in rerum natura invenitur, actu existit, quod quidem non habet materia, nisi per formam, quae est actus eius [2] ». Id, quod post Aristotelem Plotinus [3] tradidit, s. Augustinus in rerum creatione re ipsa evenisse advertit. « Cum aliud, ait, sit coeli, et terrae materies, aliud coeli, et terrae species; materiem quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia; simul tamen utrumque fecisti, ut materiem forma, nulla morae intercapedine, sequerefur [4] ». Quare, si materia, et forma seorsum considerentur, illarum notiones non sunt, nisi abstractae, proindeque eiusmodi, ut nihil ipsis in rerum natura respon-

---

1) I, q. XL, a. 1 c.; unde alibi ait: « Forma non incipit esse, nisi in materia » (*Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 1 c.). Aquinati nostro adde, ceteris sanctis Doctoribus omissis, s. Bonavent., ex quo satis est exscribere haec pauca: « Forma illa, quae cum materia facit compositum, numquam sine materia reperitur »; *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

2) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IV, a. 1 c.; Cf *De sp. cr.*, q. un., a. 10 ad 5, et s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, Pars I, a. I, q. 2 *resol.* Ex his, monente Aquinate, duo consequuntur. Primum est, « quod materia causa est formae aliquo modo, in quantum sustentat formam, et forma est aliquo modo causa materiae, in quantum dat materiae esse actu » (*Qq. dispp., De Ver.*, q. XXVIII, a. 7 c.). Alterum est, quod « materia, cum non possit esse sine forma, non potest esse in potentia ad non esse, nisi quatenus, existens sub una forma, est in potentia ad aliam formam » (*Op. cit., De Pot.*, q. V, a. 3 c.). Inde pronum quoque est intelligere, qua ratione materia sit prior forma, et vicissim. Si ordo generationis spectetur, forma est posterior materia, quippe quod, quoniam materia formam in se recipit, necesse est, ut prius esse intelligatur id quod recipit, quam in quod recipitur. Sin spectetur ordo naturae, forma est prior materia, quia materia *esse* suum a forma accipit, cum per se non sit, nisi in potentia ad *esse*. Hanc theoriam s. Thomas significavit his paucis: « Dicendum quod forma, secundum quod est recepta in materia, est posterior via generationis, licet sit prior natura »; 1^a 2^{ae}, q. XX, a. 1 ad 3. Cf *ibid.*, q. LXII, a. 4 c.

3) *Enn.* II, lib. IV, c. 10.

4) *Confess.*, lib. XIII, c. 33, n. 48. Uberius, et disertius alibi: « Sicut vox materia est verborum, verba vero formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare; ita Creator Deus non priore tempore facit informem materiam, et eam postea per ordinem quarumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit; formatam quippe creavit materiam » (*De Gen. ad litt.*, lib. I, c. 15, n. 29; cf s.Thom., *In lib. II*

deat [1]. Principia autem substantialia, ex quibus corpora componuntur, seorsum considerare nihil incommodi habet [2], immo, ad naturam corporis intelligendam non modo utile, sed necessarium quoque est, quippe quod, quemadmodum tum in tractatu de methodo, tum in tractatu de origine idearum ostendimus, non licet nobis scientiam ullius rei adipisci, nisi rem in principia, ex quibus constat, resolvamus, et quomodo ex ipsis principiis constituatur, investigemus.

53. Secundo sciendum est materiam, et formam ita secum copulari, ut materia a forma determinetur, et forma a materia limitetur. Et sane, materia, cum per se qualibet essentia, omnique qualitate vacet, atque idcirco ad quamlibet essentiam, omnemque qualitatem sit indifferens, consequitur omnem determinationem sive essentiae, sive qualitatis, quam materia in corpore habet, a vi activa formae esse repetendam. Hinc s. Thomas: « Finitur materia per formam, in quantum materia, quae est in potentia ad diversas species, determina-

---

Sent., Dist. XII, q. 1, a. 4 *sol.*). Scoto (*In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. 4), eiusque discipulis visum est fieri Divina virtute posse, ut materia omni forma spolietur. Sed id negavit s. Thomas. En eius argumentatio: « Quod aliquid simul sit, et non sit, a Deo fieri non potest, nec aliquid contradictionem includens; et de huiusmodi est materiam esse in actu sine forma. Omne enim, quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum; esse autem actu repugnat notioni materiae, quae secundum propriam rationem est ens in potentia. Relinquitur ergo quod non possit esse in actu, nisi in quantum participat actum; actus autem participatus a materia nihil est aliud quam forma; unde idem est dictu, materiam esse in actu, et materiam habere formam. Dicere ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul; unde a Deo fieri non potest »; *Quodlib.* III, a. 1 c. Cf I, q. LXVI, a. 1, et *In lib. IV Sent.* Dist. XI, q. 1, a. 2 *sol.*

[1]) Quisquis de hac re facile persuadere sibi vult, mente reputet cum s. Thoma nos materiam non aliter intelligere, quam veluti ultimum, ad quod in analysi, seu resolutione metaphysica corporis pervenimus, eamque non intelligere per se ipsam, sed per formam, a qua determinatur, sive, ut aiunt, *actuatur*. « Materia prima, sanctus Doctor scribit, est illud, in quo ultimo stat resolutio corporum naturalium, quod oportet esse absque omni forma, quia omne subiectum, quod habet formam, est divisibile in formam, et subiectum formae; et ideo, quia omnis cognitio est per formam, haec materia prima est scibilis, ut dicit Philosophus in *I Phys.*, secundum analogiam tantum, prout dicimus illud esse materiam primam, quod ita se habet ad omnia corpora, sicut se habet lignum ad lectum » (*In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. 1, a. 4 *sol.*; cf eiusdem *In lib. I Physic.*, lect. XIII, et s. Bonav., *In lib. II Sent.* Dist. III, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*). Iam, si notio materiae, prout haec seorsum a corpore consideratur, esset realis, et obiectiva, opus non foret ad materiam intelligendam *abstractione*, sive analysi, quae per abstractionem fit, materiaque per se cognosceretur, quia quidquid est reale, est eiusmodi, ut per se cognoscatur. Quod si materiam, veluti a forma seiunctam, nonnisi abstractione intelligere possumus, consequitur abstractione etiam opus nobis esse, ut formam a materia seiunctam consideremus.

[2]) Apposite de hac materia prima s. Thomas ait: « Quamvis materia secundum se esse non possit, tamen potest secundum se considerari »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. III, a. 5 ad 3.

tur ad unam speciem per formam [1] ». Contra ea, quandoquidem forma per materiam, quam informat, proprietates individuales adquirit, ipsa non amplius naturam specificam repraesentat, sed quoddam individuum eius constituit [2]. Unde idem sanctus Doctor: « Forma finitur per materiam, in quantum forma speciei, quae nata est esse in pluribus individuis, secundum quod recipitur in hac materia, determinatur ad individuum [3] ». E. g., in Socrate humanitas, quae est forma hominis, determinat materiam, quae in Socrate est; quia haec, uti ab humanitate ad Socratem constituendum determinata est, ita ab animalitate ad bucephalum efficiendum determinari poterat [4]. E contrario, humanitas in Socrate a materia limitatur, quia ipsa ex eo quod in Socrate ab hisce, et non ab aliis conditionibus materiae circumscribitur, non cuiusque hominis, sed Socratis propria est. Qua de re « creaturae materiales, ut s. Thomas ait, habent infinitatem ex parte materiae; sed finitatem ex parte formae, quae limitatur per materiam, in qua recipitur [5] ».

54. Sin corpus consideretur, prout *esse* substantiale in natura rerum accipit, sive, ut in Scholis loquenti mos est, *in fieri*, opus est praeter materiam, et formam, alio principio, per quod materia est capax novam formam in se recipiendi. Et sane, quandoquidem res corporeae, ut inferius dicemus, generantur transformatione, hoc est, transitu ab una ad aliam formam, certe nemo non intelligit aliquam rem corpoream non posse aliter generari, quam si formam, quam habet, amittat, novamque adquirat, quia duas formas in eodem composito esse repugnet [6]. Atqui id, quod res non habet, sed ad quod habendum naturaliter comparata est, *privatio* vocatur [7]. Ergo, si corpus *in fieri* consideretur, tria principia ad illud efficiendum concurrunt, eaque sunt *ens in potentia*, quae in generatione substantiali est

---

1) *Quodlib.* III, a. 3 c.

2) Cf p. 109 sqq.

3) *Quodl.* cit.

4) Cf p. 232, not. 7.

5) I, q. L, a. 2 ad 4. Unde, monente eodem sancto Doctore, « infinitum, secundum quod attribuitur materiae, habet rationem imperfecti; est enim quasi materia non habens formam » (I, q. VII, a. 1 c.). Idem docuit s. Bonaventura: « Infinitum dicitur dupliciter, per privationem perfectionis, et sic materia dicitur infinita, et talis infiniti non est finire, sed potius finiri indiget »; *In lib. I Sent.*, Dist. I, a. III, q. 1 *ad arg.*

6) « Dicendum, quod impossibile est in uno, et eodem esse plures formas substantiales, et hoc ideo, quia ab eodem habet res esse, et unitatem. Manifestum est autem quod res habet esse per formam, unde et per formam habet unitatem; et propter hoc, ubicumque est multitudo formarum, non est unum simpliciter, sicut homo albus non est unum simpliciter »; *Quodlib.* I, a. 6 c. Cf *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. creat.*, a. 3 c.

7) Apposite s. Thomas: « Carentia formae in eo, quod est in potentia ad formam, est privatio »; I, q. LXVI, a. 2 c. Cf *Ontolog.* p. 19.

materia prima; 2° *non esse actu*, nempe *privatio*, quia *non esse* in eo, quod est aptum esse, privatio est; 3° id, per quod ens in potentia fit ens in actu, scilicet *forma* [1]. Privatione, veluti principium constitutionis corporum cum Peripateticis [2] agnovit s. Augustinus, quippe qui, ut paulo inferius videbimus, advertit non posse recte cogitari materiam, ex qua corpora fiunt, nisi cum *privatione* omnis formae [3], sive, ut alibi ait, *per omnimodam speciei privationem* [4].

55. Ex his perspicere licet, quid sit *generatio*, et quid ipsa a *creatione* et ab *alteratione* differat. Res incipit esse vel omnino ex nihilo, vel, ut mox dicemus, ex eo quod forma educitur a materia. Primum *creatio*, alterum *generatio* vocatur [5]. Ita mundus a Deo creatus esse dicitur, quia Deus, cum nihil extra ipsum esset, effecit omnipotentia sua, ut res, ex quibus mundus conflatur, esse inciperent, sive res, ex quibus mundus conflatur, ex nihilo fecit [6]. Contra ea, cinis ab igne generari dicitur, quia, cessante combustione ligni, abit forma ignis, eique forma cineris succedit, atque haec a materia ignis educitur, quia materia ignis ad formam cineris in se recipiendam in potentia est. Hinc vides, cum in compositis materialibus forma a materia educi dicitur, id intelligendum esse, « in quantum materia, quae est in potentia ad formam, fit actu sub forma, quod est facere compositum [7] ».

56. Si actio, qua res omnino e nihilo fit, dicitur creatio, reductio

---

1) Vid. Arist. *Nat. Auscult.*, lib. I, c. 6 et 7, et *Met.*, lib. VII, c. 5, et lib. XI, c. 2, § 6, ed. cit.

2) « Privatio, ait s. Thomas, dicitur principium esse fiendi, sed non essendi »; *Qq. dispp., de Pot.*, q. III, a. 1 ad 16. Cf eumdem, *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, *Expos. text.*; s. Bonavent., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. 2, dub. 5; Scot., *In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. 1.

3) *Confess.*, lib. XII, c. 6.

4) *De nat. boni contra Manich.*, lib. I, c. 18.

5) Cf *Ontolog.*, p. 150.

6) « In prima corporalis creaturae productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actum. Et ideo formae corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productae, cui soli ad nutum obedit materia, tamquam propriae causae. Unde ad hoc significandum Moyses singulis operibus praemittit: Dixit Deus: fiat hoc, vel illud. In quo significatur formatio rerum per verbum Dei facta, a quo, secundum Augustinum, est omnis forma, et compago, et concordia partium »; I, q. LXV, a. 4 c.

7) *In lib. VII Met.*, lect. VII. « Sic igitur, alibi ait, huiusmodi inferiora agentia corporalia non sunt formarum principia in rebus factis, nisi quantum potest se extendere causalitas transmutationis, cum non agant, nisi transmutando; hoc autem est, in quantum disponunt materiam, et educunt formam de potentia materiae » (*Qq. dispp., de Pot.*, q. V, a. 1, c. Cf III, q. LXXV, a. 4 c.). Ex quo etiam illud intelligitur, quod idem sanctus Doctor statuit (*ibid.*, q. III, a. 4 ad 7): « Forma potest considerari dupliciter. Uno modo secundum quod est in potentia, et sic a Deo materia concreatur, nulla disponentis naturae actione interveniente. Alio modo, secundum quod est in actu; et sic non creatur, sed de potentia materiae educitur per agens naturale ».

totalis eius in nihilum dicitur *annihilatio*; et si eductio formae a materia dicitur *generatio*, separatio formae a materia *corruptio* [1] vocatur. Ita, si Deus mundum in nihilum, ex quo ipsum eduxit, redigeret, mundus a Deo annihilari diceretur [2], et cum ignis extinguitur, indeque cinis efficitur, ignis dicitur corrumpi [3].

57. Duo hic monenda sunt. Primum est, quandoquidem materia sine ulla forma existere nequit, materiam non posse amittere formam, quam habet, nisi aliam acquirat; ex quo fit, ut, uno composito destructo, aliud efformetur; atque, uno efformato, aliud destruatur [4]. Inde illa effata apud Scholasticos: *Generatio unius est corruptio alterius*; et *corruptio unius est generatio alterius* [5]. Alterum est generationem, et corruptionem, ut infra ostendemus, esse propria compositi, nec nisi ratione huius ad materiam, et formam pertinere. Unde, prout compositum formatur, aut dissolvitur, materia, et forma corrumpi, aut generari dicuntur.

58. Quid denique generatio ab alteratione differat, in promptu est perspicere, si memoria recolatur, praeter formas substantiales, per quas res simpliciter actu sunt, dari quoque formas accidentales, per quas res, quae sunt *actu*, sunt hoc, vel alio modo [6]. Iam, sicut immutatio formae substantialis generationem, vel corruptionem rei, ita immutatio formae accidentalis *alterationem* eius efficit [7].

---

[1]) « Nihil, s. Thomas inquit, corrumpitur, nisi per hoc, quod forma eius separatur a materia »; I, q. L, a. 5 c.

[2]) « Illa transmutatio, aiente s. Thoma, tantum potest dici annihilatio, cuius terminus ad quem esset nihil »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 2, *sol.* Cf I, q. IX, a. 2 c.

[3]) Utile est nosse, quod s. Thomas advertit in hoc loco: « Alio modo haec (*generatio et corruptio*) communiter dicuntur pro quolibet exitu rerum in esse, et pro quolibet transitu in non esse; et sic etiam creatio, per quam aliquid ex nihilo ad esse deducitur, generatio dicitur, et ipsa rei annihilatio dicitur corruptio »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. V, a. 2 ad 6.

[4]) « Quia materia, ait s. Thomas, numquam denudatur ab omni forma, propter hoc quandocumque recipit unam formam, perdit aliam, et e converso »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 3 c.

[5]) Cf s. Thom., 1ª 2ªe, q. CXIII, a. 6 ad 2, et *In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 4 *sol.*

[6]) Cf p. 232.

[7]) Cf s. Thom., I, q. LXVI, a. 1 c. Vid. Arist., *De gen., et corrupt.*, lib. I, c. 4, § 2, et 3, ed. Didot. Praestat hanc rem exemplis illustrare, quae Ed. Corsinius attulit. « Dum, ait, grana tritici in farinam convertuntur, dum lignum, aut aqua calefit, dum crystallus in pulverem comminuitur, dum cera diversas figuras induit, etc., eiusmodi mutationes *alterationes* vocantur; semper enim subiecta illa sensibiliter eadem remanent, et solum secundum accidentia, et qualitates mutantur. At si grana tritici in cibum, et sanguinem demum convertantur, si aqua in aerem, cera igni iniecta in fumum evolet, si ex ligno ignis erumpat, etc., tunc aliquid generari, et corrumpi dicetur, quod eadem subiecta non solum accidentia diversa recipiant, sed omnem prorsus sensibilem substantiam amittant, et novam acquirant » (*Op. cit.*,

ARTICVLVS SEXTVS

Expositi systematis veritas demonstratur

59. Postquam luculentam, ni fallimur, notitiam theoriae scholasticae de principiis substantialibus corporis tradidimus, haud difficile nobis erit illius veritatem ostendere, atque a recentium Philosophorum obiectionibus vindicare.

Quod ut dilucide, planeque praestemus, tum ex vero modo, quo corpora fiunt, et corrumpuntur, tum ex iis, quae in corpore iam constituto observantur, argumenta hauriemus. A primo capite ordiamur, quod praecipuum, immo fere unicum ad theoriam peripateticam evincendam a non paucis post Zabarellam [1] iure, meritoque existimatum est.

60. Res, quae in hoc mundo aspectabili sunt, vere oriri, atque interire nullus antiquus Philosophus, si Parmenidem, Melissum, aliosque paucos exceperis [2], unquam negavit. Iam omnes Philosophi, qui ortum, interitumque rerum admittunt, ut optime observavit Ed. Corsinius [3], si non verbo, certe re in eo consentiunt, quod ad generationem corporis tria principia, scilicet *materia*, *privatio*, et *forma* concurrunt. Namque ortus rerum, sive per alterationem, sive per generationem, secundum diversas Philosophorum sententias, explicetur, non aliter esse potest, quam *transitus de non esse ad esse*. Atqui transitus *de non esse ad esse* concipi non potest, nisi intelligatur aliquod *esse*, quod adquiritur, aliquod *non esse*, quod relinquitur, et *subiectum*, quod a *non esse* ad *esse* transit. Horum autem primum, scilicet *esse*, dici potest *forma*, quia dat subiecto *esse*, quo a ceteris distinguitur; secundum, nempe *non esse*, procul dubio quaedam *privatio* est; tertium, nempe subiectum, vocari potest *materia*, quia est illud, quod *esse* in se recipit. Ergo ad productionem corporis, quocumque modo haec explicetur, tria concurrere debent, quae *forma*, *materia*, et *privatio* dici queunt. Quod si Philosophi tria haec principia ad corporis productionem concurrere agnoverunt, illud quoque agnitum ab eis fuisse credendum est, duo in re iam producta principia superesse, nempe *materiam*, et *formam*, quia *esse*, nempe formam

---

Phys. gener., tract. I, disput. IV, c. I, t. II, p. 87, ed cit.). Ex quibus vides s. Bonaventuram apposite scripsisse: « In alteratione variantur accidentia sensibilia »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*

[1]) *De prima rerum materia*, c. 1, Francf. 1608.

[2]) Hi, cum quidquid est, unum atque immutabile esse sanxissent (vid. *Ontol.*, p. 27), cohaerenter inde confecerunt, nihil posse unquam oriri, aut interire. Cf Arist., *De Coelo*, lib. III, c. 1, § 2, et Plut., *De placit. Philos.*, c. 24.

[3]) *Op. cit. ibid*, p. 81 sqq.

cum *non esse*, nempe privatione, in eodem subiecto inveniri non posse res per se manifesta est.

61. At, si omnes Philosophi tria illa principia in productione rei, et duo in re iam producta, non secus ac Peripatetici, agnoscunt, non eaedem notiones *esse*, et *subiecti*, sive, ut a Peripateticis dicebatur, *formae*, et *materiae*, apud ipsos fuere; ex quo factum est, ut in ortu, interituque corporis explicandis valde inter sese dissiderent. *Privationem* omisimus, quia haec, cum *non esse* denotet, eadem apud eos esse debuit, immo, cum ad formationem corporis positive non concurrat, negligi etiam potuit.

62. Ut variae de ortu, ac interitu corporis Philosophorum sententiae intelligantur, mente reputandum est mutationem, per quam corpora oriuntur, aut intereunt, a Philosophis existimari potuisse aut *substantialem*, aut *accidentalem*; siquidem iudicari potest novum corpus produci vel ex eo, quod, una substantia pereunte, alia in eius locum omnino nova, et a priori distincta succedit; vel ex eo, quod vetus substantia, proprietatibus, affectionibusque sensibilibus, quas habebat, omissis, novas ab illis diversas induat. Si secundum admittatur, omne corpus per veteris substantiae immutationem, hoc est, per *alterationem*; sin primum, per novae substantiae productionem, hoc est, per *generationem*, oriri dicendum est [1]. Iam ex dictis nullo negotio intelligitur sententiam, qua productio corporum per alterationem explicatur, propriam esse tum Atomicorum, qui corpora ex concursu atomorum componi autumant, tum Chymicorum, qui ea ex simplicibus diversi generis coalescere sentiunt; sententiam vero, qua productio corporum per generationem explicatur, esse propriam illorum, qui corpus ex materia, et forma, ceu duobus principiis substantialibus, efformari arbitrantur. Et sane, Atomici sentiunt atomos ita permisceri, novoque ordine inter se perturbari, ut exinde nova proprietatum sensibilium congeries oriatur, quae sensibus nostris novam substantiam, hoc est, veterem substantiam novis proprietatibus sensibilibus praeditam exhibet. E. g., particulae cerae in aerem vi caloris disgregatae *fumum*, et corpuscula aquae simul concreta *glaciem*, scilicet nova, et diversa genera substantiae formare Atomicis videntur, quia particulae cerae, et aquae ex nova textura, figura, et ordine novas sensibiles proprietates acquirunt. Chymici autem tenent moleculas corporum simplicium, puta *hydrogenii*, ac *oxygenii*, cum ex vi affinitatis chymicae secum copulantur, novas proprietates adipisci, ita ut exinde substantia sensibiliter nova efficiatur.

63. Secundum haec Atomicorum, et Chymicorum placita *forma*,

[1] « In mutationibus naturalibus, ait s. Thomas, invenitur... aliqua mutatio, in qua variatur illud, quod inest rei accidentaliter, scilicet quantitas, vel qualitas, ut patet in motu augmenti, et alterationis; aliqua vero mutatio est, quae pertingit usque ad formam substantialem, sicut generatio, et corruptio »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 3, *sol.* I c.

sive illud *esse*, quod in ipsa generatione rei acquiritur, et quo res genita a quacumque alia re distinguitur, nihil est aliud, nisi sola partium textura, vel combinatio chymica simplicium, ex qua novus affectionum sensibilium cumulus resultat, isque ita in re genita reperitur, ut in alia simul reperiri non possit. *Materia* autem, sive subiectum, quod novum *esse* in se recipit, est aliquod ens in genere substantiae completum, sive substantia, quae, praeter magnitudinem, et figuram, quae a corpore separari nequeunt, nullas sensibiles affectiones habet, sed omnes sensibiles affectiones ex varia partium textura, vel simplicium combinatione induere potest.

64. Contra ea, Aristoteles, ut nonnullos alios antiquos praetereamus, et Scholastici, cum corpora ab se *forma* differre, et formam esse principium substantiale rei putarent, e vetere corpore novum non aliter posse produci statuerunt, quam quod, priori substantia pereunte, alia omnino nova exurgat. Et sane, quandoquidem forma est illud, quo res in sua specie constituitur, consequens est, si materia formam veterem amittat, novamque induat, veterem substantiam corrumpi, novamque generari.

65. Quae cum ita sint, cardo totius controversiae de principiis constitutivis corporis, ut Corsinius [1] post Goudinum [2] observavit, in eo vertitur, utrum productio corporum per mutationem accidentalem, an vero substantialem fiat. Nam si productionem corporis in mutatione substantiali re ipsa consistere demonstratum fuerit, non aliam theoriam, nisi aristotelico-scholasticam de principiis constitutivis corporis veritati consentaneam esse concludendum erit.

66. Iamvero, quin corpora per mutationem substantialem oriantur, et per mutationem substantialem intereant, dubitandum non est. Namque omnibus exploratum est, cum ex uno corpore mixto, seu composito aliud gignitur, in novo corpore mixto proprietates inveniri illis omnino oppositas, quae in vetere observabantur, aliasque esse proprietates corporis mixti, aliasque corporum simplicium, ex quibus mixtum conflatur, quia proprietates simplicium, ut diximus, non remanent *actu*, sed *virtute* tantum in mixto. Quod quidem manifestissime perspicies, si comparaveris proprietates ligni cum proprietatibus ignis, qui ex ligno producitur, atque proprietates aquae cum proprietatibus hydrogenii, et oxygenii, ex quibus aqua efficitur. Atqui id illustri argumento est aliam esse substantiam veteris corporis, aliam autem novi, quod ab ipso producitur, itemque aliam corporis mixti, alias autem corporum simplicium, ex quibus mixtum conflatur, quippe quod una, eademque substantia proprietatum, quae sibi invicem opponuntur, principium, et subiectum esse non potest [3]. Ergo cum

---

[1]) *Op. cit.*, *Phys. gen.*, tract. I, c. 2, § I, t. II, p. 93, et 94, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, *Phys.*, Pars I, Disp. I, q. I, art. 6, § I, t. II, p. 63, et 64, ed. cit.

[3]) Hinc s. Thomas aiebat: « Generatio, et corruptio sunt ex ente contrario, et in

ex novo corpore mixto aliud producitur, vel ex pluribus simplicibus mixtum conflatur, vetus substantia evanescit, novaque inde exurgit [1]. Quare per mutationem substantialem unum corpus interit, aliudque oritur.

67. Hoc, quod brevi argumento ab ipsa rerum natura petito evicimus, vetus, et constans omnium hominum iudicium confirmat. Enimvero omnibus hominibus semper persuasum fuit novas subinde substantias in rerum natura produci, quae a veteribus non modo sensibiliter, et apparenter, sed etiam intrinsecus, et essentialiter distinguuntur, ideoque corpora, quae in rerum natura sunt, non modo secundum accidentia, sed etiam secundum substantiam mutari. E. g., ipsi putant aliter ceram, aut lignum mutari, cum novam induunt figuram, aliter vero lignum, cum in ignem convertitur, quippe quod in cera, et ligno nova accidentia producuntur, quin ipsa substantia corrumpatur, sed substantia ligni perit, cum ignis ex illo efficitur [2]. Certe non modo omnes Philosophi si antiquos, recentesque Pantheistas exceperis, sed etiam vulgus hominum discrimen inter alterationem, et generationem concorditer agnoscunt. Iamvero alteratio, uti ante innuimus, habetur, cum per formam accidentalem, quae corpori advenit, novum accidens in substantia corporea producitur; sed generatio habetur, cum per novam formam substantialem, quam materia, priori forma amissa, in se recipit, producitur novum corpus [3]. Ergo ortum, interitumque corporum per mutationem substantialem fieri vulgo hominum persuasum est.

68. Iam, si res ita est, inde facile intelligitur ad corporis productionem tria illa principia expostulari, quae *materiam*, *formam*, et *privationem* ab Aristotele, et a Scholasticis dicta fuisse vidimus. Et sane, quod ad primum attinet, si ab uno corpore aliud non aliter generatur, quam quod in illo, vetere substantia pereunte, nova exurgit, tria admittantur oportet. Primum est, in corpore, quod generatur, aliquid

---

ens contrarium »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. V, a. 2 ad 6. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. 1, a. 4 *sol.*

[1]) « Generari, ait s. Bonaventura, dicit innovationem »; (*In lib. IV Sent.*, Dist. XI, p. I, a. 1, q. 6 *resol.*), atque (*ibid.*, Dist. XLIII, a. I, q. 4 *resol.*): « Natura dat novum modum essendi non tantum accidentalem, imo etiam substantialem ». Cum quo consentit s. Thomas: « Illud, ad quod terminatur conversio . . , est substantia existens in actu » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 1, *sol.* 3 c.). Idem Aquinas monuit hanc mutationem substantialem in ipsis productionibus artificiosis quodammodo agnoscendam esse. « Quamvis ars, inquit, non possit introducere formam substantialem per seipsam, potest tamen introducere virtute naturae, qua utitur in sua operatione, sicut instrumento; sicut patet in hoc, quod aquam in vaporem convertit, et aërem in ignem, igne mediante »; *ibid.* ad 3.

[2]) « Sic ex igne generatur ignis, dum ab igne corpus extraneum alteratur, et ad qualitatem, et speciem ignis perducitur »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11.

[3]) « Motus . . . ait s. Thomas, ad formam aliquam dicitur generatio, si sit forma substantialis, sicut quando ex aëre fit ignis; vel alteratio, quando est forma accidentalis, sicut in rarefactione aëris patet »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 *sol.*

remanere, quod veterem formam in se recipiebat[1]; quia si, cum unum corpus ab altero generatur, nihil de vetere corpore in novo superesset, vetus corpus non transmutaretur, sed in nihilum reduceretur[2]. Secundum est, id, quod de vetere corpore in novo remanet, intelligendum esse tamquam *puram potentiam*, nempe aliquid, quod, cum nullam peculiarem formam habeat, est per se indifferens ad omnes formas in se recipiendas; alioquin plures formas, unam post aliam, in se recipere non posset[3]. Tertium est, substantiam novi corporis educi ex eo, quod de vetere corrupto in novo remanet, quodque ad quamlibet formam in se recipiendam indifferens est; quia si non educeretur ex hoc, educi deberet ex nihilo, seu, quod idem valet, non generaretur, sed crearetur[4]. Atqui hoc aliquid, quod de vetere corpore in novo remanet; ex quo substantia novi corporis educitur; et quod ad omnes formas recipiendas est per se indifferens, illud est, quod *materia* a Scholasticis post Aristotelem nuncupatum fuit. Ergo unum principium, ex quibus corpus efficitur, illud est, quod *materia* a Scholasticis dictum fuit[5].

69. E re valde est idem ex modo, quo res accidentaliter mutantur, comprobare, quia res haec est, de qua inter omnes convenit. Puta, cum cera ex rotunda fit quadrata, primo in cera quadrata illud remanet, quod figura rotunda antea ornabatur, ideoque aliquid in cera est,

---

[1]) « In omni mutabili, ait s. Thomas, est invenire aliquid, quod substernitur ei, quod per mutationem amovetur »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. III, a. 2 *sol.*

[2]) Unde s. Thomas advertit nihil naturaliter adeo mutari posse, ut ipsa materia pereat. En eius verba: « Naturalis mutatio non potest pertingere usque ad variationem materiae, quia operatur ex supposita materia, sicut quodlibet secundum agens operatur, suppositis his, quae data sunt sibi a primo agente; et haec principia oportet manere in operatione naturae »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 3, *sol.* 1 c.

[3]) « Principium mutationis, et causa est rei possibilitas » (*In lib. II Sent.*, Dist. VII, q. I, a. 1 *sol.*). Hoc, ni fallimur, innuit etiam s. Augustinus, ubi ait: « Et intendi in ipsa corpora, eorumque mutabilitatem altius inspexi, qua desinunt esse, quod fuerant, et incipiunt esse, quod non erant; eumdemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum »; *Confess.*, lib. XII, c. 6, n. 6.

[4]) « Agens naturale, inquit s. Bonaventura, perficit illud, quod erat in materia »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 4 *resol.* Cuius rei sanctus Doctor praeclaram hanc dedit rationem: « Natura, cum agat in materiam, oportet quod producat formam; et cum materia non sit pars formae, nec forma fiat pars materiae, necesse est aliquo modo formas naturales esse in materia, antequam producantur »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, art. I, q. 4 *resol.* Cf *Ontol.*, p. 148, et 149.

[5]) « Generatio, ait s. Thomas, praesupponit materiam, quae non generatur, sed per generationem completur in actum formae transmutata »(*In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 2 *sol.*). Quod diserte tradiderat Origenes hoc in loco. « Ex rebus ipsis, scribit, apparet, quod diversam, variamque permutationem accipiat natura corporea, ita ut possit ex omnibus in omnia transformari: sicut (verbi gratia dixerim) lignum in ignem vertitur, et ignis in fumum, et fumus in aerem . . . Materiam ergo intelligimus, quae subiecta est corporibus, id est, ex qua inditis, atque insertis qualitatibus corpora subsistunt »; *De principiis*, lib. II, c. 4, ed. cit.

quod sub diversis figuris, quae sibi succedunt, idem remanet. Secundo, id, quod in figuris diversis sibi succedentibus remanet, est per se indifferens ad diversas figuras recipiendas, ideoque veluti mera potentia ratione ipsarum intelligitur. Tertio figura quadrata, quam cera, amissa rotunda, induit, certe non educitur ex nihilo, sed ex aliquo, quod in ipsa cera invenitur, hoc est, ex dispositione, quam cera ad quamlibet figuram in se recipiendam habet [1].

70. Ad alterum principium, nempe *formam*, progrediamur. Si in generatione corporis aliquod principium *potentiale*, seu *materiale* requiritur, aliud principium *actuale*, seu *formale* in illa etiam admittendus est. « Vera generatio, s. Thomas ait, est per hoc, quod nova forma substantialis acquiritur materiae [2] ». Et sane, ad cuiuslibet rei generationem oportet concurrere aliquod principium, quo res ad certam entis speciem determinatur; quo a ceteris speciebus entis distinguitur; et ex quo eius proprietates emanant, sive, ut aiunt, *resultant*. Atqui hocce principium aliud, ac materiale, esse debet. Nam materia, si in se, et seiuncta ab omni alio principio consideretur, neque principium esse potest, quo res ad certam speciem entis determinatur, quia ipsa est mera potentia, atque ideo, ut ex s. Augustino diximus, *prope nihil*; neque principium, quo una res ab altera secundum speciem distinguitur, quia conceptus materiae aliquid, quod cunctis speciebus rerum commune est, denotat [3]; neque principium, ex quo proprietates res emanant, quia, aiente s. Bonaventura, « dicit principium passivum [4] ». Ergo ad generationem rei, praeter principium materiale, aliquod principium admittendum est, quo res, quae generatur, ad certam entis speciem pertinet; quo una res specie ab altera distinguitur; et ex quo proprietates eius emanant. Quoniam autem hoc principium est illud, quod *forma* a Scholasticis vocatur, nemini dubium esse potest, quin forma simul cum materia ad generationem corporis concurrat, eaque idcirco merito a Scholasticis *actus materiae* definiatur [5].

71. Iam illud manifestum est, quod modo advertimus, formam extrinsecus non advenire corpori, sed educi ex ipsa materia, hoc est, ex potentia, atque indifferentia materiae ad quamlibet formam. Enimvero materia omnes formas in se recipere potest, quia in potentia ad

---

[1]) Hinc s. Thomas statuit, quocumque modo corpus naturaliter convertatur, subiectum semper in eo permanere. « In qualibet, ait, conversione naturali manet subiectum, in quo succedunt sibi diversae formae, vel accidentales, sicut cum album in nigrum convertitur; vel substantiales, sicut cum aër in ignem, unde conversiones formales nominantur »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 63.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. 1, q. 1, a. 5 ad 4.

[3]) Cf p. 231, not. 7. Hinc s. Thomas subdit: « Materia prima, prout consideratur nuda ab omni forma, non habet aliquam diversitatem »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 2 *sol.*

[4]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. II, a. 1, q. 3 *resol.* Cf p. 232-233.

[5]) « Forma nihil aliud est, quam actus materiae »; I, q. CV, a. 1 c.

ipsas est. Atqui omnis res id, ad quod in potentia est, potentia in se continet. Ergo formae potentia in materia continentur. Iam manifestum est illud, quod potentia in alio continetur, non aliter ad actum perduci posse, quam quod ab eo, in quo potentia continetur, educitur[1]. Ergo formam substantialem, quae, vetere pereunte, corpori advenit, ab ipsa materia corporis educitur [2]. Quare s. Bonaventura, secundum s. Augustinum, scripsit in materia esse semina omnium formarum [3].

72. Qua ratione autem forma de potentia materiae educatur, facile ex iis, quae iam statuimus, explicatur. Cum agens naturale non producat ullam rem, nisi aliquam materiam transmutet de non *esse* ad

---

[1]) Apposite s. Thomas: « Actum extrahi de potentia materiae nihil aliud est, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia »; I, q. XC, a. 2 ad 2. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. XI, a. 2 *sol.*

[2]) Hinc s. Thomas statuit formam corpoream in materia produci ex eo quod aliquod agens extrinsecum materiam ad actum reducit. «Sic igitur, inquit, formae corporales causantur..., quasi materia reducta de potentia in actum ab aliquo agente composito » (I, q. LXV, a. 4 c.). Hinc idem sanctus Doctor sententias cum illorum, qui formas in materia latitare, proindeque *actu* esse, tum illorum, qui eas ab agentibus extra naturam produci autumarunt, erroris redarguit. Quod spectat ad primam, ita scribit: « Quidam posuerunt *formas* non incipere per actionem naturae, sed prius in materia extitisse, ponentes latitationem formarum. Et hoc accidit eis ex ignorantia materiae, quia nesciebant distinguere inter potentiam, et actum; quia enim formae praeexistunt in materia in potentia, posuerunt eas simpliciter praeexistere » (I, q. XLV, a. 8 c.). Quod vero ad alteram: « Quia Platonici, et Avicenna non ponebant formas de potentia materiae educi, ideo cogebantur dicere, quod agentia naturalia disponebant tantum materiam; inductio autem formae erat a principio separato. Si autem ponamus formas substantiales educi de potentia materiae secundum sententiam Aristotelis, agentia naturalia non solum erunt causae dispositionum materiae, sed etiam formarum substantialium, quantum ad hoc dumtaxat, quod de potentia educuntur ad actum »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 1 ad 5.

[3]) «Rationes, ait, seminales omnium formarum sunt in ipsa (*materia*)», *(In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 4 *resol.*; cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. 1, a. 2, et I, q. CXII, a. 2 c.). Eo locum praeclarum s. Augustini: « Quaecumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, et incrementa debitae magnitudinis, distinctionesque formarum ab originalibus tamquam regulis sumunt » (*De Trin.*, lib. III, c. 8, n. 13). Advertendum vero est cum eodem Doctore formas corporum, prout sunt in materia, esse creatas a Deo. « Ista, ait, quippe originaliter, ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidae sunt foetibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium; quae in illo non creantur, nisi ab illa summa Essentia, ubi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit » (*ibid.*, c. 9, n. 16). Qua de causa s. Thomas docuit *formam, secundum quod est in potentia, a Deo materia concreari* (vid. p. 238, not. 7, et I, q. XCIV, a. 3 c.), proindeque, quemadmodum natura operibus artis, ita creationem operibus naturae fundamentum praebere. « Sicut, inquit, operatio artis fundatur super operationem naturae, in quantum natura praeparat arti materiam, ita et operatio naturae fundatur supra creationem, in quantum ministrat naturae materiam »; *In lib. II Sent.*, Dist. II, q. I, a. 3 ad 4.

esse alicuius formae, ad quam ipsa materia in potentia est [1], liquet materiam ad productionem formae concurrere ex eo quod ipsa agens naturale ad productionem formae adiuvat. Quod quidem, monente s. Thoma, non est intelligendum, quasi materia aliquid agat [2], sed quod materia ad formam in se recipiendam apta est [3].

73. Ex his intelligitur 1° materiam existere oportere ante actionem, qua agens formam in illa producit, alioquin ipsa agens ad producendam formam non adiuvaret, nec ad generationem corporis cum forma concurreret [4]; 2° *esse* formae a materia pendere hoc modo, quod eius subiectum non est sola forma, sed forma cum materia [5]. Nam, cum fieri nihil aliud sit, quam *via ad esse*, et materia, ut vidimus, ad productionem formae agens adiuvet, consequitur *esse* non convenire formae in se spectatae, sed prout cum materia coniungitur. Quare *esse*, si pro-

---

[1]) « Cum agentia corporalia non agant, nisi transmutando, nihil autem transmutetur, nisi ratione materiae, causalitas agentium corporalium non potest se extendere, nisi ad ea, quae aliquo modo sunt in materia »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, a. 1 ad 5.

[2]) « Quidam ponunt, quod in qualibet materia naturali est aliquod activum principium, alioquin credunt, quod non esset transmutatio naturalis; in quo decipiuntur, quia transmutatio dicitur naturalis propter principium intrinsecum, non solum activum, sed etiam passivum... Nec est possibile, quod materia agat ad sui formationem, quia non est actu »; III, q. XXXII, a. 4 c.

[3]) « Materia coadiuvat ad generationem non agendo, sed in quantum est habilis ad recipiendum talem actionem, quae etiam habilitas materiae dicitur, et inchoatio formae » (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 2 *sol.*). « In ipsa materia, s. Bonaventura subdit, aliquid est concreatum, ex quo agens, dum agit in ipsum, educit formam » (*In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. II, a. II, q. 1 *resol.*). Ibidem (*ad arg.*): « Essentia materiae solum se habet per modum receptivi; sed seminarium inditum se habet quodam modo per modum activi, quodam modo per modum passivi, quoniam cooperatur agenti ».

[4]) « Forma, secundum quod est recepta in materia, est posterior via generationis, quam materia, licet sit prior natura » (1^a 2^{ae}, q. XX, a. 1 ad 3; cf p. 153, et p. 235, not. 2). Quandoquidem materia ordine generationis praecedit formae, liquet materiam non posse e potentia alterius educi (vid. s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. V, q. 1, a. 3, *sol.* 3 ad 3, et *Cont. Gent.*, lib. II, c. 20, n. 3); proindeque ipsam non generari, sed tantum a Deo creari (cf eundem, *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 4 *sol.*). Cave tamen, ne putes materiam ante generationem corporis existere oportere *actu*, nempe, ut scholae aiunt, *secundum actualem existentiam*, seu *per modum entis completi*, quia ipsa, uti ex dictis (p. 232 et 235) patet, non existit ante generationem corporis, nisi hoc modo, quod est in potentia ad formam in se recipiendam, nempe *secundum realitatem potentiae*, sive *per modum inchoationis entis* (cf s. Bonavent. *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. I, q. I *ad arg.*). Hoc manifestum in creatione fit, quippe quod in creatione materia per formam determinata existit. Loco, quem ex s. Augustino iam adduximus, Hunc addimus: « De nihilo a Te, non de Te facta sunt, non de aliqua non tua, vel quae antea fuerit, sed de concreata, idest simul a Te creata materia, quia eius informitatem sine ulla temporis interpositione formasti »; *Confess.*, lib. XIII, c. 33, n. 48.

[5]) Cf p. 235.

prie loqui velimus, non est formae, sed corporis, quod ex materia, et forma componitur [1], quia non forma, sed corpus, quod ex forma, et materia constat, proprie generatur [2].

74. De tertio principio corporis constitutivo nihil fere est, quod iam dictis adiiciamus. Enimvero intelligi non potest, quomodo subiectum possit aliquod novum *esse* adquirere, nisi illud *actualiter* non habere, hoc est, nisi esse cum *privatione* eius intelligatur; quocirca *transitus de non esse ad esse* sine privatione intelligi nequit. Atqui generatio est ille *transitus de non esse ad esse* [3]. Generatio igitur sine privatione intelligi nequit.

75. Nemo autem nobis cum peripateticae philosophiae osoribus obiiciat privationem, cum sit non ens, non posse quidquam conferre ad generationem entis. Nam privatio ad generationem corporis non concurrit tamquam principium, quod componit id, cuius est principium, hoc est, tamquam pars, quae ipsum genitum constituit, sed tamquam principium *a quo*, seu tamquam terminus, a quo generatio proficiscitur [4]. Et sane, quoniam generatio unius corporis per corruptionem alterius fit, consequitur generationem inde incipere, ubi corruptio desinit [5]; sed corruptio desinit in *non esse*, sive in privationem formae; ergo privatio est principium, a quo generatio incipit [6].

76. Nec opus nobis est, ut in corpore iam generato tertium, nempe privationem, non inveniri demonstremus. Etenim, quoniam privatio

---

[1]) « Formae non habent esse, sed composita habent esse per eas; sic enim alicui competit fieri, sicut et esse » (I, q. LXV, a. 4 c.). Rursus (*ibid.*, q. XLV, a. 8 c.): « Cum fieri, et creari non conveniat proprie nisi rei subsistenti . . ., formarum non est fieri... Quod autem fit ab agente naturali, est compositum, quod fit ex materia ». Quapropter « formae incipiunt esse in actu, compositis factis »; *ibid.* ad 1. Cf *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. I, a. 2 ad 1.

[2]) « Proprie loquendo, ait s. Bonaventura, forma non generatur, sed compositum. Cum enim producitur forma, non producitur in se, nec per se; sed ut in materia, et sic facit compositum, et ad illud terminatur generatio; nihilominus generatio, vel productio naturalis respicit compositum principaliter gratia formae » (*In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. II, a. 11, q. I *ad arg.*). S. Thomas autem advertit non alia ratione formam terminum generationis dici posse, « nisi quia facit esse...; dato enim quod aliqua forma non faceret esse, non diceretur generari id, quod talem formam accipere t » (*Contr. Gent.*, lib. I, c. 26, n. 5), indeque fieri, ut *esse* rei tribuatur formae. « Esse, inquit, secundum se competit formae, unumquodque enim est ens actu, secundum quod habet formam; materia vero est ens actu per formam »; I, q. L, a. 5 c.

[3]) « Generatio, ait s. Thomas, est transmutatio de non esse in esse »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 3 c.

[4]) « Transitus, idem Aquinas subdit, semper intelligitur a termino in terminum »; I, q. XLVI, a. 2 ad 6.

[5]) « Quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione » (2^a 2^{ae}, q. CVII, a. 2 c.), atque ibidem (q. CLXII, a. 7 ad 3): « Quod est primum in generatione, est postremum in corruptione ».

[6]) En illustrem locum s. Thomae: « Dicitur etiam principium generationis, a quo

ad generationem corporis concurrit non veluti principium, quod rem generatam constituit, sed veluti principium, a quo generatio proficiscitur, privatio, generato corpore, evanescit. Similitudinem capessere licet a corpore, quod ab uno in alium locum movetur. Nam, dum corpus ab uno in alium locum movetur, oportet in eius motu considerare terminum, *a quo* proficiscitur; at, cum corpus ad terminum, quo spectabat, pervenit, in eo terminus, a quo profectum est, non amplius consideratur.

77. Eadem doctrina, quemadmodum diximus, ex proprietatibus, quae in corpore conspicuae sunt, mire comprobatur. Primum argumentum ab eius extensione nobis suppetit. Quodlibet enim corpus multitudinem partium prae se fert, quarum aliae extra alias sunt positae, sed ita coagmentatae, ut unum per se continuum, atque indivisum efficiant. Nec res aliter se habere potest, quia, quidquid est, eo ipso, quod est ens, est unum [1], et indivisum. Atqui unitas corporis ex sola unione multarum partium exurgere nequit [2]. Nam, quoties multae partes sine ullo alio principio uniuntur, unaquaeque illarum propriam, a ceterisque separatam existentiam habet, unde unum *per accidens* efficiunt, puta *acervum tritici*, aut *exercitum* [3]. Ast ex multis unum *per se* effici non potest, nisi multa in eo inveniantur *actu* quidem distincta, sed divisa dumtaxat *potentia*, ita ut, dum unum *actu* est, in plures partes dividi queat. Plura igitur aliquid, quod est unum per se, efficere non possunt sine aliquo principio, quod ipsa ita pervadit, ut unum ex ipsis existat divisibile quidem *potentia* in plures partes, sed indivisum *actu* [4]. Hocce autem principium, uti ex se patet, *actuosum*, et *simplex* esse debet. *Actuosum*, quia in partes, quas unit, aliquam vim exercere debet, ex qua ipsae cohaerent, atque in unum coale-

---

incipit generatio; et hoc modo principium, vel initium generationis est privatio formae inducendae, et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta; sicut etiam in dealbatione terminus a quo est nigredo, et terminus ad quem est albedo » (*In lib. I Sent.*, Dist. V, q. III, a. un. *sol.*). Quod s. Augustinus, ni fallimur, praemonuit, ubi ait: « Quanto magis quodque corrumpitur, tanto magis ad interitum tendit »: (*Contr. Epist. Fundam.*, lib. I, c. 40, n. 46). Hinc mire deceptus est Gassendus (*Phys.*, lect. I, lib. III, c. 4, ed. cit.), quod, reiecta, tamquam *paradoxo*, hac theoria de privatione, contendit formam praeexistentem potius posse dici terminum, a quo materia transit, quia corruptio non in formam praeexistentem, sed in privationem eius desinit. Vid. quae contra eum disseruit Roselli, *Op. cit.*, *Phys. gener.*, q. III, a. 12, § 11, p. 126, n. 2, ed. cit.

[1]) « Ab eodem, Aquinas ait, habet res, quod sit ens, et quod sit una »; I, q. LXXVI, a. 3 c. Cf *Ontol.*, p. 55.

[2]) « Ea, quorum forma est ordo, vel compositio, non sunt res naturales, ut sic eorum unitas possit dici unitas naturae »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 35.

[3]) « Cf p. 57. Huiusmodi unitas a s. Bonaventura appellatur *unitas collectiva*, et ab *unitate constitutiva* distinguitur »; *In lib. III Sent.*, Dist. VI, a. II, q. 2, *ad arg.*

[4]) De hac re inferius.

scunt ; *inextensum* vero, seu *simplex*, alioquin esset et ipsum corpus, non vero principium, ex quo fit corpus. Ergo, quoniam omne corpus est extensum, oportet in eo, praeter materiam, ex qua partes corporis pullulant, inesse aliquod principium non modo actuosum, sed etiam inextensum, ex quo illae partes in unum per se coalescunt [1]. Iamvero hoc principium est illud, quod in Scholis *forma* appellatur. Namque in primis forma est id, cuius gratia unumquodque est unum; quod s. Thomas probavit hoc modo: « Unumquodque in quantum est unum, in tantum est ens, unde ens, et unum convertuntur. Est autem unumquodque ens per suam formam, unde et unumquodque per suam formam habet unitatem [2] ». Praeterea forma est aliquid actuosum, atque inextensum; actuosum, quia ipsa, cum sit id, quo res est, est id etiam, quo res operatur [3]; atque inextensum, quia, cum ad constitutionem rei velut pars concurrat, *caret*, aiente s. Bonaventura, *partibus constitutivis* [4]. Itaque ex eo, quod extensio in corpore conspicua est, inde inferre nobis licet assentiendum esse Scholasticis, qui, post Aristotelem, et s. Augustinum, quodlibet corpus ex materia, et forma constitui docuerunt [5].

78. Idem ex resistentia, et figura corporis, ne de aliis eius proprietatibus dicamus, luculenter etiam patescit. Et primo patet ex resistentia. Nam resistentia sine aliquo extenso dari nequit, quia nonnisi id, quod mole sua locum occupat, compenetrationem impedire potest; ast ab extensione, uti alias videbimus, produci nequit, quia extensio,

---

1) « Plura non possunt fieri simpliciter unum, nisi aliquid ibi sit actus, et aliquid potentia » ; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 18, n. 1.

2) *Quodlib.* VI, a. 1 c.

3) « Natura semper per formam aliquam operatur » ; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 81, n. 1.

4) *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, a. 1, q. 2 *ad arg.* S. Thomas advertit formas corporum dici inextensas, seu simplices, si considerentur abstractae a materia, quia hoc modo consideratae nihil nisi simplex, atque uniusmodi exhibent. Quod declaravit exemplo albedinis his verbis: « Esse abstractum est unum tantum, ut albedo, si esset abstracta, esset una tantum » *Contr. Gent.*, lib. I, c. 42, n. 13). Verum advertit quoque, si formae considerentur, prout sunt concretae in materia, ipsarum cum *esse*, tum operationes supra materiam non assurgere (*Op. cit.*, lib. IV, c. 81, n. 3). Puta, si *igneitas* a corpore, quod igneum est, seiuncta consideretur, nonnisi tanquam aliquid simplex intelligi potest; at, si ipsa consideretur in corpore igneo, quidquam materiale est, et non alias operationes, quam quae propriae materiae sunt, exerit. Ex quo s. Bonaventura (*In lib. II Sent.*, Dist. VII, pars I, a. 11, q. 1 *ad arg.*) deduxit formas corporum esse incorruptibiles, si considerentur in *universali*, seu *secundum essentiam*, quia essentiae rerum sunt immutabiles ; sed *in particulari*, seu *secundum esse* generari, et corrumpi, quia, prout *esse* in materia habent, materia potest formam, quam habet, amittere, novamque adipisci.

5) Haec est praecipua ratio, quae Leibnitium (*Syst. nouveau de la nat.*, § 3, p. 124), et nonnullos nuperos (cf Liverani, *Opusc.* citt., II. citt.) ad theorias, quas antea defenderant, abiiciendas, et formas substantiales instaurandas permovit.

si per se spectetur, vim, qua ad resistendum opus est, excludit; tantum abest, ut ea polleat. En principium passivum, sive materia, quae est radix extensionis, et principium activum, nempe forma, ex qua resistentia oritur. Secundo patet ex figura. Etenim, cum extensio sit per se ad quamlibet figuram indifferens, oportet esse in corpore, praeter principium, ex quo pullulat extensio, aliud principium, ex quo extensio certam figuram induit. Hoc principium activum esse oportet, quia aliqua vi opus est, ut partes extensi, quae ad quamlibet figuram accipiendam per se indifferentes sunt, determinatam figuram induant [1]. Nec figuram ab externo aliquo principio repeti posse existimes; siquidem ex phaenomenis crystallizzationis, de qua inferius nonnihil dicemus, constat corpora sibi relicta, atque ab actione causarum externarum libera ad diversam figuram induendam ferri, prout ipsorum substantiae specie differunt [2].

ARTICVLVS SEPTIMVS

Obiectionibus adversariorum satisfit

79. Quisquis ea, quae de principiis constitutivis corporis statuimus, probe didicit, is iam fere confutatas inveniet tum obiectiones, quibus multi recentes, nuperique theoriam aristotelico-scholasticam impugnarunt, tum probationes, quas ad diversa sua systemata constabilienda, tuendaque adduxere. Nihilominus iuvabit praecipuas quasdam illarum ad examen revocare, ut a re, quae tanti momenti est, et de qua cultores scientiarum hodie tantopere digladiantur, omnis dubitatio amoveatur.

80. Atque in antecessum respondendum illis est, qui totum systema aristotelico-scholasticum reiiciunt ex eo, quod haec controversia non ad Metaphysicam, sed ad Chymiam pertinet.

Qui quidem ita obiiciunt: 1° Non alia esse principia corporum dicenda sunt, quam quae Chymia nobis suppeditat. Atqui Chymia non alia esse principia corporum docet, quam simplicia. Ergo non alia, nisi haec, principia corporis esse dicenda sunt.

81. Resp. *Dist. mai.*: Si agatur de principiis, quae analysi chymica in alia resolvi nequeunt, *conc. mai.*; si de principiis, quae in alia resolvi haud posse ratiocinatione cognoscitur, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. conseq.* Cum de principiis constitutivis corporis in Cosmologia disputatur, certe non quaeritur, uti ante monuimus, quaenam sint corpora simplicia, ex quibus corpora mixta componuntur, sed quaenam sint principia, quae essentiam corporis constituunt. Iam principia, seu ele-

---

[1]) « Illud, quod est tantum in potentia, non agit, quia se habet indeterminate ad multa; sed forma, quae est terminans potentiam materiae, principium actionis dicitur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLV, q. I, a. 3 *sol.*

[2]) Cf p. Liberatore, *Del composto umano*, c. VIII, art. 5, § 2, p. 386 sqq., ed. cit.

menta, ad quae Chymia per suas analyses, et syntheses pervenit, sunt corpora simplicia, ex quibus mixta componuntur, non vero principia essentialia corporum cum simplicium, tum mixtorum. Haec inquirit Cosmologia; quocirca ad hanc, non ad illam quaestio, quam hic ventilamus, pertinet, eaque idcirco principia constitutiva corporis dicenda sunt, quae Cosmologia, non vero quae Chymia nos edocet. Illud tantum concedendum est, theoriam, quae in Cosmologia traditur, eiusmodi esse debere, ut certis, exploratisque Chymiae experimentis non adversetur; nam quemadmodum pro exploratis habenda non sunt illa *facta*, quae cum certis rationis momentis pugnant, ita pro veris habenda non sunt illa momenta rationis, quae factis exploratis repugnant. Iamvero Chimia, quantum scimus, nulla *facta* adhuc statuere potuit, quae theoriae aristotelico-scholasticae de principiis constitutivis corporis contradicunt [1].

82. Obii. 2° Etiamsi concedatur Cosmologiam, non vero Chymiam in quaestione de principiis constitutivis corporis consulendam esse, Cosmologia, ut in confesso est, nihil statuere potest, quod factis Chymiae probe exploratis adversatur. Atqui Cosmologia scholastica theoriam de principiis constitutivis corporis statuit, quae exploratis Chymiae factis adversatur; nam corpora mixta non ex materia, et forma, sed ex corporibus simplicibus constare exploratum, indubiumque *factum* Chymiae est. Ergo theoria Cosmologiae scholasticae de principiis constitutivis corporis veluti absurda reiicienda est.

83. Resp. *Conc. mai.*; *dist. min.*: ita tamen, ut simplicia in mixto proprias substantias habeant, non vero novam substantiam efficiant, *neg. min.*; secus, *conc. min. Neg. cons.* Enimvero corpus mixtum vel est, ut nonnullis placet, complexio substantiarum, quae simplicia sunt, vel est, ut alii volunt, unica substantia. Iam, si primum admittatur, difficultas prorsus evanescit, quia tunc quaestio de principiis constitutivis corporis reducitur dumtaxat ad simplicia, ex quibus mixta componuntur, nempe, ut s. Bonaventura inquit, circa principia, « quae non sunt resolubilia in aliquid [2] ». Sin alterum, adversarii pro concesso sumunt substantias simplicium in mixto non corrumpi, novamque ex illorum corruptione substantiam generari, sed uniuscuiusque substantiam in ipso permanere. At nos, quippe qui alteram hanc de natura mixti opinionem tuemur, iam ostendimus aliam esse substantiam mixti, alias substantias simplicium, in quae ipsum resolvitur [3], quia aliae sunt qualitates, quae simplicibus seorsum sumptis, aliae, quae in mixto ex ipsis conflato occurrunt [4].

---

[1]) Cf p. Liberatore, *Op. cit.*, c. VIII, art. 7, p. 469 sqq.

[2]) ***In lib. I Sent.***, Dist. VIII, p. 1, a. II, q. 2 ***ad arg.***

[3]) Cf p. 214-215. Adde haec alia verba s. Thomae: « Mixtio est miscibilium secundum formam corruptorum unio »; ***In lib. I De gener.***, lect. XXV.

[4]) « Ita sunt contrariae qualitates in mixto, sicut sunt contraria elementa in mundo »; ***Qq. dispp., De Malo,*** q. V, a. 5 ad 6.

84. Difficultates autem, quibus totum systema scholasticum impetitur, concluduntur hac unica argumentatione: Systema scholasticum veluti absurdum reiiciendum est, si omnes notiones principiorum, quae ad constitutionem corporum concurrere statuit, sunt absurdae. Atqui ita res se habet. Namque absurda est notio *materiae*, quia haud possibile est aliquid mente comprehendere, quod nec *quid*, nec *quale*, nec *quantum* est, seu quod nec essentia, nec ulla qualitate ornatur. Absurda quoque est eductio *formae* a materia, quia repugnat in eo, quod nec essentia, nec ulla qualitate gaudet, illud contineri, ex quo res essentiam, qualitatesque suas sumit. Absurdum denique est privationem esse principium alicuius rei, cum ipsa defectum realitatis denotet. Ergo. etc.

85. Resp. *Conc. mai.; neg. min.* quod ad singulas partes *Neg. cons.* Singulas partes assumptionis, seu *minoris*, si iam statuta in expositione, et demonstratione theoriae scholasticae prae oculis habuerimus, refellere haud difficile nobis erit. Quod ad materiam attinet, certe haud possibile est in rerum natura aliquid per se existere, quod omni essentia, et qualitatibus destituitur [1]; sed certe possibile est in re illud, quod determinatur ad aliquam essentiam, et qualitates, quae ab ea pullulant, seiunctum considerare ab eo, per quod ad illam essentiam, qualitatesque determinatur. Nam, quemadmodum ostensum est, haec duo in corpore existunt ab se quidem distincta, sed in unicam completam substantiam coalescentia [2], atque ea, quae in re distinguuntur, seorsum considerare nobis licet, quia intellectus noster vi abstrahendi pollet. Iam illud, quod in corpore ad certam essentiam, certasque qualitates ab ea promanantes determinatur, non aliter intelligi potest, quam veluti aliquid, quod nec ulla certa essentia, nec ullis certis qualitatibus ornatur. Quod cum illud sit, quod *materiae* nomine Scholastici post Aristotelem designarunt, profecto notio materiae, qualis ab eis tradita est, absurda dici nequit [3].

---

[1]) Vid. p. 235, Id tradidit quoque Origenes, qui postquam advertit materiam *ratione*, seu essentia sua esse ab omni qualitate vacantem, sed omnis qualitatis recipiendae capacem, subdit: « Haec tamen materia, quamvis (ut supra diximus) secundum suam propriam rationem sine qualitatibus sit, nunquam tamen subsistere extra qualitatem invenitur »; *Op. cit.*, ibid. Cf *Contr. Cels.*, lib. III, c. 41, et 42.

[2]) Quandoquidem proprium substantiae est per se subsistere, liquet materiam, et formam non esse duas species diversas substantiae, sed dumtaxat principia substantiae, quia singulae non subsistunt per se, sed ambae subsistunt per corpus, quod ab ipsis constituitur. Vid. s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 1 ad 1.

[3]) Mosbemius Cudwortum (*Syst. intell.*, c. V, sect. 2, § 27, p. 943, Ienae 1733) reprehendens, qui aiebat « materiam hanc corpore vacantem genus esse quoddam metaphysicae stultitiae », advertit nihil prohibere, quin materia ab essentia, et qualitatibus, quibus in corpore determinatur, seiuncta consideretur, nihilque absurdi in ea ita considerata contineri. « Qui materiam, inquit, corporis esse dicunt nesciam, illi hoc sibi volunt unice, esse naturam quamdam principem, ex qua constant omnia corpora, affectionibus plerisque corporis orbatam, in quam Deus, aut melior quae-

86. Quod ut magis, magisque patescat, mente reputandum est nos, cum materiam a forma seiunctam consideramus, ipsam quidem intelligere, uti ex s. Augustino diximus, tamquam *prope nihil*, quia ipsa ex se non est *actu* extra nihil; sed non tamquam omnino nihil, quia ipsa, cum sit ens *in potentia*, est aliquid medium inter ens, quod est *actu* seipso, et nihil. Enimvero *nihil* neque est ens actu, neque capax actus; at materia, etsi non sit ex se actus, tamen est capax actus, quia est capax in se recipiendi formam, quae est actus eius. Quare ipsa, si non est omnino ens, ne est quidem omnino nihil [1]. Ex hoc perspicitur nullam repugnantiam in eo inveniri, quod *materia prima*, quae in se *nullum esse habet*, sit et aliquid a Deo creatum, et causa materialis, ex qua totum componitur. Certe primum non repugnat, quia illud quoque, quod est in potentia ad actum, a Deo creatur, non quidem tamquam aliquid, quod habet ex se actum, sed tamquam aliquid, quod actum recipit. Apposite s. Thomas: « Quod illa ratio (materia prima est tantum in potentia, in quantum huiusmodi) non ostendit, quod materia non sit creata, sed quod non sit creata sine forma. Licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet, quod etiam illud, quod se habet ex parte potentiae, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est [2] ». Nec repugnat alterum. Nam causa materialis, in qua, tamquam in subiecto, forma accidentalis inest, ante ipsam formam existere debet; at res aliter se habet de causa materiali, ex qua ipsum totum substantiale constituitur. Cuius rei ratio est, quod, ut causa materialis constituere totum dicatur, satis est ipsam, uti a Peripateticis traditum est [3], *concomitanter*, atque in eodem instanti cum forma sub-

---

dam natura formam, et qualitates inducat, cum gignuntur corpora ». Et paulo post de fautoribus, adversariisque huius doctrinae disserens, pergit: « Convenit inter utrosque esse naturam quamdam, seu principium primum, cuiuscumque demum illud modi, et generis sit, unde reliqua genita, et profecta sint omnia, quae sensus nostros feriunt; convenit deinde licere philosopho principem illam naturam a corporibus meditando seiungere, tametsi nusquam separatim extet, et in se eamdem contemplari. Faciunt id certe illi, qui corpusculis concludunt omnia: quippe qui atomos eadem ratione, ut Platonici, et Peripatetici materiam suam a corporis cogitatione abstrahunt, in spatio quodam collocant, varie denique ratiocinando, componunt, et dividunt »; *Adnot.* in h. l. Cudworti, p. 948.

[1]) *Opusc.* XV *De Angelorum natura*, c. 8. « Materia, alibi ait, est potentia ens, in quo importatur ordo ad esse » (*Contr. Gent.*, lib. III, c. 20, n. 3). Quare « materia participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum » (I, q. V, a. 3 ad 3), proindeque « non... est non ens per se..., sed non ens per accidens, ratione privationis, cui adiungitur » (*In lib. I De gen., et corrupt.*, lect. IX), hoc est, quia consideratur privata omni forma. Cf s. Bonavent., *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. I, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[2]) I, q. XLIV, a. 2 ad 3. Hinc, ut *ibid.* (q. XV, a. 3 ad 3) inquit: « Habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi »; Cf p. 247, not. 4.

[3]) Audi s. Bonaventuram: « Quamvis ens in potentia simpliciter inter non ens, et

stantiali exsistere, propterea quod, cum non det *esse* formae, sed recipiat *esse* a forma, non expostulat *esse* in se [1], sed solum capacitatem ad illud, quod per formam recipit [2]. Neque illud praetereundum est, materiam in generatione corporis numquam ita in potentia manere, ut non sit actu; quippe quod, cum numquam sit corruptio sine generatione [3], materia semper alicui formae subiiciatur oportet [4].

87. Nec quae de forma, et privatione obiiciuntur, quemquam movere debent. Etenim, quod ad formam attinet, educi formam a materia, ut diximus, non aliud sibi vult, quam agens, quod rem novam proprie efficit, non posse ex se solo novam rem efficere, sed opus habere subiecto, circa quod actio eius versetur; siquidem nova forma in subiectum nonnisi per successivam alterationem illius induci, et nonnisi in ipso subiecto existere potest. Non repugnat vero e materia formam educi, quae *potentia*, non *actu* ea continetur. Namque materia dicitur formas potentia continere, eo quod ita condita a Deo est, ut per actionem agentium exteriorum novae formae in ipsa exurgere possint [5]. Quin immo repugnare videtur educi aliquid ab alio, quo *actu* continetur, quia eductio transitum de potentia ad actum denotat. Quod denique Scholastici de privatione tradidere, dummodo recte intelligatur, nihil difficultatis in se admittit. Nam si parumper concedatur novum corpus ex eo generari, quod in subiectum mate-

---

ens actu sit medium, non oportet tamen, quod duratione sequatur unum, et praecedat alterum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[1]) Hoc videtur, innuisse s. Thomas, ubi ait: « Item, proprie loquendo, illud, quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia prima: quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur subiectum; subiectum enim dat esse accidenti, scilicet existendi, quia accidens non habet esse, nisi per subiectum; unde dicitur, quod accidentia sunt in subiecto, non autem dicitur, quod forma substantialis sit in subiecto. Et secundum hoc differt materia a subiecto; quia subiectum est quod non habet esse ex eo quod sibi advenit, sed quod est per se, et habet esse completum, ut homo non habet esse per albedinem. Sed materia dicitur, quod habet esse ex eo quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, immo nullum esse habet, ut dicit Commentator in 2° de Anima. Unde simpliciter loquendo, forma dat esse materiae, accidens autem non dat esse subiecto, sed subiectum accidenti; licet aliquando ponatur unum pro alio, scilicet materia pro subiecto, et e contrario »; *Opusc. de princ. naturae.*

[2]) Cf p. 247.

[3]) Cf p. 239. Apposite Ioannes a s. Thoma: « Licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens fit ex ente in actu, eo quod materia, ex qua generatur, est sub alia forma, et privatione sui, ratione cuius formae materia dicitur in actu, quamvis sola eius potentia per se ad generationem concurrat, non actualitas, quam sub illa forma corrumpenda habeat » (*Op. cit.*, p. 2, q. III, a. 2, p. 363). Hac ratione s. Thomas (*In lib. I de gener.*, lect. VI) eorum sententiam refellit, qui ex eo quod *materia est nihil actu, sed potentia*, autumabant *sequi quod aliquid generatur ex nullo praeexistente.*

[4]) Cf p. 235.

[5]) Vid. p. 245. « Qualitates naturales, ait s. Thomas, educuntur de potentia mate-

riale, destructa vetere forma, nova per agens naturale inducatur[1], manifestum est materiam non posse in se ullam novam formam recipere, nisi vetus in ipsa ab agentibus exterioribus destruatur, hoc est, nisi vetere privetur[2].

88. Obiectionum vero contra argumenta, quibus theoriam peripatetico-scholasticam probavimus, ne longiores, quam par est, simus, unam, aut alteram afferemus.

Obii. 1° Si extensionem, et vim, qua partes extensi cohaerent, ab unico principio reali, seu ab unica realitate derivari haud posse dicatur, illud veluti generale pronuntiatum statuendum est, omnem substantiam, quae pluribus proprietatibus gaudet, ex pluribus diversis principiis realibus constare. Atqui consequens est absurdum. Ergo et antecedens.

89. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. conseq.* Principium, cui argumentum hac obiectione impetitum nititur, non est quamlibet substantiam, quae ex pluribus proprietatibus gaudet, ex pluribus principiis realibus componi, sed substantiam, quae principiis specie differentibus gaudet, ex unico principio reali constare non posse, quia unum, idemque esse principium, ex quo proprietates specie differentes pullulant, omnino repugnat. Iamvero, quandoquidem extensio, et vis, qua partes extensi continentur, specie, uti ostendimus, inter se differunt, necesse est, ut corpus, in quo extensio, et vis conspicuae sunt, ex diversis principiis componatur, scilicet principio *passivo*, seu *materiali*, ex quo extensio pullulat, et principio *activo*, seu *formali*, ex quo vis exurgit[3].

90. Obii. 2° Unitas, ad quam multitudo partium in extensione continua reducitur, diversitas specifica substantiarum corporearum, earumque determinata figura ab illa ipsa realitate, ex qua extensio emergit, scilicet a substantia atomorum, promanare possunt. Ergo argumenta, quae e triplici illo capite ad principium activum, seu formale, in constitutione corporis agnoscendum petuntur, futilia sunt.

---

riae, quarum inchoationes quasdam materiae Deus opere creationis indidit »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 2 *sol.*

[1]) Tradidit id, praeter alios antiquos Ecclesiae Scriptores, quos iam laudavimus, Origenes. Docuit is (*Contr. Cels.*, lib. III, c. 41), materiam « per se omnis expertem esse qualitatis, qualitates induci qualescumque Deus illi circumdare vult; et saepe, prioribus positis, potiores, et diversas assumere ».

[2]) Quae de principiis constitutivis corporis secundum Scholasticos hactenus statuimus, satis, superque ostendunt hanc theoriam scholasticam non esse obscuram, ideoque mire falli illos, qui ipsam vel ex solo hoc capite reiiciendam esse obganniunt. Quare ex animo plaudimus Bartholomeo Saint-Hilaire, quod ipsam non modo simplicem, et veram (vid. p. 225), sed etiam a vitio obscuritatis immunem declaravit. Vid. *Prèf.* cit., p. XXVIII.

[3]) « Corpora... secundum quod habent formam, agunt; secundum vero quod habent materiam, patiuntur »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69.

91. Resp. *Neg. ant.*, *et cons.* Primum manifeste absurdum est. Namque ea, quae characteres sibi invicem oppositos habent, ad unicum principium reduci nequeunt; huiusmodi autem procul dubio sunt unitas, et multiplicitas, quippe quod haec ad divisionem, et disgregationem, illa autem ad collectionem, et reductionem spectat. Absurdum et alterum est, quia, cum diversitas specifica corporum, ut vidimus, nonnisi ab illo principio, a quo activitas corporum exurgit, oriri queat[1], ipsa certe a materia repeti non potest, quia haec per se iners est. Tertium denique, perinde ac duo priora, admitti nequit. Etenim, cum extensio, prout extensio est, ad quamlibet figuram sit per se indifferens, oportet huiusmodi indifferentiam etiam inveniri in principio, ex quo extensio emergit; unde diversitas figurae corporum ab eodem principio, ac extensio, repeti nequit. Adde, quod, uti inferius dicemus, figura cuiuslibet corporis a specifica eius natura derivatur[2]; quare cum specifica diversitas corporum, ut modo diximus, a principio, ex quo extensio pullulat, oriri nequeat, ne figura quidem cuiuslibet corporis ab eo repetenda est.

ARTICVLVS OCTAVVS

Quaenam sit essentia corporis, investigatur

92. Neminem fore confidimus, qui existimet nos, postquam principia constitutiva corporis novimus, quaestionem frustra instituere de essentia corporis, hac ratione promotus, quod essentia corporis a principiis constitutivis eius minime distinguitur. Namque ex eo ipso, quod essentia corporis a principiis constitutivis eiusdem, nempe ex materia, et forma, conflatur, liquido conficitur *esse essentiale* corporis non esse proprium solius formae, aut solius materiae, sed ex utriusque copulatione exurgere. Et sane, forma, uti ante vidimus, est quidem principium *esse* corporis, seu quo res est corpus, sed ex se sola non constituit *esse* corporis, quippe quod corpus ex copulatione formae cum materia constituitur. Apposite s. Thomas: « Cum esse consequitur compositionem materiae, et formae, quamvis forma sit principium esse, non tamen denominatur aliquod ens a forma, sed a toto; et ideo essentia non dicit formam tantum, sed in compositis ex materia, et forma dicit totum, et hoc etiam dicitur quidditas, et natura rei[3] ». Iam, si *esse* corporis neque ex sola forma, neque ex sola ma-

---

[1]) « Diversitas specierum est secundum formam »; 1ª 2ªe, q. LIV, a. 1 ad I.

[2]) « Figura est quasi certum signum ostendens unitatem, et differentiam speciei »; *In lib. II Sent.*, Dist. XVI, q. I, a. 1 *sol.*

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 1 *sol.* Quod rursus inculcavit hoc in loco: « In rebus compositis ex materia, et forma essentia significat non solum formam, nec solum materiam, sed compositum ex materia, et forma communi, prout sunt principia speciei »; I, q. XXIX, a. 2 ad 3.

teria, sed ex copulatione utriusque efficitur, satis non est ad naturam corporis intelligendam cognoscere, quid sit forma, et quid sit materia, sed cognoscere etiam oportet, quid sit corpus, quod ex utraque conflatur, sive in quo consistat essentia, seu *esse essentiale* corporis, quod ex copulatione formae cum materia constituitur.

93. Antequam valde dissidentes de hac magni momenti controversia opiniones Philosophorum ad examen revocemus, Lockio occurrendum nobis est asserenti essentiam corporis esse nobis ignotam. Is, ratus essentiam corporis positam esse in collectione omnium eius proprietatum statuit essentiam corporis nobis latere, quippe quod non omnes proprietates eius exploratas habeamus[1]. At ipse mire deceptus est. Primo enim eius opinio falso, absurdoque pronuntiato innititur, quia nullius rei essentia, sive substantia, uti alibi vidimus [2], in collectione omnium eius proprietatum consistere potest. Secundo, falsa, et absurda in se est, quia essentia corporis, uti ex dicendis patescet, nobis non latet, et verum non est, sicuti ante demonstravimus[3], illud, quod Lockius cum aliis autumavit, essentias rerum nobis perspectas esse non posse. Tertio, ad absurdum consectarium ducit, quia cunctas scientias physicas tollit. Quod probatur hoc brevi argumento: Ignorata essentia, seu definitione corporis, primum, et proprium principium ignoratur, ex quo physica proficisci debet, quia corpus est obiectum physicae. Atqui, ignorato principio primo, et proximo alicuius rei, scientiam eius construere haud possibile est[4]. Ergo, si essentia corporis nos latere dicatur, omnis scientia rerum naturalium tollenda est[5].

94. Iam, si essentiam corporis nobis haud latere certum est, inspicere oportet, quaenam ipsa sit. Corpus id esse, quod trina dimensione, nempe longitudine, latitudine, et profunditate pollet, cunctis antiquis Philosophis communis opinio fuit[6]. At, utrum, nec ne in hac trina

---

1) *Essai* etc., lib. III, c. 6, § 21, t. III, p. 165-167, ed cit. Lockii opinio non modo incredulis, et deistis saec. XVII. et XVIII, sed, quod valde mireris, quibusdam eorum impugnatoribus probata est. E. g., Ab. Para du Phanjas, postquam cuncta placita Philosophorum disiicere studuit, hoc corollarium inde elicuit: « Essentia materiae, sive intima proprietas substantiam determinans, ut sit materia potius, quam alia substantiae species, latet, fortasse etiam semper latebit »; *Theoria entium insensibilium*, vert. e gall. serm. F. T., tract. VII, sect. 1, § 1392, t. III, p. 447, Venetiis 1792.

2) *Ontol.*, p. 101.

3) *Ibid.*, p. 45-46.

4) Cf *Log.*, p. II, c. III, art. 2, p. 161 vol. I.

5) De sententia Kantii contendentis notionem corporis esse omnino phaenomenicam, quia ipsa per formam sensibilitatis apprehenditur, disseruimus vol. I, *Ideal.*, c. I, art. 3, p. 471.«

6) Cf Plut., *De placit. phil.*, lib. I, c. 12; Sext. Emp., *Advers. Phys. Mathem.*, lib. I, c. 5, sect. 367; Laert., lib. VII, segm. 135.

dimensione essentia corporis consistat, inter illos haud convenisse videtur. Nam Sextus Empiricus auctor est alios in ea sententia fuisse, quod corpus ab illis tribus dimensionibus separabile est, alios autem, quod corpus in trium illarum dimensionum coacervatione consistit[1].

95. Posteriorem sententiam in recenti aetate Cartesius accurate instauravit, acriterque defendit, ita ut eius auctor vulgo praedicetur. Praecipuum argumentum, quo opinionem suam communivit, huc redit: Illud corporis essentia dicendum est, quod primum in illo concipitur, et a quo cetera omnia oriuntur, quae in eodem corpore sunt; atqui hoc est trina dimensio, sive extensio; ergo trina dimensio essentia corporis dicenda est[2]. Cartesio, praeter alios multos, Malebranchius adhaesit[3]. Sed ab hac sententia discessit post Epicurum[4] Gassendus. Qui voluit essentiam corporis in actuali impenetrabilitate, quae rectius *soliditas* vocari potest, positam esse, propterea quod corpus non aliter a nobis, quam veluti aliqua substantia impenetrabilis concipitur[5].

96. Multi recentes, iique non supremi subsellii essentiam corporum in eo sitam esse volunt, quod ex substantiis physicis veluti partibus confletur, propterea quod corpus, quocumque modo concipiatur, veluti collectio partium substantialium necessario concipi debet[6].

97. Verum ab his omnibus valde dissident post Aristotelem[7] omnes, si Ockamum[8], eiusque discipulos exceperis, Doctores mediae aetatis, et qui deinceps s. Thomae, et Scoti placita defenderunt. Hi enim concorditer docuerunt, quamvis corpus tribus dimensionibus natura sua praeditum sit, tamen has ad essentiam eius non pertinere, ita ut ex virtute Dei separari ab ipso queant[9]. Cum autem animo reputarent extensionem esse corporis proprietatem, quae ad duo eius principia constitutiva refertur, quaeque prima omnium, et veluti ceterarum

---

1) *Loc. cit.*, sect. 368.

2) *Les principes de la phil.*, part. I, § 53, *Oeuvr. phil.*, t. I, p. 253, et 256, et part. II, § 4, 9, et 10, p. 276, et 280, ed. cit.

3) *Entretiens* etc., Entret. 1, *Oeuvr.* ed. Jul. Simon, Ser. 1, p. 5, Paris 1842.

4) Plut., *De placit. phil.*, lib. I, c. 12, ed. XII.

5) *Physic.*, lib. III, sect. 1, c. 6, ed. cit.

6) Hinc in multis philosophiae Institutionibus corpus vulgo definitur id, quod ex partibus constat, eamdemque esse compositi, et corporis notionem asseritur.

7) Hic (*Quodlib.* IV, q. XXIX) recentibus Philosophis, quos postremo loco nominavimus, praelusit; nam contendit quantitatem non distingui a substantia, sed substantiam, prout est ens per se subsistens, dici substantiam, et prout habet partes extra partes, dici quantitatem.

8) *Met.*, lib. VI, c. 3, § 3, et 4, ed. Didot.

9) Haec sententia auctoritate ss. Patrum quoque probata est. Hi enim, quoniam docent in corpore aliud esse quantitatem, aliud vero id, quod quantitate pollet, satis ostendunt ab illorum sententia abborruisse, qui essentiam corporis in trina dimensione, sive in quantitate posuerunt. Cf s. Greg. Nyss., *De hominis opificio*, c. 24, ed. Migne; s. Basil., *Homil.* VI *in Hexaëm.*, n. 3; s. Aug., *De Trin.*, lib. V, c. 10.

proprietatum fundamentum intelligitur, essentiam corporis in *exigentia extensionis*, sive, ut nonnulli aiunt, in *extensione radicali* positam esse decreverunt. Hac quoque in re Leibnitius Scholasticis plausit, quippe qui naturam corporis non in actuali extensione, sed in *exigentia* extensionis positam esse dixit[1]. Neque ab ea sententia, ut de Scholasticis recentibus taceamus, Ed. Corsinius in litteris, scientiisque adprime eruditus abhorruit[2].

98. Ad huius quaestionis tutam, planamque solutionem inveniendam doctrina Ecclesiae Catholicae de SS. Eucharistiae Sacramento plurimum adiumenti nobis affert, non quidem ut ex ipsa argumenta ad iudicium de variis sententiis ferendum sumamus, sed ut ad veram sententiam detegendam, falsasque explodendas facilior adytus nobis patescat. Nam, cum pronuntiata rationis cum Fidei Catholicae decretis pugnare nequeant[3], id argumento nobis esse debet sententias de essentia corporis, quae doctrinae Ecclesiae Catholicae de SS. Eucharistiae Sacramento adversantur, nondum ullo examine instituto, pro falsis habendas esse, neque aliam nobis amplectendam, quam quae cum ipsa omnino consentit. Hoc autem iis, quae de Criterio veri statuimus, adprime consentaneum est. Nos enim ostendimus doctrinam a Deo revelatam, quam Ecclesia Catholica credendam nobis proponit, Philosopho Christiano prae oculis habendam esse non solum ut nihil doceat, quod illius decretis adversatur, sed etiam ut ab illa in arduis suis disquisitionibus adiuvetur[4].

99. Iamvero Sacrosancta Synodus Trid. decrevit in SS. Eucharistiae Sacramento, peracta consecratione, totam substantiam panis in Corpus Christi, et totam substantiam vini in Sanguinem Eius converti[5], et Catechismus Romanus, qui ad illius Synodi doctrinam exponendam concinnatus fuit, tradit Christum Dominum in Sacramento non esse « ut magnus, et parvus est, quod ad quantitatem pertinet, sed ut substantia est[6] ». Atqui haec duo illustri argumento sunt essentiam corporis positam non esse in trina dimensione, sive in extensione. Namque, si tres dimensiones essentiam corporis constituerent, il-

---

[1]) *Syst. theol.*, p. 194, ed. cit. Cf quae diximus in *Ontol.*, p. 124, not. 3. Alibi aperte asseruit « aliam esse notionem corporis, aliam vero extensionis », et, « quamvis omne corpus natura sua sit extensum, non esse tamen confundendam notionem corporis cum notione extensionis »; *Lettre sur la question, si l'essence du corps consiste dans l'étendue*, p. 112, et 113, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, Disput. V, tract. III, c. 1, § 29, t. cit., p. 193, ed. cit.

[3]) Cf vol. I, *Criteriol.* c. un., art. 7, p. 613.

[4]) Cf *ibid.*, art. 9, p. 622.

[5]) *Sess.* XIII, can. 2.

[6]) *Catech. Rom.*, pars II, c. 4, n. 43. Audiatur s. Thomas: « Ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento illud, in quod directe conversio terminatur. Conversio autem, quae fit in hoc Sacramento, directe terminatur ad substantiam Corporis Christi, non autem ad dimensiones Eius »; III, q. LXXVI, a. 4 c.

lae ab ista separari numquam possent; at vero, si res ita se haberet, profecto in SS. Eucharistiae Sacramento nec tres dimensiones panis, et vini remanere possent sine substantia, nec substantia panis in Corpus Christi, non prout est quantum, sed prout est substantia, converti posset[1]. Ergo ex decreto Synodi Trid., et doctrina Catechismi Rom., qui illud exposuit, essentia corporis in tribus dimensionibus ponenda non est. Itaque, antequam examen huius quaestionis instituamus, persuasum nobis esse debet absurdam esse opinionem Cartesianorum, qui essentiam corporis in trina dimensione positam esse volunt[2].

100. Nec putandum est rationem hac in re Revelationi, prout ab Ecclesia Catholica exponitur, contradicere, quemadmodum Protestantes, et Deistae obganniunt. Etenim, ipso iudice Leibnitio, viro inter Protestantes celeberrimo, nulla demonstratio a Cartesianis pro hac magistri sui sententia adducta est, atque e contrario *solide* demonstrari potest naturam corporis *exigere*, ut sit extensum, sed necesse non esse, ut semper actu extensum sit[3].

---

[1]) Apposite s. Thomas advertit subiectum accidentium panis, et vini, quae remanent in Sacramento Eucharistiae, non esse substantiam panis, et vini, aut substantiam, vel quantitatem Corporis Christi, sed quantitatem dimensivam ipsius panis, atque ipsius vini. « Necesse est, ait, dicere, quod accidentia alia, quae remanent in hoc Sacramento, esse sicut in subiecto, in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente »; III, q. LXXVII, a. 2 c. Cf quae diximus p. 127, not. 3.

[2]) Cartesiani multa commenti sunt, ut se ab hac gravissima difficultate expedirent. Potiora duo sunt, scilicet 1° quod nihil vetat res, cum ad ordinem supernaturalem elevantur, essentia privari, qua in ordine naturali gaudent; 2° quod Deus essentias rerum, ut Cartesius docuerat, mutare potest (vid. Cailly, Rohault, aliosque Cartesianos, quos recensuit p. Valois sub nomine Ludovici de la Ville in op. *Sentimens de Mr Descartes, touchant l'essence, et les propriétés du corps opposés à la Doctrine de l' Eglise*, Part. 2, c. 4, a. 3.) Ast utrumque absurdum est. Et sane, quod ad primum attinet, nullus Cartesianus dubitare potest, quin accidens rerum creatarum sit ad ordinem supernaturalem elevari. Atqui id, quod accidit alicui rei, naturam, seu essentiam eius mutare non potest. Ergo ex eo, quod res naturales ad ordinem supernaturalem elevantur, naturam suam amittere non possunt. Quare, si tres dimensiones essentiam, seu substantiam corporis constituerent, secundum Cartesianos tenendum foret, quoniam tres dimensiones in SS. Eucharistiae Sacramento, peracta consecratione, remanent, in ipso remanere non tantum accidentia panis, sed ipsam substantiam panis. Alterum vero, quia, cum naturae rerum immutabiles sint (cf *Ontol.*, p. 51-54), Deus ipsas mutare non potest.

[3]) En praeclarum locum Leibnitii: « Sed tantum abest, ut quisquam Philosophorum iactatam illam demonstrationem absolverit, ut contra potius solide ostendi posse videatur exigere quidem naturam corporis, ut extensum sit, nisi obex a Deo ponatur; essentiam tamen corporis consistere in materia, et forma substantiali, hoc est, in principio passionis, et actionis, substantiae enim est agere, et pati posse. Itaque materia est prima potentia passiva, forma autem substantialis est actus primus, sive prima potentia activa, quae ut loco certae magnitudinis definiantur, ordo quidem rerum naturalium postulat, non vero necessitas absoluta cogit »; *System. theol.*, p. 194, ed cit.

101. Et scite haec duo summus *ille* Vir asseruit. Namque essentiam corporis non consistere in tribus dimensionibus satis luculenta ratio nobis suadet, nihilque negotii argumenta a Cartesianis concinnata nobis facessunt.

102. Atque, ut a priori capite ordiamur, argumentum, quo post Scholasticos Corsinius[1], Leibnitius[2], Para du Panjas[3], aliisque missis, nuper Tongiorgius[4] ad Cartesii sententiam explodendam usi sunt, ita se habet: Si essentia corporis in trina dimensione posita esset, consequeretur, ubicumque existit trina dimensio, ibi corpus inveniri oportere, quippe quod nulla res sine essentia sua esse, ac intelligi potest. Atqui consequens est falsum. Nam trina dimensio non solum in corpore, sed etiam in loco, et spatio, quae corpora non sunt, invenitur, quia utrumque cum secundum longitudinem, tum secundum latitudinem, tum denique secundum profunditatem metiri nobis licet[5]. Ergo trina dimensio essentiam corporis haud constituit[6].

103. Accedit 1° quod in corpore, uti a Corsinio[7], aliisque observatum fuit, extensio, seu quantitas, perinde ac qualitas, aliaque accidentia, a substantia re ipsa distinguitur, quippe quod extensio concipi non potest quin concipiatur extensio alicuius rei, hoc est, res, quae est extensa[8]. Atqui quoniam extensio a substantia re ipsa distinguitur, sequitur essentiam corporis non posse in extensione constitui, quia, cum essentia rei ipsam rem constituat, corpus a sua essentia nec distingui, nec veluti distinctum intelligi potest. Ergo essentia corporis ponenda non est in trina dimensione, sed corpus veluti substantia, quae trinam dimensionem expostulat, intelligendum est[9]. 2° Quod, observante Leibnitio, « si essentia corporis in extensione consisteret, ratio omnium proprietatum, quae in corpore conspiciuntur, ex ea

---

[1]) *Op. cit.*, *Phys. gen.*, tract. III, c. I, § 6, t. II, p. 187 sqq.

[2]) LL. cit.

[3]) *Op. cit.*, tract. et sect. cit., § 1379.

[4]) *Op. cit.*, *Cosmol.*, lib. I, c. II, § 60, t. II, p. 230, ed. cit.

[5]) « Dimensionem, inquit s. Bonaventura, potest habere aliquid dupliciter, vel ex se, vel ex ratione eius, in quo est. Si ex se, sic est corpus, si aliunde, non oportet »; *In lib. II Sent.*, Dist. XIII, a. 3, q. 1 *ad arg.* Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 *sol.*

[6]) Hinc s. Thomas inquit: « Corpus habet terminos duplicis rationis, scilicet quantitatis, et essentiae » (*In lib. II Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 5 ad 3); atque ibidem (lib. IV, Dist. XII, q. I, a. 1 *sol.* 3 c.): «Quantitas non claudit materiam sensibilem in ratione sua, quamvis claudat materiam intelligibilem ».

[7]) *Op. cit.*, ibid., § 4, p. 187.

[8]) « Quantitas, scribit Aquinas, secundum esse suum dependet a substantia, sicut et alia accidentia»; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 c. Unde «Corporeitas, idem inquit, prout est in genere quantitatis, non est rei naturalis quidditas, sed eius accidens, scilicet trina dimensio »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. X, a. 4 ad 3.

[9]) « Ex hoc, quod materia constituitur in esse corporeo per formas, statim consequitur, ut sint in ea dimensiones »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 9 c.

sola reddenda foret [1] ». Atqui, ut idem Leibnitius innuit, nosque inferius ostendemus, ex sola extensione ratio reddi non potest omnium proprietatum, quae in corpore conspicuae nobis sunt. Falsus igitur est Cartesius, quod ratus omnia, quae conspicua nobis in corpore sunt, ab extensione manare, essentiam corporis in extensione posuit.

104. Quandoquidem Cartesium in essentia corporis definienda a vero aberrasse ostendimus, nihil est, cur sententia Gassendi nos moretur. Nam, si essentia corporis non est posita in extensione actuali; pro certo habendum est ipsam ne in impenetrabilitate quidem actuali posse consistere, quippe quod extensionem impenetrabilitas, veluti secundaria quaedam proprietas corporis, consequitur. Et sane, partes corporis, ut mox dicemus, sunt impenetrabiles, quia ipsae, cum distinguantur secundum *esse*, distiguuntur quoque secundum situm [2]. Atqui extensio, seu quantitas corporis efficit, ut partes eius inter se distinguantur, atque illarum una extra aliam sit [3]. Ab extensione igitur, seu a quantitate corporis impenetrabilitas partium repetenda est. Iam, quoniam essentia cuiuslibet rei debet esse aliquid, quod primum in re esse intelligitur, essentia rei, si posita non est in extensione actuali, eo minus in actuali impenetrabilitate partium posita esse potest. Accedit, quod, ut apud Theologos Catholicos videre licet, partes Corporis Christi in Eucharistia, et corpora gloriosa Sanctorum virtute Divina impenetrabilitate carent. Atqui virtute Divina effici nequit, ut res essentiis suis destituantur. Ergo essentia corporis in impenetrabilitate poni non potest [4].

105. Denique essentiam corporis in collectione plurium substantiarum compositarum reponendam non esse adeo per se patet, ut fere non egeat demonstratione. Et sane, quodlibet corpus, uti ante innuimus, unum per se esse debet, quia quodlibet ens, hoc ipso quod est ens, est unum per se. Atqui plures substantiae compositae, si uniantur, efficiunt unum per accidens [5], non vero per se. Ergo essentia

---

1) *Lettre sur la question, si l'existence du corps* etc., p. 113, ed. cit.

2) « Nihil potest prohibere corpus aliquod, ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi hoc, quod in eo requirit diversum situm; nihil enim est impedimentum identitati, nisi quod est causa diversitatis »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2 *sol.* 2 c.

3) « Cui (*quantitati dimensivae*) per se convenit situs, cadit enim in definitione eius, quia quantitas dimensiva est quantitas habens situm; et inde est, quod, remotis omnibus aliis, quae sunt in re, talis distinctionis necessitas invenitur in sola quantitate dimensiva »; *Ibid.*

4) Id, quod inferius ostendemus, lubet in praesentia declarare hoc loco s. Thomae: « Secundum naturam subiecti competit ut resistat cuilibet alteri corpori transeunti, ita quod non possit esse cum eo simul in eodem loco, sed miraculose hoc potest divina virtute contingere ad nutum ipsius, quod sit cum alio corpore in eodem loco, et sic non resistat ei transeunti »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, *sol.* 6 c.

5) Cf *Ontol.*, p. 57.

corporis in collectione plurium substantiarum compositarum posita esse nequit. Re quidem vera, partes corporis, uti ostendimus, corpus constituere non possunt sine aliqua vi, qua continentur, atque unum efficiunt. Iam, si praeter partes, ex quibus corpus coalescit, et quae principium eius passivum efformant, opus est ad corpus efficiendum aliqua vi, seu principio activo, liquet essentiam corporis ex eo constitui non posse, quod corpus ex pluribus substantiis compositis, ceu sui partibus, conflatur.

106. Explosis hisce sententiis, certum nobis secundum Scholasticos, Corsinium, Leibnitium aliosque est essentiam corporis in eo positam esse, quod trinam dimensionem *exigit*, sive quod est substantia composita ad trinam dimensionem recipiendam apta. Enimvero haec duo, quemadmodum inferius dicemus certa sunt: 1° corpus sine trina dimensione, hoc est, extensione, proindeque sine actuali impenetrabilitate naturaliter esse non posse; 2° quamvis non omnes proprietates corporis a trina eius dimensione oriantur, tamen trinam dimensionem in corpore intelligi veluti fundamentum, et subiectum omnium proprietatum, atque affectionum, quae in ipso corpore sunt. Iam, si his duobus tertium adiiciatur, quod modo ostendimus, scilicet essentiam corporis non esse positam in actuali extensione, non aliud restat, quam ut statuamus essentiam corporis consistere in *exigentia* triplicis dimensionis, sive, ut s. Thomas ait, in eo, quod rei corporali debetur tres habere dimensiones [1]. Nam, si essentia corporis in *exigentia* extensionis, sive in ratione substantiae compositae ad trinam dimensionem aptae reponi dicatur, commode intelligi potest, quomodo, dum extensio actualis non constituit essentiam corporis, corpus intelligi nequeat sine extensione, quae cunctarum eius proprietatum, atque affectionum fundamentum, et subiectum est. Et sane, si quod corpus per miraculum extensione expolietur, ipsum hanc semper *exigit*, neque hac *exigentia* expoliari potest, quippe quod si licet nobis substantiam corpoream sine actuali extensione intelligere, necesse certe est, ut illam veluti aptam ad hanc recipiendam intelligamus.

107. Ceterum id demonstratione directa evinci potest his argumentis: 1° Essentia substantiae corporeae in illa extensione est reponenda, quae ipsi dumtaxat convenit. Atqui extensio *radicalis*, non vero actualis convenit uni substantiae corporeae, quia extensio actualis convenit quoque accidentibus, at non *radicalis*, sive *exigentia* extensionis, quia accidentia non per se, sed ratione subiecti, in quo sunt, extensionem

---

[1]) « Corporeitas . . . accipi potest. . . secundum quod est forma substantialis corporis, prout in genere substantiae collocatur; et sic corporeitas cuiuscumque corporis nihil est aliud, quam forma substantialis eius, secundum quam in genere, et specie collocatur; ex qua debetur rei corporali, quod habeat tres dimensiones»; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 81.

exigunt [1]. Ergo extensio *radicalis*, non vero actualis essentiam substantiae corporeae constituit. 2° Scitum est aliam esse naturam corporis physici, de quo hic agimus, aliam autem naturam corporis mathematici. Etenim, uti post Aristotelem [2] s. Basilius advertit, corpus est obiectum physicae, prout in rerum natura existit, hoc est, spectatum cum qualitatibus sensibilibus, quibus in rerum natura ornatur ; obiectum autem mathematicae est, prout ab omni qualitate sensibili abstrahit. Atqui essentia corporis mathematici in trina dimensione posita est, quia nihil aliud in eo praeter tres dimensiones invenitur [3]. Necesse igitur est, ut aliud praeter tres dimensiones in corpore physico inveniatur, per quod a corpore mathematico discriminatur. Quod quidem aliud, cum fundamentum, et subiectum esse debeat omnium proprietatum corporis, nonnisi *exigentia* extensionis, nempe *extensio radicalis* esse potest.

Quae cum ita sint, corpus apposite dici potest cum Eduardo Corsinio, p. Liberatore, aliisque, *substantia trinam exigens dimensionem* [4].

108. Restat, ut quaedam argumenta, quibus Cartesiani vel suam sententiam statuere, vel Scholasticam oppugnare conantur, expendamus. Gassendistas omittimus, quia horum sententia ad Cartesianam, ut diximus, fere recidit.

109. Obii. Cartesius : Quidquid in idea clara, et distincta alicuius rei continetur, eius essentiam constituit. Atqui in idea clara, et distincta corporis non aliud, quam eius extensio, continetur. Ergo extensio essentiam corporis constituit [5].

110. Resp. *Trans. mai.*, *neg. min. Neg. cons. Trans. mai.*, inquimus, quia illud principium Cartesianorum pronuntiatis methodologiae, ac idealogiae, quae iam statuimus, aperte adversatur. Quod ad minorem attinet, nos Cartesio largimur in idea clara, et distincta cor-

---

[1]) « Quantitas dimensiva est quorumdam per accidens, sicut albedinis...; sed per se invenitur in corporibus »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 *sol.*

[2]) *Met.*, lib. X, ç. 3, § 7, ed. Didot.

[3]) Cf *Ontol.*, p. 134, not. 8. « Et quidem, ait s. Basilius, philosophi hoc corpus dicunt firmum, quod quasi solidum est, et plenum, quod ita appellatur, ut a mathematico distinguatur. Est autem mathematicum, quod in solis consistit dimensionibus, latitudine, inquam, ac profunditate, et longitudine. Firmum autem illud est, in quo praeter dimensiones durities etiam, et renisus est » (*Hom.* III *in Hexaem.*, n. 4). Quam ob causam tres dimensiones quantitatis simul iunctae, tum quoque, cum a materia sensibili divisae considerantur, nomine *corporis* donentur, s. Thomas breviter explicuit his verbis: « Hoc nomen, corpus, impositum est ad significandum quoddam genus substantiarum ex eo, quod in eis inveniuntur tres dimensiones. Et ideo aliquando ponitur hoc nomen, corpus, ad significandas tres dimensiones, secundum quod corpus ponitur species quantitatis »; I, q. XVIII, a. 2 c.

[4]) His verbis a p. Liberatore declaratur (*Inst. ad trienn.*, *Cosmol.*, c. 2, art. 4, p. 475, ed. cit.). Corsinius inquit: «... constitutivum corporis dicimus esse substantiam, quae exigat extensionem »; *Op. cit.*, ibid. § 19, p. 193.

[5]) *Les princip. de la phil.*, part. II, c. 4, *Oeuvr. phil.*, t. I, p. 276, ed. cit.

poris trinam dimensionem contineri, quippe quod omne corpus tribus dimensionibus naturaliter praeditum esse clare, et distincte concipimus. At non aliud, quam tres dimensiones, in idea clara, et distincta corporis contineri negamas; siquidem e contrario nos non possumus in corpore longitudinem, latitudinem, et profunditatem intelligere, nisi aliquod subiectum, quod sit longum, latum, et profundum, concipiamus, quodque substantia corporis nuncupatur. Quoniam autem quoque intelligimus tres dimensiones a substantia, cui inhaerent, re distingui, et quae in re distinguuntur, ab se, virtute divina, posse invicem separari[1], inde perspicimus essentiam corporis reponendam non esse in tribus dimensionibus, sed in substantia, quae ad tres dimensiones in se recipiendas apta est, sive, ut secundum Scholam Leibnitius loqui maluit, tres dimensiones exigit [2].

111. Obii. Cartesiani: SS. Patres, in primisque s. Augustinus [3], aperte edocent non posse ullum esse corpus sine aliqua extensione, adeo ut, sublata extensione, simul corpus auferatur. Ergo opinio, quae essentiam corporis in extensione admittit, philosophiae Christianae consentanea dicenda est.

112. Resp. *Dist. ant.*: Si spectetur essentia, *neg. ant.*; sin existentia, *subdist. ant.*: naturaliter, *conc. ant.*; virtute Divina, *neg. ant. Neg. cons.* SS. Patres, cum docent nullum corpus dari posse sine tribus dimensionibus, non illud sibi volunt essentiam corporis in ipsis esse positam, sed nullum corpus naturaliter esse posse, quod illarum expers sit, quia quantitas est proprietas corporis, quae veluti prima, et fundamentum reliquarum proprietatum intelligitur. Quod quidem aperte

---

[1]) Audi s. Basilium: « Nec mihi dixeris fieri non posse, ut haec (*lux, et corpus*) a se invicem separentur. Neque enim aio lucis a solari corpore separationem mihi et tibi esse possibilem; sed quae nostra cogitatione dividi possunt, ea dico a naturae conditore etiam reipsa seiungi posse »; *In Hexaëm. Hom.* VI, n. 3.

[2]) Error Cartesii ex eo ortus est, quod vir in Geometria egregie versatus, cum non aliam essentiam in corpore, quam quae in trina dimensione posita est, a Geometris considerari animadvertisset, hanc quoque esse essentiam corporis physici existimavit, ita ut corpus physicum a mathematico distinguatur non ratione extensionis, quae utrique essentialis est, sed ratione proprietatum, quae uni corpori physico conveniunt. Verum alia est, uti ex s. Basilio, aristotelicae doctrinae hac in re interprete, vidimus (p. 265, not. 3), natura corporis physici, alia vero natura corporis mathematici; quare ex eo quod extensio corpori mathematico cum physico communis est, concludendum non est ipsam ex se sola corpus physicum constituere, alioquin unum ab alio non distingueretur, sed oportet esse in corpore physico quidquam aliud, per quod a mera extensione, sive a corpore mathematico distinguitur. Cf Corsini, *Op. cit.*, ibid., § 9-13, p. 189 sqq.

[3]) En locum s. Augustini, quem Cartesiani abutuntur: « Prius abs te quaero, utrum corpus ullum putes esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem, et altitudinem. Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimavi »; *De quant. an.*, n. 6. Huic addunt *De Gen. ad litt.* lib. VII, c. 21, et lib. VIII, c. 22; *Epist.* CLXXXVII etc.

evincitur vel hoc uno argumento: Si essentia corporis in quantitate posita esset, procul dubio quantitas a subiecto, quod est *quantum*, minime distingueretur, neque fieri posset virtute Divina, ut corpus quantitate expolietur. Iamvero ss. Patres, uti vidimus, aperte docent aliud esse quantitatem, aliud vero corpus, quod ipsi subiicitur, et quantitatem, perinde ac qualitatem, aliaque accidentia a corpore virtute Divina posse separari. Locis omissis, quae alias citavimus [1], lubet hunc s. Augustini adiicere: « In rebus, quae participatione magnitudinis magnae sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, et magnus mons . . ., in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non hoc est magnitudo, quod est magna domus [2] ». Itaque dicendum est, ss. Patres non aliud sibi voluisse, quam quod corpus trinam dimensionem expostulat, eaque naturaliter expoliari nequit [3].

CAPVT SECVNDVM

De proprietatibus corporis

113. Postquam novimus, quae sunt principia constitutiva corporis, et in quo essentia corporis, quae ab ipsis constituitur, posita est, natura tractationis postulat, ut ad proprietates eius indagandas progrediamur [4]. Quandoquidem vero philosophiam intra limites, quos recentes ei praefixere, coactam scribere propositum nobis est, hinc quaestionem de proprietatibus corporis breviter, atque ex ea parte tantum, quatenus ad rem nostram spectat, persequemur.

---

[1]) Pag. 259, not. 9.

[2]) *De Trin.*, lib. V, c. 10, n. 11.

[3]) Re vera in loco, quem ex libro *De quant. anim.* s. Augustini Cartesiani adducunt, sanctus Doctor essentiam animae non inquirit, sed tantum probat animam non esse corpus, quia animae convenire nequit trina dimensio, quae est prima proprietas corporum, ceterarumque fundamentum. Iam nemo non videt huic argumento omnem vim inesse, sive trina dimensio essentia, sive proprietas prima corporis esse dicatur.

[4]) Nemo existimet nos hac in re a methodo, quam sectari nobis proposuimus, abscedere, et Physicos ex Scholis Schellinghii et Heghelii imitari, qui naturam, proprietatesque corporis *a priori* investigare conati sunt. Nam, quamvis proprietates corporis experientia conspicuae nobis sint, tamen, quoniam ab essentia promanant, illarum naturas, nonnisi iam intellecta essentia corporis, cognoscere nobis licet. Quare visum nobis est primo ex quibusdam proprietatibus corporum, quae perspicuae sensibus sunt, ad investigandum corporis essentiam, et principia, ex quibus ipsa efficitur, progredi, deinde ex cognitione essentiae corporis ad naturam proprietatum eius indagandam regredi. Quae quidem est methodus illa *regressiva*, quam in scientiae rerum adquisitione ceteris anteferendam esse in *Logica* diximus. Hoc iam nos monuerat s. Thomas, quippe qui in philosophia naturali rationem cum experientia coniungendam esse docuit, quia experientia phaenomena naturae nobis innotescunt, ratione autem illorum causae, quoad fieri potest, indagantur. Cf *Opusc.* LXX, *Super lib. Boëtii De Trinit.*, lect. II, q. II, a. 2 c.

ARTICVLVS PRIMVS

Potiores Philosophorum opiniones recensentur

114. Aristoteles, ni fallimur, unus antiquorum, quantum ex historiae monumentis constat, hac de re dilucide egit. Namque Democritus, aliique veteres naturae interpretes, sive, uti Aristoteles eos vocat, Physiologi, cum omnia corpora ex atomis efformata esse, et non alio sensu, quam tactu, naturam illorum nobis patescere arbitrarentur, non alias qualitates in corpore agnoverunt, nisi *figuram*, *motum*, aliasque, quae ex diversis atomorum combinationibus oriri possunt, quasque recentes, ut mox videbimus, primarias vocant [1]. De Platone in eius Dialogis, et de Stoicis [2] apud veteres circa naturam, et numerum qualitatum corporis nihil certi, exploratique invenitur. Itaque Aristotelis sententiam secundum Scholasticos, qui illam evolverunt, exponamus.

115. Scholastici docuerunt, quoniam essentia corporis ex duobus principiis, nempe materia, et forma, constituitur, duas proprietates nobis manifestari in corpore, quae primo ab essentia eius promanant, et ceterarum sunt fundamentum, easque esse *quantitatem*, quae a principio materiali exurgit, et *qualitatem*, quae a principio formali pullulat [3]. *Figuram* cum his coniungebant, quia ipsam veluti qualitatem quantitatis spectabant [4]. Reliquas proprietates, seu affectiones corporis in *primas*, et *secundas* dividebant. *Primas* vocabant *calorem*,

---

[1]) Vid. Arist., *De sensu, et sensili*, c. 4, ed. Didot. E re est audire Christianum Garve: « Quare concludebant hunc sensum (*tactum*) docere nos veram corporum naturam, caeteros eorum externas modo species ostendere. Inde orta est Philosophia illa corpuscularis, quae corporibus has solas qualitates relinquit, quae tangendo percipiuntur, motum, et figuram, et partium collocationem, caeteras omnes detrahit, negans colores et sonos, dumtaxat ut corporum qualitates, aliud aliquid esse praeter minutissimarum partium situs et motus. Atque hanc sententiam iis recte tribui, qui atomos, sive corporum elementa, praeter figuram, et motum, nihil habentia proprii, adhibuerunt ad mundi fabricam explicandam, auctor est Aristoteles, qui hanc sententiam oppugnaturus, eam luculenter exposuit »; *Legendorum Philosophorum veterum praecepta nonnulla, et exemplum*, p. 29, et 30, Lipsiae 1770. Locus Stagiritae ille est, quem modo citavimus.

[2]) Cf Lipsium, *Physiol. Stoic.*, lib. II, diss. IV, p. 144 sqq, ed. cit.

[3]) Apposite s. Thomas: « Prima accidentia consequentia substantiam sunt quantitas, et qualitas, et haec duo proportionantur duobus principiis essentialibus substantiae, scilicet formae, et materiae (unde magnum, et parvum Plato posuit differentias materiae, sed qualitas ex parte formae) »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 *sol.* 3 ad 1.

[4]) Figura, secundum s. Thomam, dicitur *qualitas circa quantitatem* (*In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. I, a. 3 sol. 1 c.), et secundum s. Bonaventuram (*In lib. IV Sent.* Dist. XLIX, a. 1, q. I *ad arg.*) *qualitas in quantitate*. (Cf *Log.*, p. I, c. I, a. 4, p. 62 vol. I).

frigus, humiditatem, et *siccitatem*, utpote quae et ab aliis non oriri et ad generationem maxime concurrere existimabant, easque ad tactum referebant. Ceteras, quae vel ad eumdem tactum, puta *duritiem*, et *mollitiem*, vel ad *gustum*, uti *dulce*, et *amarum*, vel ad *olfactum*, ceterosque sensus referuntur, appellabant *secundas*, quia rebantur ipsas vel ab una primarum promanare, quae propriae sunt corporum simplicium, vel a plurium promixtione coalescere, quae corporibus mixtis conveniunt [1].

116. Ex his perspicitur Aristotelem, et Scholasticos in corpore, secus ac Democriticis visum fuerat, praeter proprietates, quae ad materiam, seu principium passivum proprie referuntur, puta extensionem, et soliditatem, admisisse quoque illas, quae a forma, seu principio activo profluunt, puta coloris, saporis et odoris, atque istas, perinde ac illas, esse in corporibus reales.

117. Verum Cartesius, quoniam doctrinam Democriti, veterumque Physiologorum de atomis instauravit, eorum quoque sententiam de proprietatibus corporis amplexus est, evolvit, et perpolivit. Ipse, quippe qui, secundum theoriam atomorum, persuasum habuit nos nihil aliud in corpore, nisi tres dimensiones, clare, distincteque percipere, idcirco non alias proprietates, quam quae cum extensione necessario connectuntur, scilicet *mobilitatem*, *figuram*, aliasque id genus, in corpore re ipsa inveniri dixit [2]. Malebranchius, qui una cum Cartesio essentiam corporis in extensione posuit, omnes proprietates corpo-

---

[1]) Huius divisionis qualitatum meminit s. Thomas in hoc loco: « Qualitates compositae, vel secundae intenduntur secundum intensionem qualitatum primarum, sicut sapor, et sanitas, et alia huiusmodi, secundum intensionem caloris, et frigoris, humoris, et siccitatis. Qualitates autem primae, et simplices intenduntur ex causis suis, scilicet ex agente, et patiente » (*In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 2 *sol.*). Scholastici sequioris aevi proprietates secundas diviserunt in *sensibiles*, nempe quae sub sensus cadunt, et in *occultas*, quae sensibus non patent, sed ex effectibus, quos corpus producit, coniiciuntur. Recentes ob hanc causarum occultarum theoriam Scholasticos irrident, eorumque in physicis ignorantiam et barbariem exaggerant. At quid aliud sibi vult causas *occultas* in physicis admittere, quam phaenomena agnoscere, quorum causae nos latent? Nonne vel nobilissimi Physici in hac etiam aetate, quae tantis progressibus gloriatur, plurima adhuc inveniri huiusmodi phaenomena fateri coguntur, atque in horum causis perscrutandis omnem suam operam collocant? Audiamus Ed. Corsinium, quem nemo rudem, barbarumque dixerit: « Nullus est fortasse in universa Physica locus, in quo admirabilis Naturae vis, ubertas, ac pulcritudo clarius, et illustrius effulgeat, quam ubi de Qualitatibus illis disseritur, quae cum omnem sensuum, et ingenii nostri vim fugiant, a Philosophis omnibus *occultae* vocari solent » (*Op. cit.*, *Phys. gen.*, tract. IV, c. 6, t. II, p. 375). Procul dubio numerus occultarum causarum eo plus minuitur, quo plures fiunt observationes, et experimenta, quibus scientiae naturales, aiente s. Thoma (*In lib. I Met.*, lect. I, et *in lib. VI Ethic.*, lect. VI) augentur. Unde idem sanctus Doctor ex Aristotele observavit artes, scientiasque novis in dies incrementis ditari.

[2]) *Les princip. de la phil.*, Part. 1^e^, § 70; cf § 65-69, et § 71-76, *Oeuvr.*, ed. cit., t. I, p. 264-273, et *Med.* VI, § 14, t. cit., p. 168.

ris ad relationes *distantiae*, *figurae*, et *motus* reduxit, et *calorem*, *frigus*, aliasque eiusmodi non esse aliud voluit, nisi affectiones animi nostri, quae corporibus perperam tribuuntur [1].

118. At Lockius hanc theoriam accuratius explicare, atque enodare aggressus omnes qualitates corporum in *primarias*, et *secundarias* non illo, quo ad scholasticam, sed illo, quo ad cartesianam accommodatus est, sensu divisit. Nam docuit 1° proprietatum corporis alias a corpore, quicumque sit eius status, numquam separari posse, easque esse *soliditatem*, *extensionem*, *figuram*, *motum*, *quietemque*, et *numerum*, alias vero vi pollere sensationes in animo per quinque primas producendi, easque esse *colores*, *sapores*, *odores*, etc., atque illas *primarias*, has autem *secundarias* nuncupatas voluit. 2° Nostris ideis qualitatum primariarum aliquid in rebus respondere, quod ipsis simile est, sed ideis qualitatum secundariarum nihil in rebus esse, quod quidquam similitudinis cum ipsis habeat, ita ut qualitates primariae sint obiectivae, secundariae autem subiectivae [2].

119. Lockio sese opposuerunt in eadem Anglia Berkeleyus, et in Germania Leibnitius. Ille enim cunctas qualitates primarias, non secus ac secundarias, esse subiectivas contendit, indeque idealismum elicuit [3]; hic vero, monadologiae suae placitis parum cohaerens, non solum qualitates primarias, sed etiam secundarias esse reales voluit, atque istis, perinde ac illis, aliquid simile in corpore respondere sensit [4]. Saec. XVIII exeunte, Emm. Kantius, cum extensionem phaenomenicam, non vero realem nobis compertam esse statuisset, distinctionem qualitatum in primarias, et secundarias a Cartesio invectam, a Lockio explicatam, et a Reidio defensam reiecit, omnesque qualitates corporis phaenomenicas nobis esse voluit [5].

120. Galluppius noster Berkeleyo concessit proprietates omnino omnes, quas nos corpori tribuimus, non aliud esse, nisi sensationes nostras, quibus res extrinsecus obiectas induimus, sed nihil inde contra realem existentiam corporum concludi posse contendit. Quod quidem secundum suam theoriam de elementis corporum [6] ita probavit:

---

[1]) *Entret. sur. la Mèt.*, Entret. I, *Oeuvr.*, Ser. I, p. 4 sqq, et *De inquir. verit.*, lib. I, c. 10, t. I, p. 47 et 48, ed. cit.

[2]) *Essai phil.* etc., lib. II, c. 8, § 9-21, t. II, p. 256 sqq, ed. cit. Opinionem Lockii diversis modis tuiti sunt Reidius (*Essais sur les facult. intell.* etc., Ess. II, c. 17, *Oeuvr.* t. III, p. 273, ed. cit.), Stewartius (*Élémens* etc., c. 1, § 2, t. I, p. 118, et *Essais phil.*, Ess. II, c. 2, sect. 2, p. 196 sqq), et Royer-Collard, qui (*Fragm. theor.*, n. III-V, ad calc. *Opp.* Reidii, t. III, p. 428 sqq, ed. cit.) omnes qualitates primarias ad extensionem, et soliditatem revocare studuit.

[3]) *Op. cit.*, p. 599, not. 3.

[4]) *N. E.*, lib. II, c. 8, *Opp.* ed. Erd., p. 231 sqq.

[5]) *Critique de la raison pure*, *Aesthet. transc.*, part. I, t. I, p. 44 sqq, trad. Tissot, ed. cit.

[6]) Vid. p. 219, not. 3.

Cum corpora a nobis cognoscantur, non prout in se sunt, sed prout nobis apparent, seu, quod idem valet, cum relata ad cognitionem nostram sint phaenomena, proprietates, quas in ipsis deprehendere nobis videmur, reales esse nequeunt. Ast ex eo quod proprietates, quas corporibus tribuimus, in ipsis reales non sunt, concludere non licet corpora nihil esse, quia omnino repugnat aliquid, quod non est in se reale, nobis apparere, seu esse phaenomenum. Quare tenendum, eius iudicio, est corpora esse in se aliquid reale, sed quia nobis non apparent eo modo, quo in se sunt, proprietates, quas ipsis tribuimus, non esse aliud, nisi sensationes, seu modificationes subiecti ipsa sentientis [1].

121. Hanc sententiam Galluppii Saissetus nuper defendit [2]. At Garnierius, Aristotelis, et Leibnitii sententiam quodammodo resumens, cunctas proprietates corporis esse obiectivas contendit [3].

122. Quandoquidem haec controversia ex ea parte tantum, quatenus ad rem nostram spectat, tractanda nobis est, primo nonnullas praecipuas proprietates corporis, quae vel a principio *passivo*, vel a principio *activo* in eo exurgunt, explicabimus; deinde quid de distinctione qualitatum in primarias, et secundarias a Cartesio, eiusque asseclis excogitata sentiendum sit, aperiemus.

ARTICVLVS SECVNDVS

De proprietatibus, quae a principio passivo in corpore exurgunt, et primum de quantitate

123. A quantitate ordiamur necesse est, quia haec veluti prima proprietas corporis intelligitur [4]. Et sane, quoniam corpus natura sua requirit, ut partes, alias, extra alias, habeat, consequitur illam proprietatem velut omnium primam in corpore intelligendam esse, quae partes per se habet, quia eius essentia in divisibilitate posita est [5], simulque est proprietas, per quam reliquae proprietates habent partes. Ergo quantitas veluti prima proprietas corporis intelligenda est [6].

124. Iam advertamus in primis necesse est nos hic agere de quantitate continua, non vero de discreta, quia quantitas, quae substantiam

---

1) *Saggio filos.*, lib. IV, c. 4, § 44, t. VI, p. 106, ed. cit.

2) Hic, Cartesii, Lockii, Reidii, Berkeleyi, et Kantii placitis explosis, qualitates corporis esse simul *obiectivas*, et *relativas* voluit; obiectivas, quia omnes extensionem complectuntur, et relativas, quia a nobis non cognoscuntur, prout in se sunt, sed prout sensus nostros afficiunt. Vid. *Dict. phil.*, art. *Matière*.

3) *Prècis de psychologie*, lib. I, c. I, sect. 2, § 4, Paris 1731, *Introd. aux Oeuvr. de Descartes*, part. II, p. CXLIII, et *Traité des facult.* etc., lib. VI, sect. 1, c. 13, § 4, t. II, p. 108 sqq.

4) Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 c.

5) Cf *Ontol.*, p. 132.

6) Cf ibid., p. 129.

corporis consequitur, omnibus fatentibus, continua est. Quandoquidem vero notionem cum logicam, tum ontologicam quantitatis continuae iam tradidimus, ipsamque non constituere essentiam corporis, sed esse proprietatem corporis ostendimus, hic non aliud est reliquum, quam ut quasdam, quae circa illam agitatae sunt, controversias dirimamus.

125. Et principio inquirendum est, num quantitas in corpore sit realis, sive, ut quoque aiunt, obiectiva, an subiectiva, vel phaenomenica. Hoc in primis facile est colligere ex iis, quae adversus auctores systematis dynamici de principiis constitutivis corporis statuimus. Enimvero Dynamici, cum falsam theoriam de principiis constitutivis corporis amplexi essent, quantitatem esse subiectivam, aut phaenomenicam, non vero obiectivam, et realem decreverunt[1]. At nos luculenter ostendimus theoria dynamismi, sive hic ex Leibnitii, sive ex Boscovichii sententia explicetur, non modo realem extensionem corporis tolli, sed ne explicari quidem posse quomodo phaenomenum, sive apparentia extensionis in nobis efficiatur[2].

126. Wolfius contendit phaenomenum extensionis, et continuitatis ex confusa perceptione simplicium, seu monadum, ex quibus corpus conflatur, repetendum esse; nam, quoniam simplicia, ex quibus corpus constat, confuse percipimus, inde fit, ut ipsa velut unum continuum efficientia, sive *substantiae instar* nobis appareant[3]. At, praeterquam quod monades, uti ostendimus[4], copulari non possunt, quin in unum punctum coalescant, Wolfius pro concesso sumit monades confuse a nobis percipi. Iam hoc est prorsus absurdum, quia obiectum facultatum sentiendi, ut suo loco demonstratum est[5], nonnisi aliquid corporeum esse potest; monades autem, quippe quae sunt substantiae simplices, corpus efficere non possunt.

127. Neque audiendus est Galluppius, qui docet nihil prohibere, quin plura simplicia, quorum singula seorsum sunt insensilia, simul coniuncta totum sensile efficiant[6]. Nam, si naturae facultatis sentientis repugnat eius obiectum esse aliquid simplex, certe repugnat simplex esse sensile, etiamsi non seorsum, sed cum aliis multis coniunctum existat, quia simplicia, cum, ipso Galluppio consentiente, in composito non permiscantur, naturam suam amittere non possunt.

128. Denique extensio dici nequit phaenomenica ex eo, quod, uti

---

1) Leibnitianae monadologiae sectatoribus, quippe qui corpora ex simplicibus substantiis componi autumarunt, quantitas, sive extensio corporis nonnisi phaenomenica esse potuit, quia simplicia, uti ante dictum est, sese tangere non possunt.

2) Cf p. 220, 221.

3) Hinc materiam, extensionem et continuitatem *phaenomenon substantialum* saepe vocat. Cf *Cosmol.*, sect. II, c. 3, § 226, et 229.

4) Pag. 220.

5) Vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 1, p. 239.

6) *Lezz.* etc., lez. LXXXIII, t. II, p. 217, 219.

Kantius sanxit, non est aliud, quam forma *sensibilitatis purae*, quia pronuntiata, ex quibus Kantius illam deduxit, quemadmodum saepe dictum est, et falsa in se sunt, et ad absurda consectaria ducunt. Illud hic addimus cum Saisseto[1], extensionem in systemate kantiano non posse esse formam sensibilitatis externae, cum huius subiectum sit animus noster, scilicet aliquid omnino simplex, neque posse unquam intelligi, quomodo τὸ *ego*, quod se, tamquam unum, immo tamquam typum unitatis cognoscit, spatium, quod multiplex, et divisibile est, in se complectatur.

129. Quandoquidem absurda sunt diversa rationis momenta, quibus fautores systematis dynamici realitatem extensionis in corporibus oppugnare conati sunt, inde conficere nobis licet nihil esse, cur negemus in corporibus existere extensionem, quam in illis, concedentibus ipsis Dynamicis, percipere nobis videmur. Ceterum non desunt argumenta, quae extensionem in corporibus realem, non vero phaenomenicam esse nobis luculenter suadent. Eiusmodi in primis omnia illa sunt, quibus nostras corporis perceptiones esse obiectivas in *Dynamilogia* evicimus. Nam, quoniam nos corpus non sentimus, nisi prout extensum, seu *quantum* est[2], consequitur perceptiones corporis non posse dici obiectivas, si extensio, seu quantitas eius subiectiva, aut phaenomenica dicatur. Adde his, quod quantitas est fundamentum ceterorum accidentium corporis[3], quia quantitas, ut suo loco vidimus, est primum omnium, quae substantiae corporis advenire intelligimus, et quidquid corpori accidere intelligimus, nonnisi prout per partes extenditur, seu prout est *quantum*, intelligere possumus[4]. Qua de re, si extensio, seu quantitas corporis esset subiectiva, vel phaenomenica, omnes qualitates corporis non aliud, nisi mera affectio animi, vel merum phaenomenum dici possent, quia non foret in corporibus aliquid simile illis, sed ne aliquid quidem, ex quo ipsae in corpore nostro effici possent. Atqui nullus Philosophus, si idealistas, uti Berkeleyum, et Scepticos, uti Kantium, exceperis, negat aut omnes qualitates esse obiectivas, aut, si omnes, aut aliquae sunt subiectivae, quidquam reale in corporibus esse, a quo producuntur. Ergo extensio, seu quantitas corporum, secundum ipsorum adversariorum principia, obiectiva, et realis dicenda est.

---

1) *Diction. phil.*, art. cit.

2) « Sensibilia, s. Thomas ait, movent sensum, utpote in magnitudine existentem, non solum ex vi qualitatis propriorum sensibilium, sed secundum quantitatem dimensivam, ut patet de sensibilibus communibus »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 2. Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, art. I, p. 241.

3) « Omnia alia accidentia, subdit Aquinas, in quantitate fundantur »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 c.

4) « Ipsa albedo, idem sanctus Doctor scribit, dicitur magna, vel parva, et ideo dividitur secundum proprium subiectum »; I, q. LXXVIII, a. 3 ad 2.

130. Unde autem extensio in corpore existat, ex doctrina aristotelico-scholastica de constitutione corporis haud difficile est intelligere [1]. Nam, si corpus, uti ostensum est ex materia veluti principio passivo, et ex forma veluti principio activo constituitur, nemo non videt a materia pullulare oportere partes, ex quibus corpus componitur, atque per formam partes ita inter sese cohaerere, ut unum per se efficiant. Et sane, cum forma sit, ut ex Cicerone diximus [2], quaedam vis, quae materiam pervadit, ipsa efficit, ut materia cohaereat, trinasque dimensiones quantitatis adquirat [3].

131. Obii. Kantius 1°: Si extensio esse realis, ac obiectiva dicatur, ipsa admittenda est velut quaedam proprietas, ex qua res contingentes determinantur. Atqui id destruit geometriam, cuius obiectum est extensio absoluta. Ergo etc.

132. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Kantius non advertit extensionem aliam esse *sensibilem*, quae est propria corporis physici, aliam esse *intelligibilem*, quae est propria corporis mathematici. Prior certe non est, nisi aliquid contingens, quia est proprietas corporis, quod est res contingens; at posterior est aliquid absolute spectatum, quia est extensio, prout a substantia, quae subiectum eius est, seiuncta consideratur, neque aliud, quam tres dimensiones exhibet. Iam, quoniam Scholastici, et qui eos secuti sunt recentes, non extensionem intelligibilem, sed sensibilem esse obiectivam, et realem docuerunt, eorum sententia obiectum geometriae, quod est extensio intelligibilis, sive extensio absolute considerata, non destruit.

133. Obii. 2°: Si materiei realem extensionem concesseris, tenendum tibi est horum alterutrum, scilicet vel materiam esse in infinitum divisibilem, vel ipsam ex simplicibus conflari. Atqui neutra harum duarum hypothesium defendi potest, quia ipsae, cum momentis rationis aeque validis fulciantur, contradictionem involvunt. Ergo extensio in corpore realis non esse dicenda est [4].

134. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Kantio concedimus, opinionem illorum, qui materiam ratione quantitatis in infinitum esse divisibilem aiunt, validis rationis momentis niti; sed negamus aeque validis rationis momentis obfirmari sententiam de simplicitate

---

[1]) Diximus ex *doctrina Scholasticorum*, quia extensio ex eo, quod atomi sese tangunt, quemadmodum atomici contendunt, fieri non potest. Et sane haud possibile est, uti ante diximus, atomos, sive partes corporis ita inter se cohaerere, ut unum per se, et continuum efficiant, sine aliquo principio activo, quod illas pervadit, et copulat.

[2]) Pag. 228, not. 2.

[3]) Hinc s. Thomas docuit quantitatem repetere suum *esse* a materia sensibili, hoc est, a materia prout iam *actu* existit. « Quantitas dimensiva, ait,... dependet a materia sensibili secundum suum esse »; *In lib. IV Sent.*, loc. cit. ad 2.

[4]) *Dialectique transc.*, lib. II, c. 2.

elementorum, haec enim, ut fuse ostendimus, absurda est. Quare minime existit illa contradictio, seu *antinomia cosmologica*, ex qua Kantius ad realem extensionem corpori denegandam permotus fuit.

135. Quoniam omne corpus reali extensione gaudet, ideoque partes extra partes habet, pronum inde est intelligere, quid sit sentiendum de *indivisibilibus* extensis quidem, sed partium expertibus, ex quibus Zeno corpus componi putavit [1]. Enimvero theoria *indivisibilium*, quae etiam *punctorum zenonicorum* nomine designatur, quemadmodum s. Thomas post Aristotelem [2] ostendit, et absurda in se est, et multa absurda consectaria parit. Est in se absurda, quia ex punctis magnitudo continua constitui non potest, nisi ipsa vel sint invicem continua, vel sese tangant. At neutrum fieri potest. Non primum. Nam continuum illud dicitur, cuius partes sunt unum secundum extremitatem [3]. Atqui in puncto zenoniano, utpote quod expers partium est, non invenitur aliud, quod sit unum, et aliud, quod sit aliqua pars. Puncta igitur zenoniana continua invicem esse nequeunt [4]. Non alterum. Etenim, cum puncta partibus careant, nec pars unius partem alterius, nec pars unius totum alterius tangere potest [5]. Ergo ex punctis zenonianis magnitudo continua exurgere non potest [6].

136. Praeterea theoria zenoniana multas absurditates parit, ex quibus unam, et alteram innuisse satis sit. Si duo corpora, quorum unum est duplo velocius altero, longitudinem trium punctorum percurrant, certe eo tempore, quo primum mobile datam longitudinem percurrit, secundum debet dimidium eius, hoc est, unum punctum cum dimidio percurrere. Quare ex hypothesi Zenonis fluit hoc primum absurdum, scilicet punctum, quod est natura sua indivisibile, et partium expers, re ipsa dividi, ideoque esse indivisibile, et divisibile. Praeterea, admissa hypothesi Zenonis, aliud absurdum admittendum foret, nempe omnes circulos concentricos esse aequales. Nam, si circulus ex punctis constat, ii circuli aequales dicendi sunt, qui ab eodem punctorum numero conflantur. Atqui, admissa hypothesi Zenonis, omnes circuli concentrici ex eodem numero punctorum conflantur. Aequales igitur in hypothesi zenoniana dicendi sunt. Mi-

---

1) Arist., *Nat. Ausculi.*, lib. I, c. 2, ed. Didot.

2) *Op. cit.*., lib. VI, c. 1, et 2, ed. cit.

3) « Continua sunt, ait B. Albertus M., quorum ultima sunt unum » (*Phys.*, lib. V, tract. II, c. 5), et post eum s. Thomas: « Continua sunt, quorum ultima sunt unum: contacta (nempe *contigua*), quorum ultima sunt simul » (*In lib. IV Phys.*, lect. 1). Cf *Ontol.*, p. 130, not. 7, et p. 132.

4) Cf s. Thom., *In lib. IV Phys.*, lect. 1.

5) S. Thom., *ibid.* « Tactus, alibi scribit, corporalium . . . nihil aliud est, quam coniunctio terminorum duarum quantitatum »; *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. 1, a. 4, *sol.* 1 c.

6) Cf quae ad hanc rem ostendimus pp. 220, 221.

nor ex eo facile probatur; quod, cum a quolibet puncto peripheriae duci radius ad centrum queat, perbelle concipi potest a singulis punctis circuli exterioris radios duci. Iam manifestum est omnes hosce radios, cum ad centrum feruntur, per aliquod punctum interioris circuli transire debere; idemque binos radios per idem punctum minoris circuli non posse transire. Si igitur hypothesis zenoniana admitteretur, omnes circuli concentrici ex eodem numero punctorum conflarentur [1].

137. Quaerendum insuper est, utrum partes in corpore *actu*, an *potentia* sint, et unum corpus in certum partium numerum, an in infinitum divisibile sit.

A prima parte quaestionis exordientes probabiliorem esse ducimus sententiam s. Thomae, aliorumque Scholasticorum, qui partes corporis, si non separatas, certe *actu* esse distinctas in corpore tuentur. Principio, quin partes corporis non sint separatae, dubitare nemini licet; nam, si huiusmodi essent, 1° fatentibus ipsis monadologiae fautoribus, extensio corporis non esset realis, quod iam falsum esse vidimus; 2° ex ipsis, quemadmodum etiam ostendimus, ne phaenomenum quidem extensionis exurgere posset.

138. Praeterea partes corporis *actu* esse inter se distinctas luculenter demonstratur vel hoc uno argumento, quod nobis s. Thomas suppeditat. Illud, sine quo extensio intelligi nequit, *actu* in corpore sit oportet. Atqui extensio sine partibus, quarum una sit extra aliam, intelligi nequit; partes autem, quarum una est extra aliam, actu distinctae inter se esse debent. Ergo partes in corpore actu inter se distinctae sint oportet. Audiatur sanctus Doctor: « Distinctio secundum situm primo, et per se convenit quantitati dimensivae, quae definitur esse quantitas positionem habens; unde et partes in subiecto ex hoc

---

[1]) Legesis de his, aliisque consectariis theoriae zenonianae s. Thomam, *In lib. VI Phys.*, lect. II; *In lib. II De coelo*, lect. XII, et *In lib. III Met.*, lect. VII, ceterisque Doctoribus omissis, Scot., *In lib. II Met.*, Quaest. VI, et *In lib. II Sent.*, Dist. II, q. IX, atque inter nuperos Tongiorgium, *Op.* cit., *Cosmol.*, c. 5, art. 3, § 158, p. 278 sqq. Hic in memoriam revocandum est illud, quod communis termini officio in continuo fungitur, indivisibile, ut diximus (*Ontol.*, p. 132, et 187), esse oportere; si enim illud, quod partes unit, aliis partibus constaret, ipsum potius indigeret vinculo, quo uniretur, quam partes connectere, et terminare posset. Hinc Aristoteles (*Topic.*, lib. I, c. 14) docuit ita se habere indivisibile ad continuum, sicut unitatem ad numerum. At vero cave, ne cum Leibnitio (vid. p. 218, not. 1) aliisque Dynamicis existimes indivisibile, seu punctum, quod est principium continui, esse idem cum uno, quod est principium numeri, aut continuum, perinde ac numerum, ex solis indivisibilibus constare. Namque, ut scite inquit Ioannes a s. Thoma, « ... indivisibile pertinet ad continuum terminando, et continuando, non autem partes divisibiles praebendo, unde non potest continuum, quod habet partes, solis indivisibilibus constare, sicut numerus solis unitatibus, quia separatione, et divisione, non compositione constituitur numerus »; *Op. cit*, p. II, q. XX, art. 3, p. 505.

ipso distinctionem habent secundum situm, quod sint subiectae dimensioni [1] ».

139. Ut hoc argumentum illustrius fiat, mente reputandum est cum s. Augustino partes in corpore ordinem ita habere, ut alia, e. g., sit superior, alia inferior [2], alia *maiorem*, alia *breviorem* locum occupet [3]. Iam hic ordo profecto realis est, siquidem ordo, e. g., capitis ad pedes, aut verticis ad basim, a mentis nostrae consideratione haud pendet. Atqui hic ordo realis partium corporis actualem distinctionem expostulat [4]. Ergo partes in corpore quodammodo actu distinctae esse debent.

140. Accedit, quod corpus, etsi *actu* sit indivisum, tamen *potentia* est divisibile [5]. Atqui *divisibilitas potentialis*, uti Aquinas subdit, expostulat plures partes actuales [6]. Ergo partes in corpore esse actu distinctas dicendum est.

141. Nemo autem cum Tongiorgio [7], aliisque existimet ex partibus actu inter se distinctis aliquam multitudinem, non vero *unum*, atque *continuum* exurgere posse: namque, etsi partes sint actu distinctae, tamen, quoniam ipsae non sunt actu divisae, una est omnium *forma*, proindeque unum *esse*, quippe quod una est *forma*, et *esse* totius, in quo ipsae subsistunt. « Esse totius compositi, inquit s. Thomas, pertinet ad omnes partes, quia partes non habent proprium esse, sed sunt per esse totius [8] ».

---

[1]) *Quodlib.* I, a. 21 c. « Non est possibile, alibi scribit, esse duas partes lineae, nisi sint distinctae secundum situm »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, *sol.* 2 c.

[2]) « Quantumcumque illud corpusculum sit, habet certe aliam partem... superiorem, aliam inferiorem; aut aliam ulteriorem, aliam citeriorem; aut alias finales, aliam mediam; haec autem necesse est quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur »; *De vera Relig.*, c. 43.

[3]) « Corpus non est nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, et movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, et breviore breviorem »; *Ep.* CLVI, c. 2, n. 4.

[4]) « Ordo, inquit s. Thomas, absque distinctione non est. Unde ubi non est distinctio secundum rem, sed solum secundum modum intelligendi, ibi non potest esse ordo, nisi secundum modum intelligendi »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. X, a. 3 c.

[5]) « Continuum est indivisum in actu, licet sit divisibile in potentia » (I, q. LXXXII, a. 4 c.). Hinc corpus non est absolute *unum*, nempe unum *unitate simplicitatis*, sed *unitate compositionis* (cf *Ontol.*, p. 56). « Unum, s. Augustinus ait, quisquis verissime cogitat, profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu adtingitur, iam non unum, sed multa esse convincitur; corpus est enim, et ideo habet innumerabiles partes »; *De lib. arb.*, lib. II, c. 8, n. 22.

[6]) « Duo corpora facit actualis divisio materiae corporalis; duas autem partes unius corporis divisibilitas potentialis »; *Quodlib.* I, a. 21 c.

[7]) *Op. cit.*, *Cosmol.*, lib. I, c. 5, art. 4, § 171, t. II, p. 285.

[8]) *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 3 *sol.* « Unitas rei, ait (*In lib. IV*, Dist. X, q. I, a. 3, *sol.* 3 ad 1), consequitur esse ipsius; partes autem alicuius homogenei

142. Quae cum ita sint, ne difficile quidem est intelligere, quomodo ex partibus actu distinctis continuum efficiatur. Tongiorgius id nullo modo explicari posse pertendit [1]. At, nostro quidem iudicio perperam. Nam quandoquidem unum est principium formale, quod partes corporis pervadit, et copulat, ipsae partes in communem terminum conveniant necesse est.

143. Prima parte quaestionis soluta, ad alteram progrediamur. Si corpus *absolute*, sive, ut aiunt, *mathematice* consideretur, omnino adhaerendum esse arbitramur sententiae s. Thomae, aliorumque Scholasticorum [2], qui post Aristotelem [3], et s. Augustinum [4] corpus esse in infinitum divisibile docuerunt. Quae sententia ut recte intelligatur, monendum est laudatos Doctores, cum contendunt corpus esse in infinitas partes divisibile, id non intelligere de partibus *aliquotis*, scilicet iis, quae aliquoties sumtae totum adaequant, sed de partibus proportionalibus, hoc est, de iis, quae in proportione dupla, tripla etc. decrescunt. Et sane, quoniam divisio totius in partes aliquotas

---

continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentia tantum; et ideo nulla illarum habet unitatem propriam in actu, unde actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantum ». Unde statuit, quod « in divisione continui non fit aliquid de novo, in quantum id, quod prius erat multa potentia, unum autem actu, fit actu plura (*ibid.*, lib. III, Dist. XXI, q. I, a. 1, *sol.* 2 ad 5). Ex his perspicere licet, quomodo sint intelligenda loca sancti Doctoris, in quibus partes in corpore *potentia* esse asseruit. Namque sanctus Doctor, uti apposite Ioannes a s. Thoma advertit, in illis locis non quidem distinctionem, sed divisionem partium, earumque numerum esse *potentia* in corpore voluit. En locum laudati Ioannis a s. Thoma: « D. Thomas non loquitur de partibus quantum ad entitatem, sed quantum ad numerum, sic enim sunt in potentia plures, quia non sunt actu divisae; ut clare deducitur ex ipsis verbis s. Thomae loco illo allegato ex *IV Sent.*, concludit enim, *unde in actu non est accipere ipsarum partium numerum, sed potentia tantum.* Et eodem modo loquitur in *VII Met.*, lect. III, quando dicit, *quod duo dimidia in una linea sunt in potentia tantum*, quia scilicet non sunt divisa, et consequenter neque plura in actu » (*Op. cit.*, Pars II, q. XX, art. 1, p. 500). Qua de re s. Thomas, ni fallimur, in iis locis, in quibus partes in corpore potentia, non actu esse dixit, *actum* pro *forma* accepit, quemadmodum ab eo, aliisque Scholasticis saepe acceptum est. Nam, cum partes corporis non habeant proprias formas, sed formam totius corporis, ipsae sunt in potentia ad totum corpus. «In omni composito, sanctus Doctor scribit, oportet esse potentiam, et actum, quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius » (I, q. III, a. 7 c.). Si haec diligenter animo reputentur, haud difficile erit sententiam, quam modo amplexi sumus, cum altera Cosmi Alemannii, et Dandinii componere, quam in *Philosophia Christiana* (Vol. I, *Logic.*, pp. 497 et 519 edit. an. 1878) propugnavimus; quia sententia Cosmi, et Dandinii ad divisionem, numerumque partium, non vero ad meram distinctionem spectare videtur. Ceterum de hac re in *Cosmologia* alter. cit. Op. nostr. *Philos. Christ.*, favente Deo, diligentius, tritiusque tractabimus.

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) Cf *Ontol.*, p. 134, et 135.

[3]) *Nat. Auscult.*, lib. VI, c. 1, § 3, et *De Coelo*, lib. I, c. 1, § 2, ed. Didot.

[4]) « Omnis pars, quae remanet, corpus est, et quicquid hoc est, quantolibet spa-

totum dividendum metitur, necesse est, ut ipsa finem aliquando habeat; alioquin infinitus partium numerus in corpore admittendus esset, infinitaque, quae ex ipsis exurgit, foret magnitudo corporis. Puta, si ulnam palmo metiri in infinitum posses, ipsa ex infinitis palmis conflari, proindeque infinitae magnitudinis esse deberet [1]. Sed res aliter se habet, si corpus in partes proportionales posse in infinitum dividi dicatur. Nam, cum partes proportionales, in quas corpus dividitur, et subdividitur, sint inaequales, aliaeque aliis minores, divisio corporis in partes proportionales totum dividendum minime metitur; unde, si huiusmodi divisiones in infinitum deduci posse dicantur, non idcirco infinitae partes in corpore actu admittendae sunt, aut infinita magnitudo in corpore agnoscenda. Enimvero partes proportionales non sunt eae, quae corpus constituunt, sed eae, quae fiunt per successivas subdivisiones partium, in quas corpus primo divisum est, servata eadem proportione ; puta si quod rectangulum dividas in duo rectangula minora, atque unumquodque eorum rursus in alio duo adhuc minora, atque ita in infinitum [2]. Iam nemo certe dixerit 1° rectangula alia aliis minora, quae per divisionem, et subdivisiones obtinentur, in primo rectangulo veluti partes eius inveniri, quia rectangulum, quod divisum est, ante divisionem est unum, et duo rectangula minora per divisionem, eius fiunt, et nonnisi post divisionem existunt; 2° per divisionem, subdivisionesque primi rectanguli numerum infinitum actualem rectangulorum minime obtineri; siquidem, quoad subdivisiones deducantur, rectangula, quae ab ultima subdivisione obtinentur, in alia adhuc minora dividi possunt, unde numquam numerus rectangulorum existet, qui augeri nequeat. Quin autem corpus, si hoc modo consideretur, velut indivisibile in partes proportionales in infinitum concipi queat, dubitandum non est. Etenim, si corpus, ut modo ostendimus, non coalescit ex indivisibilibus, quoad longissime divisum concipiatur, partes, seu corpora minora, quae ob divisionem exurgunt, semper divisibilia erunt. Atqui corpus divisibile, si absolute spectetur, non posse in alia corpora minora dividi repugnat. Ergo, quoad longissime divisum corpus concipiatur, corpora, quae ex postrema divisione existunt, in alia corpora minora dividi possunt [3].

144. Quod si de corpore physice spectato quaestio instituatur, ne-

---

tio locum occupat. Neque id posset, nisi haberet partes, in quas caederetur. Potest igitur infinite caedendo infinite minui »; *De immort. anim.*, c. 7, n. 12. Cf *Ep.* III *ad Nebrid.*, n. 2, et *de Trin.*, lib. XI, c. 10, n. 17.

[1]) Leibnitius, ut diximus (p. 218), ex infinito monadum numero componi corpus putavit. At neque numerus, neque magnitudo, uti ostendimus (*Ontol.*, p. 135), *actu* infinita esse queunt.

[2]) Cf s. Thom., *In lib. III Phys.*, lect. X.

[3]) Iuvat hac de re legere inter hodiernos Philosophos p. Tongiorgium, *Op. cit.*, *Cosmol.*, lib. I, c. 5, p. 159 sqq, t. II, p. 280 sqq.

gandum est corpus posse in infinitum dividi, quia corpus adeo minui potest, ut formam adhuc non patiatur [1]. Audiamus s. Thomam: « Corpora naturalia in infinitum dividi non possunt, quia omnium natura constantium, ut in II *de Anima* dicitur, est terminus magnitudinis, nec tantum in magnitudine, sed etiam in diminutione [2] ». Et sane, quoniam quaelibet res, uti ex s. Augustino vidimus [3], determinatum modum sibi a Deo naturae Auctore praestitutum habet, putandum est cuique corpori determinatam magnitudinem convenire, ita ut, si hanc amittat, principio formali, per quod in certa entium specie constituitur, privetur, atque illico destruatur [4].

ARTICVLVS TERTIVS

De impenetrabilitate corporis

145. Alia proprietas, quae a materia in corpore exurgit, est *impenetrabilitas*. Experientia omnibus compertum est nullum corpus posse alterius locum occupare, nisi ab eo ipsum expellat. Haec proprietas, quae omne corpus cetera expellit ab ipso loco, quem occupat, dicitur *impenetrabilitas*, eaque ipsa est, quam veteres ἀντιτυπίαν dixerunt, recentes *soliditatem* vocitant.

146. Iamvero rationem, ob quam corpora sunt impenetrabilia, seu solida, in quantitate quaerendam esse haud difficulter intelligere licet. Nam quantitatis munus est substantiam in partes distribuere, sive *extendere*; hoc autem haud possibile est, nisi quaelibet partium aliud, ac ceterae, spatium occupet, atque a spatio, quod occupat, ceteras expellat. « Neque ullo modo, inquit s. Augustinus, potest (*corpus*) esse in loco huius partis simul habens aliam partem, sed aliud hic, et aliud alibi habens per quaelibet spatia locorum distanti, et dividua, vel potius, ut dicam, sectili mole distenditur [5] ». Quod de singulis partibus corporis diximus, de toto etiam dictum puta, quia sicut se habet pars corporis ad partem loci, quem corpus occupat, ita se habet totum corpus ad totum locum. Quare, quemadmodum quaelibet pars corporis expellit alias partes eius a parte spatii, quod occupat; ita quodlibet corpus ex eo, quod est ab omni alio corpore divisum, certum spatium sui proprium occupare, ab eoque reliqua corpora expel-

---

[1]) Cf *Ontol.*, p. 134.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. XIV, q. I, a. 1 ad 4. Cf alia, quae protulimus, loca in *Ontol.*, loc. cit.

[3]) Cf *Ontol.*, p. 123. « Modum suum, alibi ait, a natura constitutum habent omnia corpora, ultra quam mensuram progredi nequeant »; *De beata vita*, n. 7.

[4]) « Ego puto, inquit idem s. Augustinus, corpus aliqua forma, et specie contineri, quam si non haberet, corpus non esset »; *Solil.*, lib. II, c. 18, n. 32. Cf eumdem, *Serm.* CXVII *de verbis Ev. Ioan. I*, c. 2, n. 3.

[5]) *Cont. Ep. Manich.*, c. 16, n. 20.

lere debet. Apposite s.Thomas : « Partes in subiecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subiectae dimensioni; et sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes huius loci per dimensiones, ita propter dimensiones diversa corpora distinguuntur secundum diversa loca [1] ».

147. Iam illud quoque manifestum est, impenetrabilitatem corporis non posse intelligi, atque explicari, nisi quaedam vis resistendi in corpore esse dicatur. Namque unum corpus impedire non potest, quominus aliud corpus locum ei proprium occupet, nisi quidquam agat. Atqui haec actio aliquam vim agendi ipsi consentaneam in corpore expostulat. Ergo admittenda in corpore est quaedam vis resistendi, cuius gratia ipsum est impenetrabile [2].

148. Ut haec pauca, quae de notione impenetrabilitatis statuimus, clariora fiant, duo observanda esse ducimus.

1° Quamvis impenetrabilitas, si stricte loqui velimus, a vi resistendi veluti effectus a causa, distinguatur; tamen, quoniam ex impenetrabilitate, quam in corpore observamus, vim resistendi in eo esse intelligimus, utraque communi *antitypiae*, sive *impenetrabilitatis*, vel *soliditatis* nomine designatur.

2° Vis resistendi, qua corpora pollent, non solum prout habet ordinem ad locum, quemadmodum hactenus considerata a nobis est, sed etiam prout habet ordinem ad ipsum corpus, in quo est, spectari potest. Namque, sicut ipsa prout ordinem ad locum habet, efficit, ut corpus a loco, quem occupat, reliqua corpora expellat; ita, prout ordinem ad ipsum corpus habet, impedit, quin unum corpus extensionem suam cum extensione alterius corporis commisceat. Quin immo hic ordo ad locum, quem vis resistendi in corpore producit, consequitur ordinem ad ipsum corpus, quem eadem vis in eo producit; siquidem eo ipso, quod omne corpus impedit, quin extensio alterius, cum sua commisceatur, prohibet, quin aliud corpus locum, in quo ipsum est, occupet. Ex quo intelligitur duplicem impenetrabilitatem in corpore spectandam esse : unam, quae convenit corpori, prout habet ordinem ad se ipsum; aliam vero, quae ei convenit, prout habet ordinem ad locum, quem occupat. Nihilominus, cum prior impenetrabilitas ex secunda patescat, nomine impenetrabilitatis vis resistendi, prout ordinem ad locum habet, considerata dumtaxat designari solet.

3° Quoniam impenetrabilitas quamdam vim resistendi in corpore expostulat, liquet, etsi ipsa ob quantitatem, cuius ratione corpori convenit, a materia emergat, tamem formam ad ipsam efficiendam ali-

---

[1]) *Quodlib.* I, a. 21 c.

[2]) Hinc s. Thomas ait: « Resistentia... est... ex parte agentis, quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 3, *sol.* 3 ad 2.

quid conferre, quia vis resistendi nonnisi ex principio activo repeti potest [1]. Unde a vero aberrasse videntur Newtonus, et Leibnitius, certe summi inter protestantes Viri, quod ille voluit vim resistendi esse principium omnino passivum [2], hic vero statuit « resistentiam materiae nudae non esse actionem, sed meram passionem, dum nempe habet antitypiam, seu impenetrabilitatem, qua resistit penetraturo [3] ».

149. Declarata notione impenetrabilitatis, opus nobis est inquirere, num virtute Divina effici possit, ut duo corpora eumdem locum occupent, hoc est, sese compenetrent [4].

Iam omnes Doctores mediae aetatis [5], Durando [6], eiusque sectatoribus exceptis, concorditer docuerunt fieri posse ex virtute infinita Dei, ut plura corpora sese compenetrent, eumdemque locum occupent [7]. Id Lockius, post Durandum, et paucos recentes Scholastices, negavit [8], eique omnes recentes athei, et deistae adstipulati sunt. Verum ex iis, quae diximus, facile intelligitur fieri posse, ut corpus impenetrabilitatem, quam naturaliter expostulat, ex virtute infinita Dei amittat. Enimvero impenetrabilitas, ut modo vidimus, convenit corpori ratione quantitatis. Atqui corpus, eo quod quantitate pollet, actu non expostulat, quemadmodum ostensum est [9], tres dimensiones, sed dumtaxat *exigit*, ut ipsas habeat. Ergo corpus, eo quod est impenetrabile, non requirit natura sua, ut numquam cum alio corpore compenetretur, sed *exigit* tantum, ut cum ipso non compenetretur. Hinc, si ob rationem, quam adduximus, non repugnat corpus trinis

---

[1]) « Materia, s. Thomas ait, non sufficit ad actionem, nisi principium activum ponatur »; *Qq. dispp. De Pot.*, q. V, a. 8 ad 3.

[2]) *Princip.*, Pars I, Def. 3, ed. cit. et *Optic.*, q. XXXI, ed. cit.

[3]) *Epistola ad Wagnerum*, § 2; *Op. phil.*, ed. Erdmann, p. 466. Hanc opinionem Leibnitii diligenter exposuit G. Hertenstein in *Comment. de materiae apud Leibnitium notione*, passim, Lipsiae 1845.

[4]) Aliam quaestionem, utrum unum corpus in pluribus locis esse possit, tractavimus in *Ontol.*, p. 170, 171.

[5]) Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, *sol.* 3; s. Bonav. *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, p. II, a. 2, q. I, et a. 6, q. I; Scot., *In lib.* cit. *Sent.*, q. 16, et Quaest. XI *Quodlib.*

[6]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV.

[7]) Corpora aliquando compenetrata fuisse ex ss. Litteris discimus. Audi s. Augustinum, qui de miraculo, quo I. Christus, ianuis clausis, coenaculum ingressus est, inquit: « Moli corporis, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inviolata permansit »; *Tract.* CXXI *in Ioann.*, n. 4.

[8]) Id luculenter colligitur ex illo loco, in quo asseruit duas substantias eiusdem speciei non posse eumdem locum occupare, quia id principio contradictionis adversatur (*Essai* etc., lib. II, c. 27, § 2, t. II, p. 376, ed. cit.). Et sane, quidquid contradictionem involvit, ne Deum quidem efficere posse nemo diffitetur.

[9]) Pag. 259 sqq.

dimensionibus quandoque expoliari, ne illud quidem repugnare debet, ipsum quandoque cum alio corpore compenetrari. Atqui quidquid repugnantiam non continet, a Deo fieri potest. Ergo plura corpora ex virtute infinita Dei compenetrari possunt.

150. Huic argumento, quod ex natura extensionis, atque impenetrabilitatis confecimus, addere lubet hoc aliud s. Thomae fortasse brevius, et luculentius: Impenetrabilitas in corpore producitur a quantitate dimensiva, prout haec ordinem ad locum habet, quia corpora propter diversas dimensiones secundum situm diversa loca occupant. Atqui Deus, quippe qui est causa prima omnium rerum, effectus causarum secundarum in suo *esse* sine ipsis causis conservare potest. Ergo Deus potest conservare trinas dimensiones, seu quantitatem in duobus corporibus, etiamsi non distinguantur secundum situm, hoc est, etiamsi sese compenetrent, eumdemque locum occupent [1].

151. Obiicit Lockius: Si duo corpora sese unquam compenetrarent, unum corpus, non duo forent. Sed s. Thomas iam solverat hanc difficultatem quorumdam suae aetatis asserentium, « quod nec etiam per miraculum fieri possit, quod duo corpora sint in eodem loco [2] ». Itaque nos hunc sanctum Doctorem secuti, Lockio respondemus, cum duo corpora virtute Divina compenetrantur, unum ex ipsis non fieri, quia utrique proprium *esse* a Deo conservatur. Enimvero, si duo corpora sese penetrare naturaliter possent, procul dubio unum corpus efficerent, quia « quando conveniunt duo corpora in unum, destruitur

---

[1]) « Duo corpora esse in eodem loco prohibentur ex dimensionibus, quia materia corporalis secundum dimensiones dividitur, dimensiones autem distinguuntur secundum situm. Deus autem, qui est omnium causa prima, potest conservare effectus in esse sine causis proximis; unde sicut conservat in Sacramento Altaris accidentia sine subiecto, ita potest conservare distinctionem materiae corporalis absque diversitate situs. Miraculose ergo fieri potest, quod duo corpora sint in eodem loco » (*Quodlib.* I, a. 22 c.; cf *Super Boët. de Trinit.*, lect. I, q. II, a. 3 ad 1). Inde rationem colligit, ob quam repugnat unum corpus esse in pluribus locis, uti ostendimus in *Ontol.* (p. cit.), et non item duo corpora esse in uno loco. « Esse, ait, in pluribus locis simul repugnat individuo ratione eius, quod est esse indivisum in se; sequeretur enim quod esset distinctum in situ. Sed esse cum alio corpore repugnat ei quantum ad hoc, quod est esse divisum ab alio. Ratio autem unius perficitur in indivisione; sed divisio ab aliis est de consequentibus ad rationem unius. Unde quod idem corpus sit localiter simul in diversis locis, includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione; sed duo corpora esse in eodem loco non includit contradictionem, ut ex dictis patet; et ideo non est simile » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2 *sol.* 3 ad 4). Brevius s. Bonaventura: « Ad illud, quod obiicitur, quod unum corpus non potest esse in pluribus locis; ergo nec unus locus continet duo corpora; dicendum quod non est simile, quia primum facit finitas, qua creatura non privatur per gloriam; secundum facit corpulentia, et grossities, quae auferetur per gloriam »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, p. 2, a. VI, q. 1 *ad arg.*

[2]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, *sol.* 3 c.

esse distinctum utriusque, et acquiritur utrique simul unum esse indistinctum [1] ». At vero, quoniam Deus, ut modo vidimus, effectus causarum creatarum tum quoque conservare potest, cum ipsae causae cessant, Ipse efficere virtute sua infinita potest, ut, dum duo corpora sese compenetrant, unumquodque illorum conservet *esse* suum distinctum ab *esse* alterius, licet dimensiones unius a dimensionibus alterius ratione situs amplius non distinguantur. Qua de re, cum duo corpora virtute Dei sese compenetrant, non evadunt unum corpus, sed remanent duo, quia, etsi ratione loci, quem occupant, inter se non distinguantur, tamen utrumque *esse* suum distinctum ab *esse* alterius retinet.

ARTICVLVS QVARTVS

De proprietatibus, quae ex principio activo promanant, et et primum de figura

152. Perspectis praecipuis proprietatibus, quae a principio materiali, seu passivo in corpore emergunt, duas alias, quae a principio activo, seu formali promanant, scilicet *figuram*, et *activitatem* exponamus oportet; ex multis enim proprietatibus, quae a principio formali in corpore originem ducunt, illae duae ad instituti nostri rationem potissimum pertinent.

153. Figura, quae, ut iam innuimus [2], est *qualitas in quantitate*, ita a s. Thoma definitur: « Forma quanti, in quantum huiusmodi, est figura. . . . Est enim figura, quae termino, vel terminis comprehenditur [3] »; atque alibi: « Figura, quae consistit in terminatione quantitatis, est quaedam forma circa quantitatem [4] ».

154. Figura inter proprietates, quae a principio activo, seu formali promanant, prima omnium nobis occurrit, propterea quod, « sicut quantitas, ut s. Thomas ait, propinquissime se habet ad substantiam inter alia accidentia, ita figura, quae est qualitas circa quantitatem, propinquissime se habet ad formam substantialem [5] ».

---

[1]) Id sanctus Doctor (*ibid.*) declaravit exemplo corporum mixtorum, de quibus diximus p. 216.

[2]) Cf p. 268, not. 4, et vol. I, *Log.* c. I, art. 4, p. 62.

[3]) I, q. VII, a. 3 c.

[4]) *Ibid.*, a. 1 ad 2. Idem sanctus Doctor advertit nomen figurae etiam *translate* accipi posse: « Figura dupliciter dicitur. Uno modo dicitur qualitas resultans ex terminatione quantitatis... Et quia figura alicuius rei signum ipsius ponitur, sicut patet de imaginibus, quae praecipue fiunt secundum repraesentationem figurae, inde translatum est nomen figurae, ut ponatur pro quolibet signo, quod instituitur ad aliquid significandum secundum assimilationem ad aliud »; *In lib. III Sent.*, Dist. XVI, q. II, a. 1 ad 1.

[5]) *In lib. VII Phys.*, lect. V. Dici potest etiam figuram ad utrumque principium

155. De figura corporis tria statuenda nobis esse censemus.

1° Quin omnia corpora quadam figura praedita sint, experientia, et ratio dubitare non sinunt. De experientia nihil dicere attinet, quippe quod nullum corpus certe nanciscimur non aliquo termino, vel terminis comprehensum. Ratio idem luculenter demonstrat. Nam, quoniam quidquid in natura rerum existit, est determinatum, certe magnitudo cuiuslibet corporis determinata esse debet; magnitudo autem non aliter determinata intelligi potest, quam si uno, pluribusve terminis comprehensa concipiatur. Ergo omne corpus uno, pluribusve terminis comprehendi tum ratione, tum experientia compertum est. Atqui in hac re figura corporis posita est. Ergo omne corpus aliqua figura praeditum esse experientia, et ratio commonstrant [1].

2° Indubium est figuram esse proprietatem corporis, quae a principio formali promanat. Nam materia, sicut per se indifferens est adquamlibet substantiam corpoream constituendam, ita quoque est per se indifferens ad quamlibet determinationem quantitatis, quae ab ea proxime pullulat. Hinc, si materia ad aliquam certam substantiam constituendam a principio substantiali, seu forma determinatur, ab eodem principio quantitas eius ad unum, pluresque terminos in se recipiendos etiam determinetur oportet. Atqui quantitas ex eo quod uno, pluribusve terminis comprehenditur, figuram induit. Ergo forma, quemadmodum absolvit, perficitque materiam per se ipsam, quia est actus essentialis eius; ita absolvit, perficitque quantitatem eius per figuram, quia terminum, vel terminos eius constituit.

3° Quandoquidem figura corporis a forma promanat, et forma est principium, per quod corpora ab se specie differunt, inde fit, ut figurae secundum diversas corporum species sint diversae. Id, si in corporibus vita praeditis, nempe plantis atque animalibus, maxime elucet, in corporibus vitae expertibus, hoc est, in mineralibus quoque observatur, cum a statu aëriformi, vel liquido ad solidum transeunt. Quare diversitas figurae non modo e recentibus Physicis, sed a Peripateticis quoque tutius indicium existimata est, ex quo diversae species corporum dignoscuntur. « Inter omnes qualitates, s. Thomas ait, figurae maxime consequuntur, et demonstrant species rerum. Quod maxime in plantis, et animalibus patet, in quibus nullo certiori iudicio diversitas specierum diiudicari potest, quam diversitate figurae [2] ».

156. His statutis, opus nobis est controversiam innuere, quae de

---

quodammodo pertinere, quia ipsa, si prout qualitas est, a principio substantiali, seu formali oritur, prout quantitatem determinat, ad principium potentiale, seu materiale referri etiam potest, quia quantitas, uti ostensum est, a materia dimanat.

[1]) « Figura, inquit s. Thomas, est terminatio quantitatis; unde proprie loquendo est in rebus corporeis »; III, q. LXIII, a. 2 ad 1.

[2]) *In lib. VIII Phys.*, lect. V. Cf loc. cit. p. 257. not. 2 Item: « Similitudo figurae videtur significare propinquitatem speciei, sicut ex similitudine figurae manifestatur, quod canis, et lupus sunt propinquae speciei »; III, q. LXXIV, a. 3 ad 2.

effectione crystallorum inter nuperos agitatur. Notum est *crystalla* dici corpora inanima, quae a statu aëriformi, vel liquido ad statum solidum sensim progredientia quamdam formam polyedricam induunt, atque effectionem crystallorum vocari *crystallizationem*. Iam Physici, qui corpus ex materia, et forma constitui negant, effectionem crystallorum ex sola vi attractiva molecularum repetunt. Horum sententiam p. Salv. Tongiorgius e S. I. amplectitur [1], quippe qui, ut diximus de principiis constitutivis corporis, non theoriam scholasticam de materia, et forma, sed systema chymicum tuetur. Contra ea, p. Matt. Liberatore, cum corpus ex materia, et forma constitui secundum Scholasticos sentiat, vult oportere esse in corporibus vim quamdam attractiva altiorem, ex qua crystalla efficiuntur, eamque non aliam esse posse, nisi quae a Scholasticis forma, seu principium activum corporis nuncupatum est [2].

157. Nobis, quippe qui placita Scholasticorum de constitutione corporis defendimus, non alia, quam M. Liberatore sententia, probari potest. Qua ex re, 1° dum concedimus plerisque hodiernis Physicis crystallizationem corporum attractione molecularum fieri, contendimus admittendum esse aliud principium activum, quod attractionem molecularum moderatur, efficitque, ut ipsa crystallum conficiant. Et sane, in primis vis attrahendi, qua singulae moleculae gaudent, non aliud efficere potest, nisi ut moleculae sibi invicem appropinquent, seu simpliciter congregentur. Atqui ad crystallizationem efficiendam requiritur, ut moleculae non quidem sine ullo ordine, et quasi casu, sed certo ordine, certisque legibus congregentur. Ergo crystallizatio non tam ex attractione molecularum, quam ab aliquo principio, quod illam moderatur, repetenda est. Hoc autem principium extra ipsum corpus quaerendum non est, quippe quod compertum Physicis est corpus non posse e statu aëriformi, aut liquido ad statum crystallinum transire, nisi, amota omni causa exteriori, suis viribus relinquatur.

2° Neminem latet plurimas, diversasque esse formas crystallorum, cum horum sex tipi primitivi existant [3], quorum unusquisque multis modis variare potest. Atqui attractio ex eo quod est eadem in cunctis corporibus, in causa esse non potest, cur sex specie diversae formae crystallorum existant; et quoniam quaelibet species formae pro diversitate adiunctorum infinite variatur, constantia sex illorum ty-

---

[1]) *Op. cit., Cosmol.*, lib. I, c. 4, art. 2, t. II, p. 265 sqq.

[2]) *Instit. phil. ad triennium* etc., *Met. spec.*, Pars I, c. II, art. 5, p. 487, 490; *Del Composto umano*, c. VIII, art. 5, § 3, p. 391 sqq, et p. 472 sqq.

[3]) Hi sunt *tetrahedrum*, *rombohedrum*, *octhahedrum cum basi quadrata*, *octahedrum cum basi rêctangulari*, *prisma cum basi romboidali*, et *prisma obliquum non symmetricum*. Vid. Beudant, *Mineralogia*, 2ª ed. ital., *Studio de' cristalli*, p. 11 sqq, Milano 1836.

porum per ipsam solam explicari nequit. Ergo crystallizationem ex sola attractione molecularum conficere haud possibile est. Quamobrem oportet in corporibus agnoscere aliquod principium, quod efficit, ut attractio secundum quasdam leges constanter fiat.

3° Exploratum est corpus mixtum, cum in crystallum convertitur, novam formam adquirere, quae formis corporum simplicium illud componentium nihil simile habet. Atqui illa forma progigni nequit a sola attractione molecularum, quia attractio non aliud efficere potest, quam ut moleculae coniungantur. Ergo admittendum est aliquod principium, quod formas corporum simplicium ita transmutat, ut mixtum novam formam accipiat.

4° Compertum quoque est, si substantiae generatim initio suae crystallizationis illam formam polyedricam prae se ferunt, quae postea evolvitur, et perficitur, substantias, quae fusioni, et vaporationi maxime obnoxiae sunt, initio sub forma globosa coagulari veluti utriculum vegetalem, deinde peculiarem figuram polyedricam induere. Atqui sola vis attrahendi efficere non potest, ut utriculus in rectangulum, aut romboidem, aut aliam quampiam figuram polyedricam transmutetur. Ergo, praeter attractionem, aliud principium crystallizationis admittendum est.

5° Idem, ut caetera omittamus, perspicere licet ex phaenomeno *dymorphismi*. Constat enim aliquas substantias, prout via sicca, aut humida in crystalla convertuntur, duas formas diversas induere, quae ad diversos typos spectant. Atqui haec diversitas formarum ab attractione molecularum oriri nequit, quia moleculae cuiuslibet substantiae eamdem naturam, easdemque proprietates habeant necesse est. Ergo ad crystallizationem corporum efficiendam sola attractio non suppetit, sed aliquod principium activum quoque expostulatur.

158. Quae cum ita sint, nos ex animo illis Physicis plaudimus, qui phaenomena crystallizationis ad attractionem molecularum saepe revocari non posse ingenue confessi sunt, et secundum pronuntiata peripateticae doctrinae de constitutione corporis, quam amplexi, et tuiti sumus, contendimus effectionem crystallorum non alio ex fonte repetendam esse, quam a principio substantiali, quod formam cum Scholasticis vocavimus. Et sane, in primis dubitari non potest, quin principium, per quod corpora statum crystallinum assequuntur, in ipsis corporibus inesse debeat. Nam principium, quod rem ad alicuius status adeptionem elevat, nonnisi in ipsa re naturaliter inveniri potest. Atqui principium, quod hic quaerimus, attractionem molecularum moderatur, ut corpus, quod ex ipsis constituitur, ad statum crystallinum elevetur. Ergo principium, ex quo crystallizatio corporum efficitur, in ipso corpore inesse debet. Iam huiusmodi principium non potest esse, quemadmodum adversarii volunt, extensio, seu proprietas, quae a materia pullulat. Namque extensio, cum sit proprietas materiae, destitui tur activitate, quae ad efficiendam crystallizationem expostulatur, et

cum sit eadem secundum essentiam in omnibus corporibus, causa esse nequit diversitatis formarum, quas crystalla pro diversitate substantiarum prae se ferunt. Restat igitur, ut sit forma corporis; haec enim et est fons omnis activitatis, qua corpus pollet, et principium est, quo substantiae corporeae ab se discriminantur.

ARTICVLVS QVINTVS

De corporum activitate

159. Denique de vi actuosa corporum nonnihil dicendum est. Nos alibi ostendimus adversus Malebranchium, et Leibnitium nihil repugnantiae in eo inveniri, quod corpora quadam activitate praedita sint, ob eamque alia in alia aliquid agant. Reliquum est, ut demonstremus corpora illa activitate reapse pollere, praetereaque inquiramus, quousque ipsa porrigatur.

160. Quod ad primum attinet, quotidiana, et constanti experientia edocemur corpora, positis certis conditionibus, certos effectus producere, puta ceram liquefieri, si igni admoveatur, aërem illuminari, statim ac sol oritur, aqua sitim restingui, aliaque id genus quam plurima. Atqui nihil causae est, cur huiusmodi effectus corporibus, veluti veris suis causis, denegemus, quia quemadmodum in *Ontologia* ostendimus [1], corpora aliquid in se invicem agere non repugnat. Quare s. Thomas advertit illos effectus constanter sequi, nisi quod accidens illos effectus impediat. « Ex applicatione ignis, ait, ad calefactibile semper sequitur calefactio, nisi per accidens esset aliquid impedimentum igni; quod ostendit ignem esse causam caloris per se [2] ». Corpora igitur vi actuosa pollere experientia certum est. Frustra recentes Occasionalistae illud regererent, quod ab antiquis iam obiectum fuisse a s. Thoma discimus, nempe Deum ita statuisse, « ut iste cursus servaretur in rebus, quod numquam Ipse calorem causaret, nisi apposito igne [3] »; hoc enim, tum sensui, tum rationi repugnat. Sane repugnat sensui, quia sensus non solum experitur ignem esse calidum, sed etiam calorem ignis; quod quidem experiri non posset, nisi ipsemet ignis sensationem caloris producere dicatur [4]. Rationi autem, quia in rebus naturalibus quaedam ad certos effectus producendos dispositiones insunt. Puta, in semine, et tellure aliquid est, quod ad productionem plantae; atque in cibo aliquid est, quod ad nutritionem concurrit; unde in his rebus, dum effectus producitur, quaedam fiunt reales immutationes, puta in nutritione fit physica ciborum

---

[1]) P. 146-149, et p. 159-162.
[2]) *Qq. dispp., de Pot.*, q. III, a. 7 c. Cf *Ontol.*, p. 158.
[3]) Cf s. Thom., *ibid.*
[4]) Cf vol. I, *Criteriol.*, c. I, art. 2, p. 559.

decompositio. Iamvero, « nisi res naturales aliquid agerent, frustra essent eis formae, et virtutes collatae; sicut si cultellus non incideret, frustra haberet acumen [1] ». Quod profecto infinitae Dei Sapientiae repugnare ratio ostendit; nam « contra rationem sapientiae est, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis [2] ».

161. Idem ex phaenomenis, quae in corporibus observamus, mirifice comprobatur. Lubet exemplum ab *antitypia*, seu impenetrabilitate capessere, quam ante explicuimus. Et sane, quamvis impenetrabilitas, ut paulo ante vidimus, corpori competat ratione quantitatis, quae ad principium passivum, seu materiam pertinet; tamen corpus actu impenetrabile non fit, nisi alteri corpori, quod eius locum occupare nititur, resistat. Atqui haec resistentia quaedam actio est. Ergo, quoniam omne corpus est natura sua impenetrabile, id argumento est, omne corpus esse actuosum. Idem de cunctis aliis phaenomenis corporum dicendum est. Namque nullum phaenomenum in corpore evenire potest, nisi quaedam mutatio in ipso fiat [3]. Atqui haec mutatio, cum naturalis sit, expostulat actionem alicuius causae naturalis, a qua producitur [4]. Ergo nullum phaenomenum sine aliqua activitate corporis fieri potest. Praeterea inter omnes constat 1° omni passioni respondere aliquam actionem, quia nulla substantia corporea potest aliquid pati, nisi altera in ipsam aliquid agat; 2° omni actioni respondere aliquam reactionem, quia substantia corporea actionem alterius in se excipere nequit, nisi in ipsam reagat [5]. Atqui, si res ita se habet, consequens est non posse dari substantias passivas, nisi dentur etiam activae [6], immo nisi in ipsis passivis aliqua vis agendi insit [7]. Ergo tantum abest, ut corpora natura sua passiva sint, ut omnia aliqua activitate gaudeant [8].

---

1) *Qq. dispp., De Pot.*, loc. cit.

2) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69, n. 2. Sanctus Doctor opinionem, *quae aufert rebus omnibus naturales operationes, stultam* dixit, « quia contrariatur dictis Philosophorum, et Sanctorum »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. V, a. 9 ad 4.

3) « Omnis effectus, qui in his inferioribus producitur, per aliquam generationem, vel alterationem necesse est, ut producatur »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 102.

4) « Quae (*transmutatio naturalis*) fit a proprio agente secundum ordinem naturae »; I, q. XIII, a. 2 c.

5) « In omni operatione, quae transit in rem exteriorem, requiritur aliud principium in agente, per quod est agens, et aliud principium in patiente, per quod est patiens »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 9 ad 4. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 1 ad 1.

6) « Dicendum est, quod corpus agit, secundum quod est in actu, in aliud corpus, secundum quod est in potentia »; I, q. CXV, a. 1 c. Et alibi: « Ignis, in quantum est actu calidus, agit in corpus humanum, in quantum est calidum potentia »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. V, a. 9 ad 13.

7) « Corpus componitur ex potentia, et actu, et ideo est agens, et patiens »; I, loc. cit. ad 2.

8) Cf Martin, *Philos. spirit.*, Part. II, c. 8, t. I, p. 215-217. Nemini negotium fa-

162. His accedit, quod, si corporibus omnis vis agendi denegetur, plura, eaque non levia absurda admittenda sunt. Primo, ordo rerum, ex quo systema mundanum efficitur, prorsus ruit. Rationem discito a s. Thoma. « Si autem, ait, a rebus subtrahantur actiones, subtrahitur ordo rerum ad invicem: rerum enim, quae sunt diversae secundum suas naturas, non est colligatio in ordinis unitatem, nisi per hoc quod quaedam agunt, et quaedam patiuntur [1] ». Secundo, idealismo via sternitur. Nam, si corpora omni vi actuosa destituerentur, species rerum in sensus non ab ipsis rebus, sed a Deo imprimi cum Berkeleyo, recentium Idealistarum principe, dicendum foret [2]. Contra ea, si dicatur, quemadmodum dicendum esse demonstravimus [3], species sensiles a corporibus in sensus nostros imprimi, inde fluit corpora esse actuosa [4]. Tertio, ut s. Thomas advertit, scientiae physicae tolluntur. Et sane, nos non possumus rerum naturalium scientias adquirere, nisi naturas illarum cognoscamus, quia scientia alicuius rei, ut saepe diximus, adquiritur per cognitionem principiorum, ex quibus ipsa constituitur. Atqui, si corpora non sunt actuosa, nos illorum naturas cognoscere haud possumus. Ergo opinio eorum, qui corpora omni vi actuosa destitui autumant, scientias naturales tollit. Assumptio cum laudato sancto Doctore probatur hoc modo: Inter omnes convenit nos non aliter naturas rerum posse cognoscere, quam per effectus illarum, quia non alius intellectus, nisi qui res creavit, illarum naturas *a priori* cognoscere potest. Atqui effectus non ducit ad cognitionem naturae causae, nisi ratione actionis, quae a virtute causae procedens ad effectum desinit. Ergo, si corpora non essent actuosa, haud possibile foret nos illorum naturas cognoscere [5].

---

cessat corporum inertia. Etenim haec non impedit, quominus corpora per vires a principio aliquo interno emergentes operentur, sed tantum in causa est, cur extrinseco movente opus eis sit ad illas vires exerendas. « Hoc est, ait s. Thomas, proprium corporis, ut motum moveat, et agat». (*Qq. dispp. De Pot.*, q. V, a. 8 c.). Quod si corpora *tantum agi*, et *non agere* dicuntur, id intelligendum est, monente eodem sancto Doctore, « secundum hoc, quod illud dicitur agere, quod habet dominium super actionem suam.... Per hoc tamen non excluditur, quin agant, secundum quod agere est aliquam actionem exercere »; *Qq. dispp. De Ver.*, q. V, a. 9 ad 4.

[1]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69, n. 6.

[2]) Vid. vol. I, *Criteriol.* c. I, art. 2, p. 554.

[3]) Cf *Dynam.*, c. II, art. 3, et 4, p. 244-252.

[4]) Id pervidit s. Augustinus, quippe qui advertit nos corpora sentire per actionem, quam corpora in nos exercent. « Corporalia ergo, inquit, quaecumque huic corpori ingeruntur, aut obiiciuntur extrinsecus, non in anima, sed in ipso corpore aliquid faciunt »; *De Musica*, lib. VI, c. 5, n. 9.

[5]) En praeclarum locum s. Thomae: « Si effectus non producuntur ex actione rerum creatarum, sed solum ex actione Dei, impossibile est quod per effectum manifestetur virtus alicuius causae creatae. Non enim effectus ostendit virtutem causae, nisi ratione actionis, quae a virtute procedens ad effectum terminatur. Natura autem causae non cognoscitur per effectum, nisi in quantum per ipsum cognoscitur

163. Ad alterum quod attinet, inter Philosophos disputatur, utrum corpora novas producant substantias, an dumtaxat nova accidentia in substantiis, quae iam existunt. Posteriorem sententiam, ut iam diximus, propugnarunt Atomici veteres, recentesque, et Chymici; priorem autem inter antiquos Aristoteles, eiusque Interpretes, in media aetate Scholastici, atque e recentibus omnes ii, qui usque ad hanc aetatem philosophiam aristotelico-scholasticam excoluere. Nos sententiam Aristotelis et argumento ab ipsa natura corporis, quod generari dicitur, ostendimus, et ex persuasione omnium hominum comprobavimus [1]. Lubet, cum de controversia magni momenti agatur, idem novis argumentis evincere, unaque breviter modum explicare, quo una substantia corporea alteram producere possit.

164. Argumentum huiusmodi se habet: Nos continuo conspicimus a rebus alias res ipsis similes, puta ignem ab igne, progigni; unde s. Thomas asseruit inductione inniti illud effatum, quod *omne simile producit sibi simile*. « Apparet, inquit, per inductionem in omnibus, quod simile agat suum simile [2] ». Iamvero similitudo corporis geniti cum gignente non in accidentibus, seu conditionibus individualibus, sed in substantia, seu natura maxime posita est, quia accidentia, ex quibus individuum constituitur, a causis extrinsecis variari, et mutari possunt. Ergo, si corpus gignit corpus sibi simile, unum alterius substantiam gignere dicendum est [3].

165. Praeterea, si corpora non producerent novas substantias, sed dumtaxat nova accidentia in substantiis, quae iam existunt, formae substantiales in corporibus omni actione destituerentur, quia nova accidentia, per quae corpora alterantur, ab actione formarum accidentalium producuntur. Atqui hoc, uti s. Thomas praeclare monuit, est prorsus absurdum. Nam, quoniam operatio τὸ *esse* rei consequitur, necesse est, ut forma, quo perfectior est, eo maiori activitate gaudeat.

---

virtus eius, quae naturam consequitur. Si igitur res creatae non habent actiones ad producendum effectus, sequitur quod nunquam natura alicuius rei creatae poterit cognosci per effectum; et sic subtrahitur nobis omnis cognitio scientiae naturalis, in qua praecipue demonstrationes per effectum sumuntur »; *Contr. Gent.*, loc. cit., n. 7.

[1]) Pag. 242-243.

[2]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69, n. 8. Alibi: « Agens intendit reducere patiens de potentia in actum suae similitudinis, quantumcumque potest »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 2 *sol.*

[3]) « Generare, ait s. Bonaventura, de sui propria ratione est similem sibi in substantia, et natura producere » (*In lib. I Sent.*, Dist. XIX, a. 1, q. I, *resol.*). Cum quo consentit s. Thomas: « In creaturis aliquid producitur per potentiam naturalem, et hoc producitur per similitudinem naturae ipsius producentis, sicut homo generat hominem » (*In lib. I Sent.*, Dist. VII, q. I, a. 1, *sol.*). Clarius alibi: « Non oportet, quod genitum similetur generanti, quantum ad conditiones individuales, sed quantum ad naturam speciei »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. II, a. 2 ad 5. Cf *ibid.*, q. IX, a. 5 ad 18.

Atqui forma substantialis perfectior est forma accidentali, quippe illa efficit, ut res *actu* sit, haec autem, ut res, quae actu iam est, quodam modo immutetur. Ergo vis activa formis substantialibus potiori iure, quam accidentalibus, tribuenda est. Iam, quoniam res, quae secundum suam substantiam operatur, novam substantiam progignit, corpora posse non solum nova accidentia substantiis, quae existunt, sed etiam novas substantias producere dicenda sunt [1].

166. Quomodo autem una substantia corporea aliam sibi similem gignere possit, haud difficile est intelligere, si animo reputetur vires activas corporis non esse causas principales effectuum, quos corpus producit, sed tantum instrumentum formae substantialis, quippe quod haec, ut diximus, omnium virium corporis principium, et fons est. Ita calor, quo ignis in lignum agit, non est causa, quae efficit, ut lignum in ignem transmutetur, sed est instrumentum, quo ignis lignum in ignem convertit [2]. Iamvero instrumentum, quo causa principalis ad effectum producendum utitur, quemadmodum s. Thomas monuit, non eo spectat, ut effectum assimilet suae naturae, sed naturae causae principalis, quia ab hac omnem virtutem agendi sumit [3]. Ita vires activae, quae corpus exerit, cum in aliud agit, non assimilant hoc corpus sibi, sed naturae corporis sui, quatenus destruunt formam corporis, in quod exeruntur, atque in materia novam formam similem formae corporis sui producunt. Quod cum sit substantiam corpoream sibi similem generare, facile intelligitur, quomodo una substantia corporea alteram producere possit [4].

---

[1]) « Si agere sequitur ad esse in actu, inconveniens est, quod actus perfectior actione destituatur. Perfectior autem actus est forma substantialis, quam accidentalis. Si igitur formae accidentales, quae sunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem eiusmodi actio disponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formae accidentales. Igitur forma substantialis generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum » (*Contr. Gent.*, lib. III, c. 69, n. 9). Hoc quidem *principium actionis* intelligi potest, vel prout generans est « causa ipsius formae, sicut accidit in omnibus formis materialibus », de quibus in praesentia agimus, vel « sicuti in anima rationali », prout « generans est causa unionis talis formae ad materiam per hoc quod disponit materiam ad formam », quin « sit causa ipsius formae » (*Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 9 ad 6). Hinc idem sanctus Doctor illud sancit: « Corpus agit et ad formam accidentalem, et ad formam substantialem »; (I, q. CXV, a. 1 ad 5). « Non potest intelligi, alibi ait, quod aliquid sit agens, nisi aliquid in effectu suo faciat, vel formam aliquam inducat, vel substantialem, vel accidentalem »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXVI, q. I, a. 1 ad 4.

[2]) « Calor, ait s. Thomas, agit ad formam ignis, quasi instrumentaliter in virtute formae substantialis »; I, q. LXVII, a. 3 ad 3.

[3]) Cf *Ontol.*, p. 163.

[4]) Audiatur sanctus Doctor: « Omne, quod agit virtute alterius, facit simile ei, in cuius virtute agit; sicut serra facit domum ex virtute domus, quae est in anima, et calor naturalis generat carnem animatam ex virtute animae; et per hunc etiam mo-

ARTICVLVS SEXTVS

Quid de proprietatibus primariis, et secundariis dicendum sit, definitur

167. Exploratis praecipuis proprietatibus corporis, necesse est, ut controversias de celebri illarum divisione in *primarias*, et *secundarias* breviter dicamus.

Principio, proprietates primarias esse reales, sive tales in corporibus, quales a nobis cognoscuntur, certum nobis est. Hoc evincere nobis licet tum demonstratione directa, tum demonstratione indirecta. Prior huc redit: Omnes qualitates primariae aliquid denotant, quo extensio in corpore determinatur; quia cum quantitas, tum figura, tum situs, tum denique motus extensionem exhibent diversis modis determinatam. Atqui extensio in corpore, uti ostendimus, est realis, hoc est, talis, qualis a nobis cognoscitur. Ergo qualitates primariae quoque sunt reales, nempe tales, quales a nobis cognoscuntur. Altera autem in eo posita est, quod si negetur qualitates primarias esse reales, idealismus, sive, quod idem valet, scepticismus circa scientias rerum naturalium admittendus est. Galluppius, ut vidimus, id negavit; sed perperam. Nam, si cunctae proprietates corporis, cum quae secundariae, tum quae primariae dicuntur, non sunt tales in corporibus, quales a nobis cognoscuntur, inde concludendum est, nos naturas corporum ignorare, propterea quod nos, uti ante innuimus, naturam corporis nonnisi ex eius proprietatibus cognoscere possumus. Atqui hoc non aliud est, quam quod profitetur idealismus Berkeleyi,

---

dum per virtutem qualitatum elementarium transmutatur materia ad formas substantiales » (***De sensu, et sensato***, lect. X.). Ex quo etiam, eodem Aquinate monente, intelligitur, quomodo ex illis viribus activis, quae accidentia sunt, non accidens, sed ipsa forma substantialis producatur. Etenim « illae formae accidentales, sicut causantur a forma substantiali, quae simul cum materia est causa omnium propriorum accidentium, ita agunt virtute formae substantialis. Quod autem agit in virtute alterius, producit effectum similem non sibi tantum, sed magis ei, in cuius virtute agit . . . ; ex quo sequitur quod ex actione formarum accidentalium producantur formae substantiales, in quantum agunt in virtute substantialium formarum » (***Contr. Gent.***, lib. III, c. 69). Et alibi: « Qualitas activa, ut calor, etsi sit accidens, agit tamen in virtute formae substantialis, sicut eius instrumentum: et ideo potest agere ad formam substantialem; sicut et calor naturalis, inquantum est instrumentum animae, agit ad generationem carnis: ad accidens vero agit propria virtute. Nec est contra rationem accidentis, quod excedat suum subiectum in agendo, sed quod excedat in essendo »; I, q. CXV, a. 1 ad 5.

quodque de cognitione corporum scepticismus vetus, et novus decernit. Ergo, si qualitates corporis non modo secundarias, sed etiam primarias esse reales negetur, idealismus Berkeleyi, sive scepticismus circa scientias rerum naturalium admittendus est.

168. Quod vero ad qualitates secundarias attinet, in antecessum duo advertamus oportet. 1° Quaestio de divisione proprietatum in primarias, et secundarias non in eo, ut Buffierius, et Reidius putarunt [1], vertitur, utrum, necne corpora in se experiantur sensationes qualitatum secundariarum, sed in eo, num aliquid in corporibus revera sit simile sensui cuiusque qualitatis secundariae. 2° Aërem illi Philosophi verberarunt, qui Cartesii, Malebranchii, et Lockii theoriam evertere volentes, demonstrarunt, etsi qualitates secundariae non sint tales in corporibus, quales in nobis experimur, esse tamen quidquam reale in ipsis, sive realem aptitudinem, quae illarum sensationes in nobis pro-

---

[1]) Buffierius (*Seconde logique*, art. 17, *Cours des sciences sur des principes nouveaux, et simples*, p. 819, Paris 1732), et Reidius (*Recherches sur l'entend. hum.*, c. VI, sect. V; *Oeuvr.* ed. cit., t. II, p. 158 sqq) asseruerunt 1° Cartesium, Malebranchium, et Lockium, cum negarunt colorem, saporem, aliasque qualitates secundarias esse reales in corporibus, non aliud sibi voluisse, quam quod corpora non experiuntur huiusmodi sensationes, quemadmodum nos ipsas experimur; 2° ipsos vulgus, et Philosophos, qui vulgus hac in re sequuntur, ex eo reprehendisse, quod corpora eiusmodi in se sensationes saporis, odoris, coloris, aliasque id genus in se experiri stulte sibi persuaderent. Iamvero ipsi contendunt 1° non modo nullum Philosophum, sed ne ullum quidem mortalem in hac sententia fuisse, quod corpora colorem, saporem, odorem, aliasque huiusmodi qualitates in se ipsis experiuntur; 2° dissidium inter laudatos Philosophos, et vulgus a mera vocum aequivocatione originem duxisse. Quod ut evincant, observant quamlibet vocem, qua qualitas secundaria denotatur, significare tum sensum illius qualitatis, quem in nobis experimur, tum id, quod illum sensum in nobis producit; puta nos non solum dicimus experiri dulcedinem mellis, verum etiam dicimus mel esse dulce, hoc est, esse in melle dulcedinem. Iam ex eo hoc factum esse volunt, ut Cartesius, eiusque sectatores, eo quod voces illas priori sensu accipiebant, assererent qualitates secundarias non esse aliud, quam sensationes animi nostri, et vulgus, quoniam eisdem vocibus posteriorem sensum tribuebat, qualitates secundarias esse reales in corporibus putaret. Verum ambae huius assertionis partes sunt reiiciendae. Et primo voces, quibus qualitates secundariae significantur, puta saporis, coloris, odoris, aliaeque, non sunt aequivocae; hae enim, «revera, ut nuperi Philosophi verbis utamur, obiecti solummodo qualitatem significant. Sic dicimus hunc, vel illum in corpore esse *colorem*, ac in nobis esse *coloris visionem*; tubam *spargere sonum*, ac nos *sonum audire*; mel *esse dulce*, ac nos *dulcedinem* gustare. Numquam vero dicentem audies se habere sonum, aut colorem, quia sonum audit, coloremque perspicit, neminemque reperies, qui manum, qua durum corpus contrectat, duram dicat, aut nares, quae odore percelluntur, odoras praedicet» (Tongiorgi, *Op. cit.*, *Cosmol.*, lib. 1, c. 6, art. 1, § 202, t. II, p. 298). Secundo, Cartesius, aliique post eum, ut mox videbimus, non negarunt qualitates secundarias esse reales eo quod corpora ipsas in se non experiuntur, sed eo quod in ipsis nihil est, quod sensationibus nostris simile sit.

ducit; hoc enim nec Cartesius [1], nec Malebranchius [2], nec Lockius [3], nec ullus eorum, qui eis hac in re adstipulati sunt, unquam negavit.

169. Iam, ut haec quaestio, eo, qua a nobis proposita est, modo recte solvi possit, advertamus oportet 1° in qualibet sensatione impressionem, quam res obiecta in nobis producit, seu immutationem corporis, ut diximus [4], distinguendam esse ab apprehensione sensibili, seu ab actione, qua sensus rem obiectam apprehendunt; 2° qualitates secundarias posse spectari vel *absolute*, hoc est, prout sunt in se ipsis, atque ab omni actione, quam in organa corporis exercent, abstrahuntur, vel *relative*, hoc est, prout actionem in organa corporis exercent. Quae cum ita sint, quaestio, quae primo aspectu unica esse videri poterat, multiplex evadit; quaerendum enim nobis est 1° num sit aliqua similitudo inter qualitates secundarias, et impressionem, quam in organa sensoria ipsae producunt; 2° num qualitates secundariae absolute spectatae sint similes apprehensioni sensibili; 3° utrum similes ei sint relative spectatae.

170. Quod ad primum attinet, manifestum nobis videtur quamdam similitudinem existere inter qualitates absolute spectatas, et impressionem, quam ipsae in organa sensoria producunt [5]. Enimvero compertum est qualitates secundarias a corpore animali excipi eo modo,

---

1) « Cum vero putamus nos percipere colores in obiectis, etsi revera nesciamus, quidnam sit, quod tunc nomine coloris appellamus, nec ullam similitudinem intelligere possimus inter colorem, quem supponimus esse in obiectis, et illum, quem experimur esse in sensu, quia tamen hoc ipsum non advertimus, et multa alia sunt, ut magnitudo, figura, numerus etc., quae clare percipimus non aliter a nobis sentiri, vel intelligi, quam ut sunt, aut saltem esse possunt in obiectis, facile in eum errorem delabimur, ut iudicemus id, quod in obiectis vocamus colorem, esse quid omnino simile colori, quem sentimus, atque ita ut id, quod nullo modo percipimus, a nobis clare percipi arbitraremur »; ***Princ. phil.***, Pars II, Amstelodami 1650.

2) ***De inquir. verit.***, lib. VI, Pars II, c. 2, t. II, p. 34 sqq, ex quo haec pauca satis sint: « Si per calorem, colorem, saporem intelligas talem, vel talem motum partium sensibilium, ignis quidem est calidus, erba viridis, saccharum dulce. At, si per calorem, et caeteras qualitates intelligas id quod sentio prope ignem, id quod video, dum video herbam etc., certe ignis non est calidus, nec herba viridis etc., nam calor, quem sentimus, et colores, quos videmus, sunt in sola mente, ut primo Libro probatum est. Cum autem homines existiment id quod sentiunt idem esse ac id, quod est in re obiecta, credunt se merito iudicare de qualitatibus rerum obiectarum per sensationes, quas earum occasione habent ».

3) Hic, ceteris missis, dixit qualitates secundarias in corporibus reapse non esse aliud, nisi potentiam producendi, mediis proprietatibus primariis, diversas sensationes in nobis; ***Essai*** etc., lib. II, c. 8, § 10, t. I, p. 258 et 259.

4) Vol. I, ***Dynam.***, c. II, art. 5, p. 252.

5) « Organum (*immutatione naturali*) disponitur eadem qualitate naturali, qua disponitur res extra animam, quae agit in ipsum, sicut cum manus fit calida, et adusta ex tactu rei calidae, et odorifera ex tactu rei odoriferae »; ***In lib. IV Sent.*** Dist. XLIV, q. II, a. 1 *sol.* 3 c.

quo a corporibus inanimis excipiuntur, cum ab uno ad aliud transmittuntur. Ut hoc nonnullis exemplis illustremus, nemo certe negabit caloricum in corpore animali esse, si materialiter consideretur, id ipsum, quod est in quolibet corpore inanimo[1]. Re vera, cum manum igni admovemus, procul dubio et calorem in ipsa sentimus, ipsamque, si altera manu tangamus, calidam experimur, perinde ac calidum experimur lignum, aut ferrum eidem actioni ignis subiectum. Quod quidem certo argumento est, manum ea qualitate ornari, cuius gratia corpora calida vocantur. Item, cum motus aetheris luminosi retinam oculi immutat, in ea imagines rerum, quae ipsi obiiciuntur, pingit omnino illis similes, quas in camera obscura eodem modo praeparata pingeret. Ita quoque motus vibratorius aëris in tympano aurium non alio modo efficitur, quam quo in chorda ad unum sonum tensa. Quod si sapores, odores, aliasque nonnullas qualitates, quae per contactum materiae cum organis sensoriis producuntur, expendamus, hae quoque cum impressionibus, quas in organis sensoriis efficiunt, illam ipsam similitudinem habeant necesse est, quae, secundum doctrinam s. Thomae [2], inter causam, et effectum necessario existere debet.

171. Ad alterum caput controversiae quod attinet, adeo perspicuum est non posse *ullam similitudinem naturae* esse inter qualitates secundarias absolute spectatas, et apprehensiones sensibiles, ut nulla demonstratione opus sit. Nam qualitates secundariae, prout in corporibus sunt, quaecumque sint, nonnisi corporeae esse possunt, quia quidquid afficit corpus, corporeum sit oportet; verum apprehensiones sensibiles, utpote quae sunt affectiones subiecti immaterialis et incorporei, immaterialis et incorporeae necessario sunt. Hinc tanta dissimilitudo inter utrasque existere debet, quanta inter corporeum, et incorporeum existat oportet [3]. At, si inter qualitates secundarias

---

[1]) « Corpora immutantur per qualitates sensibiles... naturaliter »; *ibid.* ad 2.

[2]) Audiatur D. Thomas: « Effectus... in quibusdam est idem secundum speciem, et ista dicuntur agentia univoca, sicut calor est in igne calefaciente. In quibusdam vero est idem secundum proportionem, sive analogiam, sicut cum sol calefacit. Est enim in sole aliquid, quod ita facit cum calefacientem, sicut calor facit ignem calidum, et secundum hoc calor dicitur esse in sole aequivoce » (*In lib. IV Sent.*, Dist. 1, q. 1, a. 4 *sol.* 4, c.). Et rursus (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 2): «Ex actione qualitatum elementarium sequitur aliquid dupliciter. Uno modo ex ipsis secundum se, sicut sapor et odor, durum et molle, et aliae, quae determinantur in IV *Metheor.* c. 11 et sqq »; cf *Contr. Gent.*, lib. 1, c. 31. Consuli de his potest P. Romano, *Op. cit.*, *Delle facoltà dell'anima*, Part. I, c. 6, § 91, et 92, t. I, p. 99-101, et *Cosmol.*, Part. I, c. 4, § 52, t. IV, p. 78-80.

[3]) « Organa sentiendi immutantur a rebus, quae sunt extra animam dupliciter. Uno modo immutatione naturali. . . Alio modo immutatione spirituali... Prima ergo receptio non causat sensum per se loquendo, quia sensus est susceptivus specierum in materia praeter materiam, idest, praeter esse materiale, quod habebant extra animam; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 1, *sol.* 3 c. Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 3, p. 246.

absolute spectatas, et apprehensiones sensiles similitudinem naturae existere repugnat, existere potest, immo existit *similitudo repraesentationis*; quia, cum qualitates secundariae ad apprehensionem sui in anima, tamquam causae efficientes concurrant, hae ad illas necessario referuntur, illasque repraesentare debent [1].

172. Ex quibus duo colligere licet, quae ad hanc controversiam declarandam magni momenti sunt. Primum est, qualitates sensiles, prout in animo nostro ipsas experimur, si non sunt actu, *certe* esse, ut Aristoteles docuit [2], *potentia* in corporibus, ad quae referuntur, quia in eis est aliquid, quod vim, facultatemque illas in corpore animali producendi habet [3].

173. Alterum est, sensationes, quamvis affectiones animi nostri sint, tamen non esse dumtaxat aliquid subiectivum, uti Berkeleyus, et Humius voluere, sed etiam obiectivum, quia in rebus obiectis aliquid re vera est, quod eis respondet, et quod ipsarum causa est [4]. Hinc Aristoteles de antiquis Physiologis, seu Scrutatoribus naturae disserens, qui non esse ullos colores sine visu, nec ullos sapores sine gustu docebant, dixit eos partim recte, partim non recte censuisse, quia colores, aliasque huiusmodi qualitates in corporibus quodammodo, seu *actu* (κατ' ἐνέργειαν) non sunt, et quodammodo, seu *potentia* (κατὰ δύναμιν) sunt [5].

174. Denique qualitates secundarias, si relatae ad sensus spectentur, esse perceptionibus sensilibus similes certum est. Nam, cum sensus ad species rerum sensilium in se recipiendas natura sua destinentur, istae tales in eis esse debent, quales a corporibus in sese recipiunt. Atqui perceptiones sensiles, ut diximus, per species sensiles in anima fiunt. Ergo inter qualitates sensiles corporum relative spectatas, et perceptiones sensiles similitudo existit. Ad hoc facilius intelligendum iuvat memoria repetere id, quod alibi statuimus [6], scilicet sensum, et sensile in actu sensationis unum, idemque fieri, quia obiectum in actu sensationis per speciem sensilem, quae illud repraesentat, in sensu constituitur. Iam, si sensus, et sensile fiunt unum in actu sensationis, necesse est, ut qualitates secundariae obiecti sensilis, seu corporis, sint similes apprehensionibus sensuum, quarum illae obiectum sunt.

---

[1]) « Est quaedam assimilatio secundum convenientiam in natura..., sed haec non est illa, quae requiritur ad scientiam. Est etiam quaedam assimilatio per informationem, quae requiritur ad cognitionem, sicut visus assimilatur colori, cuius specie informatur pupilla »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, q. III, a. 1 ad 4. Cf *Dynam.*, ibid., p. 248, et 249.

[2]) *De Anim.*, lib. III, c. 2, § 8.

[3]) « Color, inquit s. Thomas, debetur corpori ex natura suarum partium » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 4 *sol.* 1 ad 3). Atque : « Omne corpus est tangibile, quod habet qualitates, quibus natus est immutari sensus tactus » (*Ibid.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, *sol.* 6 c.).

[4]) Cf *Dynam.*, ibid., art. 5, p. 255, et *Criteriol.* c. I, art. 2, p. 562.

[5]) *Op. cit.*, ibid.

[6]) *Dynam.*, ibid. art. 3, p. 248, et 249.

175. Obii. Subiectivistae : Sensationes sunt affectiones animae. Atqui affectiones animae qualitatibus corporis, quaecumque sint, similes esse non possunt, quia illae sunt incorporeae, hae autem corporeae. Ergo nulla similitudo inter qualitates secundarias, et sensationes inveniri potest.

176. Resp. *Dist. mai*: sunt affectiones animae *subiectivae*, *neg. mai.*; *obiectivae*, *conc. mai. Dist.* etiam *min.*: non possunt esse *similes natura*, *conc. min.*; *repraesentatione*, *neg. min. Neg. cons.* Responsio declaratione non eget. Nos enim suis locis ostendimus 1° sensationes, etsi sint affectiones subiecti sentientis, obiectum tamen reale habere, quia, cum a rebus obiectis in animo efficiantur, ad has necessario referuntur [1]; 2° nihil prohibere, quin affectiones incorporeae animae qualitates corporeas rerum, quae sensibus obiiciuntur, repraesentent [2]; unde illas istis, si natura, certe repraesentatione similes esse haud repugnant.

177. Obii. alii: Experientia compertum cuique est corpora in tenebris coloribus destitui. Atqui hoc evenire non posset, si colores revera in corporibus inessent. Ergo saltem illae qualitates secundariae, quae colores vocantur, non sunt revera in corporibus.

178. Resp. *Dist. mai.*: corpora *luminosa*, seu *lucida*, *neg. mai.*; corpora *illuminata*, hoc est, quae lumen a corporibus lucidis mutuantur, *trans. mai.*; *neg. min.*; *Neg. cons.* Et sane, difficultas, si quid probaret, certe non aliud probaret, quam in corporibus illuminatis colores non inveniri; sed non evinceret colores in nullis corporibus inveniri, quia sunt corpora, quae lucem natura sua habent, eamque cum corporibus opacis communicant. At colores non inveniri in corporibus illuminatis negandum quoque est, quippe quod lux a corporibus illuminatis in oculos nostros reflecti non posset, nisi colores in ipsis iam produxisset [3].

179. Obii. Lockius : Si qualitates secundariae essent in corporibus, aliqua similitudo inter dolorem, quem ex punctura acus sentimus, et motum acus carnem penetrantis existere deberet. Aqui haec similitudo nulla est. Ergo etc.

180. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Dolor, quem ex punctura acus sentimus, ut recte Tongiorgius advertit [4], non est sensatio, quae acum, eiusque motum repraesentat, sed eius effectus. Et sane, sensatio, quae acum, eiusque motum repraesentat, est tactus, quia

---

[1]) Cf *Dynam.*, c. II, art. 5, p. 253, et *Criteriol.* c. I, art. 2, p. 555 sqq.

[2]) Cf *Dynam.*, ibid., art. 3, p. 248-249.

[3]) « Lux, ait s. Bonaventura, dicitur esse de compositione coloris, tamquam principium effectivum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XIII, a. 11, q. 2 *ad arg.*

[4]) *Op. cit.*, ibid., § 207, p. 301. Quod adverterat s.Thomas: « Dolor est in sensu tactus ut in apprehendente » (*Qq. dispp., de Ver.*, q. XXVI, a. 3 ad 9); et rursus: « Dolor exterior sequitur apprehensionem sensus, et specialiter tactus » (1ª 2ae, q. XXXV, a. 7 c.).

hic figuram, et acumen acus, eiusque motum in carne progredientem exhibet. Hanc autem sensationem tactilem esse obiecto quodammodo consentaneam ex dictis facile intelligi potest.

CAPVT TERTIVM

De vegetabilibus

181. Postquam corporum vita carentium naturam, et proprietates exploravimus, propositi nostri ratio expostulat, ut de corporibus viventibus, seu *animatis*, disseramus. Ab iis, in quibus infimus gradus vitae viget, hoc est, a vegetabilibus, seu plantis, ordiamur. Cui tractationi ut opportunum ordinem adhibeamus, quaeremus 1° utrum vita insit plantis; 2° si vitam plantis inesse invenerimus, cuiusnam speciei illa sit; 3° quaenam sint operationes vitae vegetativae; 4° quae sit vera definitio vitae vegetativae.

ARTICVLVS PRIMVS

Variae sententiae Philosophorum de vita vegetabilium excutiuntur

182. De vegetabilium, seu plantarum, natura veteres, recentioresque Philosophi mirifice dissident. Sunt enim, qui plantis vitam, sive animam, inesse volunt; sunt et qui vita, sive anima, eas carere putant.

183. Ii, qui animam plantis concedunt, in tres diversas sententias scinduntur; alii enim plantis animam, seu vitam rationalem, alii sensitivam quidem, sed ratione carentem, alii denique animam sensus, perinde ac rationis, expertem, et dumtaxat vegetantem concedunt. Prima sententia ab Anaxagora, Empedocle, et Democrito propugnata fuit [1]; atque in primis Ecclesiae saeculis adeo exaggerata est a Manichaeis, ut quisquis folium, fructumque decerperet, homicidium committere eis videretur [2]. Multo plures his sectatores altera sententia

[1]) Cf Arist., *De plantis*, lib. I, c. 2, ed. Didot. Num hocce opusculum, quod in cunctis aristoteleorum operum editionibus usque ad hanc diem evulgatum est, sit, necne genuinus foetus Stagiritae, non pauci eruditi dubitarunt. Nuper illud esse opus Nicolai Damasceni non contemnendis argumentis Mejer probavit in nova sua illius editione, quam hoc titulo ornavit: *Nic. Damasceni de plantis* libb. duo, Lipsiae 1841.

[2]) Cf s. August. *De morib. Manich.*, lib. II, c. 17, et *De quant. anim.*, c. 3. His accenseri possent 1° omnes illi veteres, et perpauci recentes, qui, cum mundum divino spiritu animari putarent, quotquot sunt corpora, quae in mundo conspiciuntur, esse quasdam illius divinae substantiae particulas autumarunt. 2° Omnes auctores, fautoresque *metempsychosis*, qui animam ex effoeto morientis hominis corpore in novum corpus humanum, aut in aliquam plantam, veluti ex uno carcere in alium, sese recipere senserunt.

nacta est. Namque inter antiquos Plato, quem alii secuti sunt, censuit plantas vim sentiendi habere, ideoque voluptatis, et doloris sensum experiri [1]. Inter recentes in Platonis sententiam post Campanellam, et Cesalpinium [2] haud latenter Leibnitius propendit [3], sed eam acerrime propugnavit Robinetus [4]. E nuperis Tracyus de hac re dubitare visus est, sed tandem statuit nullum argumentum nobis suppetere, quod sensum plantis negare nos cogat [5]. Sed sine ulla ambage huic opinioni adhaeserunt Bichatus [6], aliique [7]. Tertiae denique sententiae auctor fuit Aristoteles [8], cui, praeter antiquos Peripateticos, omnes Scholastici cum mediae, tum recentis aetatis adhaeserunt.

184. Eorum vero, qui secundum Epicureos, et Stoicos [9] in antiqua aetate, et Cartesium in recenti nullam plantis animam inesse pugnant, motus, et effectus plantarum alii ex sole partium textura repetunt, ut non alio discrimine plantae a ceteris corporibus, quam meliori, et nobiliori partium ordine, distinguantur [10], alii autem per vires physicas, et chymicas fieri arbitrantur. Nuperrime p. Tongiorgius peculiares vires in plantis agnovit, quae nec mechanicae, nec chymicae sunt, sed resultant ex harum combinationibus, prout sub conditionibus organismi operantur [11].

185. Ut de de diversis hisce Philosophorum sententiis iudicium ex ordine feramus, principio vitam, seu animam, plantis inesse demonstremus oportet. Id probare e re erit tum argumentis *directis*, hoc est, quae aliquam animam inesse vegetabilibus ostendunt, tum *indi-*

---

[1]) Cf Arist. *Op. cit.*, c. I; Plut. *De placit. Philos.*, lib. V, c. 26; Theod., *De curandis Graecorum affectionibus*, Serm. V, ed. cit. Lubet prae ceteris audire Clem. Alex.: « Plato enim plantas quoque vocat animalia, ut quae solam tertiam animae speciem, nempe eam, quae concupiscit, participent »; *Strom.* lib. VIII, c. 4.

[2]) Campanella, *De sensu rerum*, lib. III, c. 14, ed. cit.; Cesalpini, *De plantis*, Florentiae 1583.

[3]) *Lettre* IV *à Mr Bourget*; *Opp. phil.*, p. 732, ed. Erdm.

[4]) *De la nature*, part. VII, c. 5, Amsterd., 1761-1768.

[5]) *Elemens d'Idéalog.*, part. I, c. 2, ed. cit.

[6]) Bichat, *Recherches philosophiques sur la vie, et la mort*, part. I, art. 7, § 3, p. 79, Paris 1805, et *Anatomie générale*, p. 5, Paris 1818.

[7]) Tiedemann, *Traité de Physiol. génér., et comp.*, p. 783, Paris 1834; Treviranus, *Biologia* (germ.), t. V, p. 234, Gotting. 1802; Mueller, *Manuel de Physiol.*, t. I, p. 36, Paris 1851 etc. Payen vero, et Mirbel contendunt quodlibet vegetabile esse aggregationem innumerarum bestiolarum, quae microscopio tantum videri possunt, de quibus vid. Rosminium, *Psicologia*, lib. IV, c. 15, art. 5, p. 266, t. I, Novara 1846.

[8]) *De anim.*, lib. I, c. 5, § 27, et lib. II, c. 3, § 2, et 7, ed. Didot. Cf *De plantis*, lib. I, c. 2.

[9]) Cf Plut., et Clem. Alex., ll. citt.

[10]) Praesertim Lamarck, *Philosophie zoologique*, t. I, p. 93, Paris 1809, et *Histoire naturelle des animaux sans vertèbres*, t. I, Introd., p. 85, ed. 2, Paris 1835.

[11]) *Op. cit.*, *Psych.*, lib. I, c. 2, art. 3, § 41, 47, t. III, p. 71 sqq, ed. cit.

rectis, hoc est, quae sententias denegantium vegetabilibus animam refellunt.

186. Priorum duo afferemus, quae nobis a B. Alberto M.[1] suppeditant. Primum est huiusmodi: Vita, seu anima in universum iis convenire dicenda est, quae se ipsa ad operandum movent. Atqui huiusmodi sunt plantae, quippe quae, ut inferius videbimus, atque ipsimet adversarii non diffitentur, et succum attrahunt, quo nutriuntur, et augescunt, et folia, fructus, aliasque plantas sibi similes edunt. Ergo vita, seu anima in universum plantis inesse dicenda est [2]. Alterum huc redit: Plantae sunt corpora, quae ex pluribus, diversisque organis conflantur. Atqui principium substantiale corporum organicorum natura sua efficere debet, ut corpora se ex se ipsis moveant, alioquin organa frustranea essent. Ergo principium, quod plantis inest, illud esse debet, quod anima vocatur [3].

187. Si non magis valida, certe magis clara, atque ad vulgi captum

---

[1]) Hic de re botanica optime meritus est in suo opere *De vegetabilibus, et plantis* libri VII, *Opp.* ed. Jammy, t. V, Lugduni 1651. Inter eos, qui peritiam Alberti M. in hac re laudarunt, satis est nominare Schneider, *Scriptores rei rusticae veteres latini*, t. IV, Lipsiae 1794, Humboldt, apud Mejer, *Albert. M., seu Appendix ad historiam botanicae* (germ.), in *Linnaea*, vol. XI, p. 647, Halis 1837; De Blainville, *Histoire des sciences d'organisation*, t. II, p. 89, Paris 1845; Choulant, *Meritum Alb. M. in scientias naturales historice, et bibliographice consideratum* (germ.), in *Janus*, Uratislaviae 1845; Pouchet, *Albert le Grand et son époque*, c. 5, p. 297 sqq, Paris 1853. Non defuere inter nuperos, qui B. Albertum in re botanica omnino rudem fuisse senserunt, inter eosque in primis nominandi sunt Sprengel (*Historia rei herbariae*, t. I, p. 280 sqq, Amstelod. 1807), et Haller (*Bibliotheca botanica*, t. I, p. 224, Tuguri 1771); verum Mejer (*App.* cit. t. X, p. 650) illos egregie confutavit, deceptosque fuisse ex supposito opere Alberti *De virtutibus herbarum* luculenter ostendit.

[2]) « . . . Omne quod per se ipsum movet aliquo motu corpus, in quo est, anima est; principium autem, quod plantis inest, per seipsum movet corpus nutriendo, et augendo, et generando; oportet igitur illud principium esse animam » (*De plantis*, lib. I, tract. I, c. 9). Brevius s. Thomas: « Omne animatum aliquo modo movet seipsum, et talis est operatio animae vegetabilis » (I, q. LXXVIII, a. 1 c.). Hi Doctores secuti sunt s. Augustinum de hac re ita disserentem: « Moventur et arbusta, non tantum vi extrinsecus impellente, veluti cum ventis agitantur; sed illo motu, quo intrinsecus agitur quidquid ad incrementum speciemque arboris pertinet, quo ducitur succus in radicem, vertiturque in ea, quibus constat herbae natura, vel ligni; nihil enim horum sine interno motu »; *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 16, n. 22.

[3]) « . . . Omne principium formale utens corpore diversificato in organis est anima; principium autem formale plantarum tali utitur corpore: propter quod in ipso sunt radices ori similes, et stipites, et rami, et cetera organa diversa officia habentia; ergo principium illud est anima » (loc. cit.). Et s. Thomas: « Videmus quod igni conveniunt diversae operationes secundum diversa accidentia, sed tamen quaelibet harum operationum competit igni secundum quamlibet partem eius. In corporibus vero animatis, quae habent nobiliores formas, diversis operationibus deputantur diversae partes; sicut in plantis alia est operatio radicis, alia rami, et stipitis »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 9 c. Cf *ibid.*, q. un. *De Sp. creat.*, a. 2 c.

accommodata sunt argumenta indirecta. Atque in primis leges, secundum quas vegetabilia constituuntur, et operantur, uti ab initio huius tractationis diximus [1], ab iis differunt, quae constitutionem, operationesque corporum haud viventium, sive, ut aiunt, naturae mortuae moderantur. Atqui diversitas legum, quae ad constitutionem, et operationes entium pertinent, diversitatem principiorum specificam, sive, ut recentes aiunt, *qualitativam* arguunt. Ergo principium, per quod vegetabilia constituuntur, ac operantur, esse nequeunt sive leges mechanicae, sive vires chymicae, ex quibus corpora non viventia essentiam, et operationes sumere Mechanici, et Chymici volunt. Re vera, ut id contra Chymicos, quorum opinio hodie magis viget, exemplis declaremus, in vegetabilibus observantur perennis circuitus humoris, assimilatio succorum, quibus plantae nutriuntur, et augescunt, aliisque omissis, in primis reproductio, quas nobiliores Physici, et maxime nuperi per vires physicas, et chymicas nullo modo explicari posse ingenue fatentur. Hinc scite s. Thomas: « Vivere attribuitur animae vegetabili, quia in actibus eius primo apparet vita [2] ». Vanum porro est effugium Tongiorgii ad combinationes virium physicarum, et mechanicarum. Nam vires physicae, et mechanicae, quocumque modo coniungantur, et permisceantur, supra conditionem naturae brutae, seu mortuae assurgere non possunt. Atqui natura vegetabilium, sive horum operationes, sive leges, quibus ipsae exeruntur, spectaveris valde praestat naturae mortuae corporum inorganicorum. Ergo, si non per vires physicas, et chymicas, ne per harum quidem combinationes leges, secundum quas vegetabilia constituuntur atque operantur, explicari possunt [3]. Accedit, quod Chymici concorditer sentiunt non posse fieri ullum vegetabile per combinationes virium physicarum, et chymicarum, immo ne unam moleculam organicam [4]. Atqui, si nondum unum vegetabile factum est, certe possibile foret aliquando nonnullum fieri, si vegetabilia ex solis viribus physicis, et chymicis conflarentur. Vegetabilia igitur ex solis viribus physicis, et chymicis non efficiuntur.

188. His, aliisque observationibus Cuvierius, Berzelius, aliique naturae scrutatores permoti, ut verbis Berzelii utamur, docuerunt « essentiam corporis viventiis non fundari in suis elementis inorganicis, sed in quodam alio principio, quod elementa omnibus corporibus viventibus communia ad productionem effectus peculiaris determinati, et pro quavis specie differentis adiuvandum disponit [5] ». Nisi quod as-

---

1) Pag. 206.

2) *Qq. dispp. De Ver.*, q. XIV, a. 5 ad 12. « Ipsa (anima vegetabilis) effectum proprium sortitur in nutriendo, et augendo usque ad determinatum terminum, et alia huiusmodi complendo »; *Op. cit.*, q. un. *De Spir. creat.*, a. 2 c.

3) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 1 c.

4) Cf Berzelius, *Traité de Chimie, Chimie organique*, t. II, p. 207.

5) *Op. cit.*, ibid. c. 288. Cf Cuvier, *Le regne animal distribué d'aprés son orga-*

severant nos latere, quid sit huiusmodi principium [1]. Nobis ea, quae de principiis constitutivis corporis statuimus, memoria repetentibus certum videtur illud principium non aliud esse, quam quod *formam substantialem* corporis vocavimus. Et sane, forma substantialis, uti ante vidimus, est principium, quod essentiam corporis constituit, quodque fons, et subiectum operationum eius est. Atqui huiusmodi est principium, quod ipsimet nuperi, iique praestantissimi cultores scientiarum naturalium plantis inesse oportere fatentur. Namque ipsum, uti ex dictis perspicitur, materiam cunctis corporibus communem ad speciem corporum viventium, quae plantae dicuntur, determinat, atque, uti ex dicendis patescet, est fons, a quo operationes plantae certo ordine promanant, et ad quem certo ordine revocantur. Ergo principium, quod ad naturam plantarum explicandam, ipsis nuperis Physicis docentibus, expostulatur, non aliud esse potest, quam forma substantialis philosophiae peripateticae [2].

189. Quod ut magis declaretur, mente reputandum est principium, de quo agimus, quemadmodum laudati Physici docent, eiusmodi esse, ut in affinitates chymicas, ceterasque vires elementares actionem suam intrinsecus exerceat. Atqui id genus principii debet esse essentiale, sive eiusmodi, ut essentiam plantae constituat, quia principium essentiale dumtaxat potest actionem suam intrinsecus exercere in vires operandi; hoc autem illud est, quod Peripatetici formam substantialem vocant. Ergo rursus apparet principium vitale, quod plantis inest, non aliud esse, quam illud, quod Scholastici post Aristotelem formam substantialem vocarunt.

190. Itaque pro certo habendum est in vegetabilibus, praeter vires physicas, et chymicas, existere principium hisce multo praestantius, quod illis veluti instrumentis utitur ad producendas operationes, quae vitales vocantur, atque hocce principium esse formam illam substantialem, quae materiam ad vegetabilium speciem determinat, fonsque est omnium operationum, quas in ipsis observamus [3].

191. Obii. In phaenomenorum naturalium explicatione assignandum non est principium, quod concipi non potest. Atqui id genus

---

nisation, Introd., t. I, p. 17, Paris 1819; Adrian. De Jussieu, *Cours élément. d'hist. naturel., Partie Botanique*, § 304, Paris 1842, alioque, quos laudavit Quatrefages in Ephem. *La Revue des deux mondes*, an. 1857, p. 854 sqq.

[1]) Vid. Cuvier, *Op. cit.* ibid.

[2]) Apposite s.Thomas inquit: « Ex hoc contingit quod aliquod individuum sit corpus inanimatum, et aliud corpus animatum. . . , quia hoc individuum animatum habet formam perfectiorem, per quam habet non solum subsistere, et corpus esse, sed etiam vivere; aliud autem habet formam imperfectiorem, per quam non attingit ad vitam, sed solum ad subsistere corporaliter »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 ad 9.

[3]) Cf p. Liberatore, *Del composto umano*, c. 3, art. 6, c 7, p. 106 sqq.

est principium vitale, quod ad plantarum phaenomena explicanda assumitur. Ergo etc.

192. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Permultis recentibus scrutatoribus naturae hoc vitio iure datum est, quod metaphysicam scientiarum naturalium nihili, vel pauci facientes, quidquid observationem, atque experimentationem effugit, veluti commentitium repudiant. Ab his certe principium vitale negandum erat, quippe quod, ut vidimus, non in sensus cadit, sed ex iis, quae in sensus cadunt, sive ex phaenomenis, et proprietatibus corporum organicorum ratiocinatione colligitur. Ast haec ratio physicas scientias tractandi, ut in *Logica* innuimus, est valde manca, atque ad phaenomenorum causas, legesque statuendas impar; unde ei nonnisi fortuito quaedam magna inventa debentur. Qua de re nuperi cultores scientiarum naturalium, qui vestigiis principum veterum Physicorum, in primisque Aristotelis insistentes rationem cum observatione consociarunt, omnino sibi confugiendum esse arbitrati sunt ad aliquod principium vitale, ut eius ope causas phaenomenorum, quae in corporibus viventibus observantur, invenirent, eorumque leges statuerent. Hoc autem principium esse maximum mysteriorum oeconomiae organicae, et totius naturae Cuvierius dixit [1]. Verum, si theoria aristotelico-scholastica de principiis constitutivis rerum prae oculis habeatur, clare concipi potest principium vitale plantarum esse formam substantialem, ex qua plantae in sua specie constituuntur [2], omnesque effectus, quos, in ipsis experimur, producunt [3].

193. Quandoquidem vegetabilia vivere perspeximus, investigare oportet, num illorum vita sit sui generis, an cum sensitiva confundatur. Sententiam Anaxagorae, aliorumque plantas vita rationali gaudere asserentium sine ullo examine mittimus, memores Aristotelis [4], qui ipsam veluti foedam repudiavit, et s. Augustini [5], qui nimis errantes haereticos ita sensisse scripsit. Verum sententia Platonis, qui vim sentiendi plantis tribuit, excutienda nobis est; haec enim fautoribus in hac praesertim aetate gloriatur.

194. Iam certa nobis est sententia, quam ss. Patres, et Doctores

---

[1]) *Op. cit.*, Introd.

[2]) « Una forma, ait s.Thomas, constituit in esse corporali tantum. . . , alia autem perfectior forma constituit materiam in esse corporali, et ulterius dat ei esse vitale »; *Qq. dispp.* q. un. *De Anim.*, a. 9 c.

[3]) Audiamus rursus Aquinatem: « Eadem forma, quae dat esse materiae, est etiam operationis principium, eo quod unumquodque agit, secundum quod est actu. . . . . Sed considerandum est, quod secundum gradum formarum in perfectione essendi, est etiam gradus earum in virtute operandi, cum operatio sit existentis in actu; et ideo quanto aliqua forma est maioris perfectionis in dando esse, tanto etiam est maioris virtutis in operando »; *ibid.*

[4]) *Loc. cit.*

[5]) *De Gen. ad litt. imperf. liber*, c. 5.

Scholae concorditer tuiti sunt. « Plantae, s. Basilius ait, et arbores, etiamsi vivere dicantur, propterea quod facultatem quamdam, qua nutriuntur, augenturque, pariter habent, non tamen animalia sunt [1] ». Et sane, cum plantarum proprium sit vegetare, sensus eis non alii usui esse posset, quam ut vegetatio perficeretur. Atqui id admitti nequit. Nam, si vis vegetandi in plantis sensu perficeretur, idem in homine fieri deberet, immo exquisitiori modo in homine, quam in plantis, quia vita vegetativa in homine exquisitior, quam in illis est. Atqui functiones vegetativae in corpore nostro per sensus non perficiuntur. Ergo vegetabilia, seu plantas sensu haud pollere dicendum est. Minor ex iis, quae in *Dynamilogia* de sensu communi statuimus, luculenter patescit. Nam, si functiones vegetativae per sensus perficerentur, certe illas sentiremus, propterea quod nos, ut ibid. ostendimus, non solum sentimus, sed etiam, ob sensum communem, quo praediti sumus, omnes sensationes nostras sentimus. Atqui functiones vitae vegetativae, ipsis adversariis fatentibus, a nobis non sentiuntur. Ergo functiones vitae vegetativae per sensus non perficiuntur.

195. Idem perspicere licet ex fine, ad quem sensus viventibus datur. Nam, cum Auctor naturae sit sapientissimus, Eum in rerum molitione nihil frustra egisse pro certo habendum est; unde illud Aristotelis, quod nobilioribus Physicis cuiusque aetatis probatum est: *Natura nihil agit frustra*. Atqui sensus in plantis frustranei forent. Plantas igitur sensibus carere certum esse debet. Minor evincitur hoc modo: Sensus viventibus datur, ut se a causis exterioribus, quae ea destruere adnituntur, tueantur, seque conservent, hoc est, ut quae sibi noxia sunt, vitent [2], quaeque ad vitam opus eis est, sectentur [3]. Atqui neutro ex capite plantae sensus expostulant. Non quidem ex primo; nam, cum ipsae ob radices telluri immobiliter adhaereant, et facultate e loco se movendi destituantur, inutile ipsis foret ea, quae noxia sibi sunt, sensibus apprehendere, quia ea effugere non possunt. Nec ex altero; opus enim ipsis non est alimenta quaerere, utiliaque a noxiis discriminare, cum necessarium, quo aluntur, humorem eis se ultro offerentem per fibras, et radices hauriant. Sensibus igitur plantae frustra, hoc est, sine ullo fine donarentur [4].

---

[1]) *Homil.* VII in *Hexaëm.* n. 1. Cf prae caeteris s. Augustin., *De Genesi ad litt* lib. VII, c. 16; *De moribus Manich.*, lib. II, c. 17; *De Civ. Dei*, lib. I, c. 20, et lib. XI, c. 27; *De quantit. anim.*, c. 33.

[2]) Apposite s. Thomas: « Per huiusmodi cognitionem (*sensitivam*) animalia vitant nociva »; 2^a 2^{ae}, q. CLXVII, a. 2 c.

[3]) « Sensus, subdit idem Doctor, sunt dati.. ad vitae necessaria procuranda »; I, q. XCI, a. 3 ad 3.

[4]) Hoc argumentum post Scholasticos copiose evolvit P. Romano, *Op. cit. Cosmol.*, Part. I, c. 8, § 90, t. IV, p. 134 sqq. Nobis lubet exscribere hunc locum Aquinatis: « Inveniuntur quaedam, quae movent seipsa, non habito respectu ad formam, vel finem, quae inest eis a natura, sed solum quantum ad executionem motus; sed forma,

196. Quod *a priori* demonstravimus, id *a posteriori*, nempe ab ipsa observatione plantarum comprobare possumus. Re vera plantae nobis haud praebent in se ulla illorum indiciorum, ex quibus nos animalia sensibus pollere colligimus. Primo enim in ipsis non invenimus organa ad sensationes apta, sed organa tantum, quae nutritioni, augmentationi, aut reproductioni inserviunt; secundo, non observamus in ipsis illos motus, ex quibus arguere solemus animalia sensationes, et affectiones, quae ipsas concomitantur, in se experiri. Nihil igitur in plantis nobis occurrit, ex quo sensus in ipsis arguere possumus [1].

197. Si vegetabilia sensibus non pollent, consequitur ea nec dolere, nec laetari, quippe quod, consentientibus omnibus Philosophis, fieri non potest, ut quae non sentiunt, ullum voluptatis, dolorisque sensum experiantur. Id observatione luculenter patefieri s. Augustinus putavit, cum quod nullos motus in ligno conspicimus, ex quibus sensus doloris apparet, tum quod, cum arbor putatur, non modo ictibus ferri non contabescit, sed magis, magisque viget [2].

198. Itaque cum Aquinate concludimus in plantis solam potentiam vegetativam inveniri [3], earumque vitam, quoniam ipsae sensu carent, *occultam* dici posse [4].

---

per quam agunt, et finis, propter quem agunt, determinantur eis a natura: et huiusmodi sunt plantae, quae, secundum formam inditam eis a natura, movent seipsas secundum augmentum, et decrementum. Quaedam vero ulterius movent seipsa, non solum habito respectu ad executionem motus, sed etiam quantum ad formam, quae est principium motus, quam per se acquirunt; et huiusmodi sunt animalia, quorum motus principium est forma non a natura indita, sed per sensum accepta » (I, q. XVIII, a. 3 c.). Quare animalia imperfecta, eodem sancto Doctore advertente, quae ad plantas proxime accedunt, non alium motum habent, quam « dilatationis et constrictionis, ut ostrea parum excedentia motum plantae »; *ibid.*

1) « Sensus autem, ait Albertus, in plantis non invenitur. Natura enim non deficit in necessariis. Si autem daret sensum, et non daret membra, et organa sentiendi, sicut oculos, aures, et huiusmodi, ipsa procul dubio in necessariis deficeret. Cum igitur in plantis nihil horum sensus membrorum, sive organorum inveniamus, constat quod plantis nullus omnino inest sensus »; *Op. cit.*, lib. cit., c. 3.

2) « Ut omittam, scribit, quod nullis motibus in ligno sensus doloris apparet, quid manifestius, quam tunc se optime habere arborem cum viget, cum frondet, cum floribus laeta, fructibus opulenta est? At hoc ei plerumque, ac maxime putatione praestatur. Quod si ferrum sic sentiret, ut vultis, contabesceret potius tot, tantisque affecta vulneribus, quam ex illis pullulans locis, tam certa exultatione reviresceret »; *De mor. Man.* lib. II, c. 17, n. 59.

3) « Quaedam viventia sunt, in quibus est tantum vegetativum, sicut in plantis » ; I, q. LXXVIII, a. 1 c.

4) « Dicendum, quod vita in plantis est occulta; quia carent locali motu, et sensu, quibus animatum ab inanimato maxime distinguitur » (I, q. LXIX, a. 2 ad 1). Idem fere iisdem verbis docuit s. Bonaventura: « Dicendum, quod vita manifestatur maxime per sensum, et motum; ideo anima vivens appellatur, quae vivit vita manifesta, et haec est illa, quae dat corpori motum, et sensum; talis autem non est in plantis, sed in animalibus »; *In lib. II Sent.*, Dist. XV, dub. 1.

199. Obii. Robinetus: « Sensatio est quaedam impressio recepta in ente organico, per quam ens quaedam obiecta prosequitur, quaedam autem aversatur. . . Atqui nos videmus alias plantas fugere manum, quae illas attrectat, alias aspectum solis exquirere, alias unum situm alteri praeferre, deserere locum, qui eis adsignabatur, et perreptare ad locum, a quo remotae fuerant, unamque terram prae altera eligere, cum accedant ad illam, quae ipsis congruit, et recedant ab illa, quae bono ipsarum statui minus convenit. Ergo plantae sunt entia, quae vi sentiendi pollent, voluptatisque et doloris, desiderii et aversationis capaces sunt [1] ».

200. Resp. *Neg. mai.*; *dist. min*: quaedam plantae fugiunt manum, quae ipsas attractat, aliosque motus id genus perficiunt ex principio vitali sensitivo, *neg. min.*, ex principio vitali non sensitivo, *conc. min.*; *Neg. cons.* Et primo, sensatio, ut suo loco diximus, non est impressio recepta in ente organico, quae est passiva, sed est actio vitalis, quae impressionem consequitur. Secundo, impressio sensationem excitat non in ente organico, quod organis, quaecumque haec sint, instructum est, sed in ente organico, quod organis ad sensationem requisitis ornatur. Robinetus sumpsit omne ens organicum, quodcumque tandem sit, posse impressiones rerum obiectarum ita in sese recipere, ut sensationes inde experiatur. Ast hoc ei non sumendum, sed probandum erat, quia plerique politiores Philosophi, et Physici docent corpus, si organis instruatur, procul dubio vivere, at non quemlibet, sed specialem organismum expostulari, ut corpus vita sensitiva frui possit. Iam ex observatione plantarum, ut modo vidimus, palam fit plantas non esse illis organis instructas, quae sensationibus apta sunt [2]. Motus vero herbae, quae a manu ipsam attrectante aufugit, quaeque idcirco *casta* vocatur, et motus herbae, quae versus solem vertitur, eamque ob causam nomen *heliotropii* habet, nullum indicium sensationis prae se ferunt, sed ex principio vitali, quod varias leges, proprietatesque in variis corporibus subit, repetendi sunt [3].

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) Unde s. Augustinus: « Ipsam vim sentiendi non habet vita quaelibet » (*De Gen. ad litt. imperf. liber*, c. 5, n. 24). Quod in plantis, quae vivunt, sed non sentiunt, conspici advertit tum ibidem, tum in lib. I *De Civ. Dei*, c. 20, in quo scribit: « Hoc genus rerum, quamvis non sentiat, vivere dicitur ».

[3]) Cf Ptolomaeus, *Philosophia mentis et sensus*; *Phys. partic.* Dissert. II, sect. 7, p. 377, Romae 1702.

ARTICVLVS SECVNDVS

De praecipuis operationibus vegetabilium

201. Nostrum non est cunctas recensere operationes, quas plantae exerunt, sed tantum praecipuas, quarum cognitio ad naturam illarum declarandam iuvat. Praecipuas illas vocamus, quae speciales facultates in anima arguunt, et ad quas ceterae operationes facile revocantur. Harum tres a Scholasticis secundum Aristotelem recensentur, scilicet *nutritio*, *augmentatio*, et *generatio*, iisque respondent tres facultates, quarum prima *nutritiva*, altera *augmentativa*, tertia denique *generativa* nuncupatur. Cuius triplicis distinctionis ratio haec est: Vita vegetativa ad tria spectat, nempe ad *conservationem*, ad *perfectionem*, et ad *propagationem*. Namque omne vegetabile, ut s. Thomas argumentatus est, expostulat, 1° ut partes eius, quae in dies dilabuntur, accessione novarum suppleantur; 2° ut, quoniam substantia eius, utpote ex semine prognata, initio est pusilla, ad illam quantitatem perducatur, per quam ad operationes naturae suae consentaneas edendas idonea efficitur; 3° ut novas substantias ad perpetuandam, propagandamque speciem producat. Iamvero ad primum obtinendum opus est facultate nutritiva, ad alterum autem facultate augmentativa, ad tertium denique facultate generativa [1]. Tres igitur facultates ad vitae vegetantis exercitationem expostulantur, eaeque sunt *nutritiva, augmentativa*, et *generativa* [2].

202. Quod ut magis patescat, advertendum est in corpore organico, prout est organicum, tria consideranda nobis sese praebere, nempe *esse eius*, *quantitatem ei debitam*, et *reparationem iacturarum*, *quas patitur*. Hinc oportet ipsum facultatibus praeditum esse, quae ad illa tria praestanda necessaria sunt. Atqui ad primum praestandum requiritur facultas generativa, ad secundum augmentativa, et ad tertium nutritiva. Ergo theoria Aristotelis de tribus facultatibus animae vegetantis cum Scholasticis tenenda est.

203. Quomodo hae facultates exerceantur, declarare proprium physiologiae est; quare illos, qui hanc rem nosse cupiunt, ad Physiolo-

---

[1]) « Dedit Deus, inquit sanctus Damascenus, plantis virtutem altricem, auctricem, et generatricem »; *De Fide orthod.*, lib. II, c. 19.

[2]) « Tres sunt, Aquinas ait, potentiae vegetativae partis. Vegetativum enim, ut dictum est, habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam; ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem, per quam esse acquirat; et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero, per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem; et ad hoc ordinatur vis augmentativa. Alia vero, per quam corpus viventis salvatur et in esse, et in quantitate debita; et ad hoc ordinatur vis nutritiva »; I, q. LXXVIII, a. 2 c.

gos amandamus. Nos hic definitionem illarum dumtaxat exponemus, et nonnullas quaestiones, quae ab instituto nostro non abhorrent, exsolvemus.

204. Facultas nutritiva, uti ex dictis patet, est *illa vis, qua vivens alimentum in sui substantiam convertit*, eiusque operatio est *conversio alimenti in substantiam aliti* [1].

205. Quoniam alimenta, quibus planta nutritur, non sunt eiusdem, ac planta, naturae [2], liquet vim nutriendi, qua planta pollet, in eo maxime ponendam esse, quod alimenta naturae plantae, quae ipsis nutritur, assimilet [3]. Et sane haud possibile foret plantam iacturas suas restaurare ope alimentorum, quae ipsi ab humo, in qua haeret, vel ab aëre, a quo circumdatur, suppeditantur, nisi ipsa ob vim suam nutritivam similia iis efficeret, quorum iacturam fecit. Hinc facultas nutritiva, qua plantae pollent, in ipsis virtutem arguit assimilandi sibi alimenta, quae vel ab humo, vel ab aëre haurit [4]. Quoniam plantae hoc ipso quod iacturas, quas patiuntur, reparant, sese conservant, facultatem nutritivam conservationi plantarum inservire manifesta res est [5].

206. Cum facultate nutritiva arcte connectitur facultas *augmentativa*, quia augmentatio sine nutritione existere nequit. Iam facultas augmentativa definitur, *illa vis, qua vivens maiorem quantitatem ex alimento assequitur*; unde eius operatio, nempe augmentatio, sive accretio dicitur *acquisitio maioris quantitatis*, vel, si magis lubet, *actus vitalis a minori quantitate ad maiorem*. Causa, ob quam vegetabile hac facultate indiget, ut modo innuimus, ea est, quod, cum omne vivens initio non habet tantam quantitatem, quanta ei opus est ad operationes sibi consentaneas exerendas, oportet, ut successu temporis ipsam nova quantitate in dies augeat, maioremque faciat [6]. Id autem assequitur hoc modo, quod materiae, quam habet, adiicit materiam augmenti, quod per facultatem nutriendi in substantiam sui convertit [7].

---

[1]) « Alimentum corporale convertitur in substantiam eius, qui nutritur »; III, q. LXXIII, a. 3 ad 2.

[2]) « Humor intrinsecus arboris per radices a terra sumitur, de qua planta suscipit nutrimentum »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11.

[3]) « Dicitur *in II De Anim.* quod nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem simile »; III, q. LXXVII, a. 6 c.

[4]) Rursus s. Thomas: « Quod nutritur assimilat sibi nutrimentum; unde oportet in nutrito esse virtutem nutritionis activam, quum agens sibi simile agat »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 89.

[5]) « Quid, s. Augustinus ait, arbusta, omnesque frutices, quibus nullus est sensus . . . , nonne . . . altius terrae radices affigunt, quo alimentum trahant, atque ita suum quodammodo esse conservent? » *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 27.

[6]) « Augere, s. Thomas inquit, nihil aliud est, quam sumere maiorem quantitatem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 *sol.*

[7]) « Si fit conversio cum additione ad alterum praeexistens, illud, cui additur,

207. Facultates nutriendi, et augendi facultas generandi consequitur, quippe quod ex eo quod vivens nutritur, et iustam sui molem adquirit, ad producendum sibi simile idoneum efficitur. Facultas generativa est *illa vis, qua vivens producit aliud vivens eiusdem naturae, et quodammodo sibi coniunctum.* Hanc definitionem derivavimus a celebri illa definitione generationis, quae a s. Thoma profecta calculo omnium Theologorum, et Philosophorum Catholicorum probatur. Itaque generatio, prout ad viventia, de quibus agimus, restringitur, est secundum s. Thomam, *Origo alicuius a principio vivente coniuncto secundum similitudinem naturae* [1]. Ex his verbis intelligitur triplicem esse conditionem generationis. Prima est, ut id, quod oritur, sit ex substantia producentis; altera, ut sit simile natura, seu substantia; tertia, ut sit coniunctum principium, a quo producitur [2].

208. Prima conditio requiritur, ut generatio cum a *creatione*, tum ab *effectione* distinguatur. Nam, quod creatur, aut efficitur, non ex substantia creantis, aut efficientis manat, sed *extrinsecus* oritur; hoc discrimine, quod illud ex nihilo fit, hoc autem ab ipsa materia secundum accidens immutata educitur. Contra ea, id, quod gignitur, ex substantia gignentis manat, quia per semen e substantia gignentis decisum oritur [3]. Quod quidem ex communi Philosophorum, hominumque sensu mirifice declaratur; mundus enim a Deo *creatus*, non *genitus* dicitur, quia Deus eum ex nihilo, non ex substantia sui eduxit; atque homo, ut s. Athanasius apposite advertit, domum dicitur facere, non vero gignere, quemadmodum idem dicitur gignere filium [4].

209. Altera conditio ex prima fluit, quia si id, quod gignitur, ex substantia gignentis emanat, genitum cum gignente secundum naturam conveniat necesse est [5]. Enimvero aliud ex alio gignitur per evolutionem, explicationemque seminis, quod a substantia gignentis deciditur. Atqui semen, quoniam ex tota substantia viventis emanat, totum vivens, quod per eius evolutionem gignitur, potestate continet [6].

---

transmutatur secundum augmentum, vel saltem per restaurationem deperditi, sicut accidit in nutrimento »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 3, *sol.* 1 c.

[1]) Vid. I, q. XXVII, a. 2 c.

[2]) Cf Arist., *De Anim.*, lib. II, c. 4, et *De Generat.*, lib. I, c. 19, ed. Didot.

[3]) Praeclarus est ad hanc rem hic locus s. Ioann. Damasceni: « ... generatio quidem in hoc consistit, ut ex gignentis substantia proles eiusdem cum gignente substantiae producatur; at creatio, et effectio hoc tantum requirit, ut extra, et non ex creantis, et efficientis substantia fiat illud, quod creatur, aut efficitur, omninoque quantum ad essentiam dissimile est»; *De Fide orth.* lib. I, c. 8. Cf s. Athanas. *De Decretis Syn. Nic.*, n. 13, ed. cit., et s. Basil., *Contr. Eunom.*, lib. IV, c. 1.

[4]) Cf Arist., *De gen. Animal.*, lib. I, c. 19.

[5]) « Unde, s. Thomas ait, pilus, vel capillus non habet rationem geniti, et filii, sed solum quod procedit secundum rationem similitudinis, non cuiuscumque »; I, q. XXVII, a. 2 c.

[6]) « Dicendum, s. Thomas ait, quod generatio est de substantia generantis in ani-

Ergo id, quod gignitur, eiusdem, ac illud, a quo gignitur, naturae esse debet. Quin immo ex dictis patet generationem eo spectare, ut in id, quod gignitur, non modo naturam gignentis, sed etiam quidquid ipsam consequitur, transfundat, quia, cum semen potestate contineat naturam rei, quae gignitur, continere potestate etiam debet quidquid naturam consequitur. Verum, quoniam essentia viventis non consistit in eo, quod naturam eius consequitur, idcirco, « etsi, ut Petavii verbis utamur, viventium, animantiumque generatio, praeter naturae similitudinem, aliorum insuper omnium, quoad potest, assequi conatur; illius tamen essentia sola naturae similitudine circumscribitur, quae, ut ceterae desint, veram, ac proprie dictam generationem efficit, ea sola si abest, quamvis reliquae omnes suppetant, nulla prorsus est generatio [1] ».

210. Tertia denique conditio necessaria est, ut generatio viventium a generatione expertium vitae discriminetur. Quam cum breviter, luculenterque exposuerit idem Petavius, lubet eius locum exscribere: « Hoc enim differt inanimatorum generatio ab ea, quae viventium propria est, ut s. Thomas explicat in quarto *Contra Gentiles*, quod ab illis non aliud emanat, ac gignitur aliud, quam actione unius in alterum. Sic enim ignis ignem generat, dum admotam materiam calore, siccitateque sua extrinsecus afficit, et immutat, nulla substantiae suae parte transfusa, quae vim illam genitalem continet, estque coniunctum cum genito principium, immo fit ipsummet genitum. Quae autem animata sunt ac viventia, cum se ipsa movent ad generandum, non externa dumtaxat, ut illa superiora, tum partem sui desecant, ac traiiciunt, velut arbores, ab quibus manat humor, ac succus, qui duratus in semen, terraeque mandatus, et propagatricem vim illam cum materia deferens, similem adolescit in stirpem. Quod idem et in animantibus evenit. Nam generatio, etiam in istis, vegetabilis animae facultatis propria est [2] ».

---

malibus, et plantis, inquantum semen habet virtutem ex forma generantis, et in quantum est in potentia ad substantiam ipsius »; I, q. CXIX, a. 2 ad 1; cf *ibid.*, q. LXXVIII, a. 2 ad 2.

[1]) *Theolog. Dogm., De Trinit.*, lib. V, c. 8, n. 6. Haec doctissimus Vir hausit ex s. Chrysostomo, *Homil.* III *in Epist. ad Coloss.* Si generationem Filii in Trinitatis mysterio ex hac parte consideraveris, facile intelliges illam cunctis generationibus longe anteceliere, eo quod praestantissimam, et nulla re deficientem in genito similitudinem generantis exprimit. Et sane, quoniam omnia attributa Dei nihil ab natura ipsa differunt, sed una, simplicissimaque res cum ea sunt, inde fit, ut Filius, qui imago est Patris, non solum essentiae divinae, sed omnium proprietatum eius expressa similitudo nascatur. Cf s. Ioann. Chrysost., *Homil.* I in *Epist.* I *ad Timot.*, et s. Greg. Nazianz., *Orat.* XXVII.

[2]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., n. 8. Omissis locis s. Thomae *Cont. Gent.* (lib. IV, c. 11), ad quos Petavius lectorem amandat, lubet hunc brevem, sed praeclarum exscribere: « Dicendum, quod, cum generatio sit communis omnibus corporibus cor-

211. Ex his intelligis, si ordo temporis consideretur, facultatem nutriendi facultati augendi, atque hanc facultati gignendi praestare, quippe quod vivens non potest ab alimento in sui substantiam converso augeri, nisi ipso nutriatur, neque potest sibi simile gignere, nisi adeo auctum sit, ut mole ad generationem requisita gaudeat; sin ordo naturae, seu perfectionis spectetur, facultatem gignendi facultatibus nutriendi, et augendi longe antecellere, tum quod, ut a s. Thoma observatum est, hae duae illi deserviunt, cum vivens nequeat sibi simile gignere, nisi nutriatur, et augescat, tum quod maxima perfectio entis est posse aliud sibi simile producere [1].

212. His statutis, duas quaestiones breviter dirimamus necesse est, scilicet 1° num nutritio, augmentatio, et generatio in vegetabilibus sint operationes vitales, necne; 2° num hae tres operationes vegetabilium ad tres diversas facultates necessario sint referendae.

Quod ad primam attinet, nos iam innuimus tres operationes, quae maxime conspicuae in vegetabilibus sunt, esse vitales, quia ipsae ex vi vegetabilibus insita proficiscuntur, atque inde deduximus vitam re vera plantis inesse [2]. Quod ut illustrius fiat, hic cum Goudino [3] adiicimus operationes illas a sola partium, ex quibus plantae constant, varietate, aut ab admirabili organorum structura, quae in ipsis conspicitur, quemadmodum permulti recentes opinati sunt, nullo modo fieri, aut explicari posse. Enimvero constat plantas non posse ex alimento nutriri, augescere, aut simile sibi gignere, nisi ipsum in novam substantiam transmutent [4]. Atqui hanc transmutationem sola partium varietas, aut organorum structura efficere nequit. Namque partes plantae, quoad variae sint, et structura organorum, quoad exquisita sit, non aliis viribus, quam physicis, et chymicis ornantur; hae autem possunt quidem partes alimenti aliter, aliterve disponere, sed nequeunt illas corrumpere, seu, ut aiunt, alterare, ut inde nova substantia producatur. Ergo tres illae operationes plantarum, nempe

---

ruptibilibus, tamen corporibus animatis est specialis modus generationis, et propter hoc etiam habent specialiter inter alias vires animae vim vegetativam. In viventibus enim primo ex generante deciditur aliquid, quod est sufficiens ad generationem quantum ad principium activum, et passivum . . . Et ideo sequitur secundum, scilicet quod generatio est per modum exitus a generante, quod non est in generatione inanimatorum. Tertium autem est, quod generatum exiens a generante, in principio generationis adhaeret ei, et est in eo vel per contactum, vel per consolidationem, sicut dicit Philosophus in *V Met.*, ut patet in fructibus, qui colligantur plantis »; *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 1 *sol.*

[1]) I, q. LXXVIII, a. 2 c. Cf *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 13 ad 15.

[2]) « In plantis hoc indicium vitae est, quod in id, quod in ipsis est, movet aliquam formam »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11.

[3]) *Op. cit.*, *Pyhs.*, Pars IV, Disp. unic., q. II, art. 1, concl. III, p. 329 sqq.

[4]) « Panis non nutrit, nec aliquis cibus, nisi secundum quod convertitur in illud, quod nutritur; quod autem naturali conversione convertitur in alterum, non manet

nutritio, augmentatio, et reproductio, ex sola varietate partium, aut structura organorum repeti nequeunt [1].

213. Quod vero ad alteram quaestionem attinet, tres operationes vitales, quas hic exponimus, ad tres diversas facultates pertinent. Cuius rei ratio in eo posita est, quod, quamvis una illarum alteri inserviat, scilicet nutritiva augmentativae, atque utraque generativae, tamen diversae actiones sunt, quae ad diversa obiecta referuntur. Enimvero nutritio, uti ex dictis patet, est tantum conversio alimenti in substantiam viventis aliti; augmentatio est conversio alimenti in novas partes organicas, quas vivens adquirit; generatio est totius viventis nova molitio. Atqui hae tres operationes abs se specie differunt, ita ut una ad alteram reduci nequeat, quippe quod aliud est alimentum in sui substantiam convertere, aliud novam, et organicam extensionem producere, aliud denique novum vivens gignere. Ergo nutritio, augmentatio, et generatio sunt tres actiones, quae specie differunt. Iam, quoniam obiecta actionum specie differentium diversa specie sunt, atque ex diversitate specifica obiectorum diversitas facultatum constituitur, et discriminatur, nutritio, augmentatio, et generatio ad tres diversas facultates pertinere debent [2].

ARTICVLVS TERTIVS

Vitae vegetativae definitio statuitur

214. Ex omnibus, quae hactenus disseruimus, facile conficitur veram, germanamque vitae definitionem non aliam dici posse, nisi quae tres operationes modo explicatas complectitur, easque a vi vegetabilibus

---

quantum ad formam» (*In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 1). Atque *ibid.* (Dist. XII, q. I, a. 2, *sol.* 5 c.): «Ideo nutrit, secundum quod ex eo aliquid generatur». Cf p. 309.

[1]) Hinc s. Thomas: «Anima vegetabilis habet operationem, cui quidem deserviunt qualitates activae, et passivae organicae, sed tamen supra posse huiusmodi qualitatum ipsum effectum proprium sortitur in nutriendo, et augendo usque ad determinatum terminum, et alia huiusmodi complendo»; *Qq. dispp.*, q. unic. *De Sp. cr.*, a. 2 c.

[2]) Quin facultas generativa a nutritiva, et augmentativa differat, nemo fere dubitat. *Fere* inquimus; nam Giobertius (*Protol.*, Saggio IV, n. 6, t. II, p. 389, ed. cit.) generationem a nutritione, aliisque operationibus vitalibus substantialiter non distingui contendit. At sunt, qui nutritivam, et augmentativam ab se differre inficiantur. Cui sententiae, post Neoplatonicos (Plotin., *Enn.* I, lib. I, c. 4), et Suaresium (*De anim.*, lib. II, c. 9), aliosque paucos Scholasticos, Adr. Jussieu (*Op. cit.*, § 211, ed. cit.) cum non paucis botanicae rei cultoribus nuper litavit. At nobis sententia s. Thomae probatur. Primo enim facultas nutritiva in sola reiectarum partium instauratione consistit; at augmentativa et partes, quas planta habet, obfirmat, et novas ei adiicit. Secundo, nutritiva semper durat; augmentativa vero tandem cessat, tum scilicet, cum vivens debitam sibi quantitatem assecutum est.

insita proficisci denotat. Nam, si una, alteraque illarum operationum praetermittantur, cognosci nequit, quanta sit vis vitae vegetativae; sin illas operationes a principio intrinseco proficisci non denotetur, capitale discrimen omittitur, quo vegetabilia a corporibus inanimatis separantur. Quare vita vegetativa accommode definiri potest: *principium, quo substantia sese nutrit, auget, et propagat.* Enimvero tria verba, quae hac definitione continentur, tres operationes vitales, quas explicuimus, significant, et pronomen *sese* cum ipsis coniunctum tres illas operationes ab ipsa substantia promanare denotat. Quod si quis unica operatione, quemadmodum nonnullis nuperis visum est, definitionem absolvendam censeat, certe haec non alia, sapienter monente s. Thoma, esse potest, quam generatio, quia haec, ut modo diximus, et caeteris natura sua antecellit, et cum sit ultima, ad quam aliae duae ordinem habent, ipsas in se quodammodo complectitur. « Quia omnia, sanctus Doctor ait, definiuntur, et denominantur a fine, finis autem operum animae vegetabilis est generare alterum simile sibi, sequitur, quod conveniens sit definitio animae vegetabilis, ut sit generativa alterius similis secundum speciem [1] ».

215. Quare nos a Georgio Cuvierio dissentimus, qui vitam ex nutritione definivit[2]. Certe, nutritio est prima operatio, quae in vivente apparet. At exinde illud dumtaxat consequitur vitam a nobis nutritioni attribui [3], non vero ex nutritione notionem vitae tradendam esse; siquidem nutritio, cum sit operatio vitalis ceteris imperfectior, nullam harum complectitur [4].

216. Quae adhuc tradidimus circa notionem vitae, nonnisi ad vitam vegetabilem spectant. Etenim generalis notio vitae, quemadmodum diximus [5], in eo posita est, quod operatio, quaecumque illa sit, a principio operanti insito proficiscitur. Quapropter, uti egregie s. Thomas argumentatur, *quo magis operatio in intimis continetur, eo altior est gradus vitae.* Quoniam vero, « quanto aliqua natura est altior, tanto id, quod ex ea emanat, est intimum », consequitur gradum vitae, *quae est secundum animam sensitivam*, altiorem esse, quam in plantis, sed imperfectiorem illo, *qui est secundum intellectum*; immo *in ipsa intellectuali vita diversos gradus inveniri*, ita ut *perfectior sit intellectualis vita in Angelis, quam in intellectu humano*; et *ultima perfectio vitae*

---

[1]) *In lib. II De An.*, lect. VI.

[2]) *Le regne animal*, Introd., p. 13, ed. cit.

[3]) « Dicendum, quod omne, quod natum est ex pluribus sequi, attribuitur ei, quod primum est, sicut vita attribuitur animae nutritivae, quia ipsa est prior inter principia vitae in viventibus corporaliter »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 3 *sol.* 3 c.

[4]) Unde idem sanctus Doctor monet vitam nutritioni *specialiter attribui*, non quia illi *perfectissime convenit*, sed tantum quia in ea *primo invenitur; Qq. dispp., De Ver.*, q. XIV, a. 5 ad 12.

[5]) Pag. 205-206.

nonnisi Deo *competat*, « in quo non est aliud intelligere, et aliud esse [1] ».

CAPVT QVARTVM

De genere viventium, quae sensu pollent, sive de brutis

Hactenus de infimo genere viventium, nempe plantarum; nunc ad genus, quod illo proxime superius est, nempe brutorum, explicandum accedamus.

De brutis acturi primo ostendemus principium operationum, quas in ipsis observamus, esse sentiens; tum ipsas operationes singillatim explicabimus; denique de principii sentientis, quod ipsis inest, natura, ortu, atque interitu disseremus.

ARTICVLVS PRIMVS

Brutis animam sentientem esse demonstratur

217. Tres de natura brutorum diversae sententiae apud antiquos, recentesque Philosophos nobis occurrunt. Sunt enim, qui bruta non aliud esse, nisi machinas affabre constructas volunt; sunt vero, qui animam ratione praeditam ipsis concedunt; sunt denique, qui animam tuentur brutis inesse sentientem quidem, sed rationis expertem.

218. Primae sententiae multos inter veteres fuisse auctores, vel fautores ex s. Augustino discimus; hic enim scripsit non paucos, eosque doctissimos ab antiquitate usque ad aetatem suam extitisse, qui non inesse animam brutis sentiebant [2]. Secundam veteres Pythagorae [3], et Anaxagorae [4], necnon Parmenidi [5], tribuunt [6]. Eadem dein-

---

[1]) *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11. Cf *ibid.*, lib. I, c. 97, et I, q. XVIII, a. 3 c.

[2]) *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 8. « Cuius rei illud argumento esse potest, quod Aristoteles hanc absurdam opinionem non semel exposuit et confutavit » (*De animal. motione*, c. 7, et *De generat. anim.*, lib. II, c. 1). Certe, ne de Pherecrate, sive potius Dicaearcho, qui eius personam mutuatus videtur (*Qq. Tuscull.*, lib. I, c. 10, ed. cit.), aliisque Materialistis dicamus, haec opinio multis Stoicis (vid. Plut., *Terrestriane, an aquatilia animalia sint callidiora*; *Opp.* ed. Xilander, t. II, p. 960 sqq), et Cynicis (vid. Plut., *De placit. Phil.*, lib. V, c. 20) arrisit, quippe inter bruta, et stirpes nihil interesse aiebant. Hi vero non negabant bruta, quemadmodum caetera mundana omnia, esse particulas divinae Mentis, sed crassitiem, et redundantiam humoris in eis impedire, quominus intelligerent, et sentirent.

[3]) Plut., *De placit. Phil.* lib. V, c. 20.

[4]) Arist., *De Anim.*, lib. I, c. 2, § 5, et Plut., *Op. cit.*, c. cit.

[5]) Stob., *Eclog. phys.*, c. 39, p. 93, ed. Canterus, Aurel. Allobrog. 1609.

[6]) Cf Bradif, *De Anima brutorum quid senserint praecipui apud veteres Philosophi*, p. 9 sqq, Alger 1863.

ceps Plutarco [1], Porphyrio, qui hanc ob causam ab esu animalium abstinendum cum Pythagoricis praecepit [2], Celso, quem confutavit Origenes [3], Manichaeis [4], aliisque [5] probata fuit. Tertiam, quae inter utrasque media est, Aristoteles tenuit, uberrimeque explicavit [6], eamdemque Philo [7], Plotinus [8], aliique ex huius schola professi sunt.

219. SS. Patres, ceterique antiqui Scriptores Ecclesiae in Aristotelis sententiam, utpote Sacris Litteris consentaneam, concedentes sedulo cavendum praeceperunt, ne aut brutis facultates sentiendi negarentur, aut illis facultates intelligendi concederentur [9]. S. Augustinus hanc communem suae aetatis esse sententiam dixit [10]. Aristoteli, et ss. Patribus concorditer adhaeserunt Scholastici, in primisque B. Albertus M., quem ob admirabiles de historia animalium libros [11] nuperi, iique doctissimi naturae scrutatores magna laude prosequuntur [12].

220. Inter recentes Cartesius, post Gomezium Pereiram [13], sententiam Stoicorum, aliorumque veterum instauravit, contenditque belluam esse merum *automatum*, seu machinam affabre construciam, puta horologium, ita ut omnes eius operationes non aliud sint, nisi motus, qui legibus mechanicis fiunt [14]. E contrario Condillachus post

---

[1]) Cf duo eius opuscula, *Terrestriane*, etc., p. 959 sqq, et *Gryllus, seu Bruta ratione uti*; *Opp.*, t. II, p. 985 sqq, ed. cit.

[2]) *De abstin. ab usu carnium*, ed. de Rhoer, Trai. ad Rhen. 1767.

[3]) *Contr. Cels.*, lib. IV, c. 23.

[4]) Vid. s. August., *De moribus Manich.*, lib. II, c. 17, n. 54.

[5]) Vid. s. Epiph., *De haeres.*, lib. I, n. 100; s. Ioan. Chrysost., *Hom.* IV *in Acta Apost.*, et s. Fulgent.. *Lib. de Fid. ad Petrum*, n. 67.

[6]) *De Anim.*, lib. II, c. 3.

[7]) *Alexander, sive De eo quod rationem habeant animalia bruta*, inter eius *Opp.*, t. VIII, ed. Tauchniz.

[8]) *Enead.* I, lib. I, c. 11.

[9]) De his passim in hac tractatione.

[10]) « Irrationabilia, ait, animalia vivere, et sentire nemo ambigit »; *De lib. arb.*, lib. I, c. 29.

[11]) *De animalibus libri XXVI* recogniti per R. A. P. G. Jammy, *Opp.* t. VI, ed. cit. Beatus Doctor se libros decemnovem ab Aristotele mutuatum esse, sed reliquos septem ex propriis observationibus compilasse scripsit; qua de re vid. Jourdain, *Récherches sur l'âge, et l'origine des traductions latines d'Aristote*, p. 327, ed. 2, Paris 1843, et De Blainville, *Histoire des sciences d'organisation*, Period. V, n. X, t. II, p. 76 sqq, Paris 1845.

[12]) Vid. prae caeteris Buhle, *De fontibus unde Albertus M. libris suis XXVI De Anim. materiem hauserit*, inter *Comment. Societ. Gotting.*, t. XII, p. 94 sqq, Gott. 1792, et 1793; Jourdain, *Op. cit.*, ibid.; de Blainville, *Op. cit.*, t. II, p. 82 sq; Choulant, *Dissert. cit.*, p. 139 sqq, 1846; Pouchet, *Op. cit.*, c. 5, p. 265 sqq; Sighart., *Op. cit.*, c. 39, p. 550 sq.

[13]) Gomez Pereira, medicus hispanus, cuius exstat opus a patris, et a matris praenominibus *Antoniana Margarita* nuncupatum, Medinae 1554.

[14]) *Discours de la méthode*, part. 5, c. 9; *Oeuvr. phil.*, t. I, p. 49 sqq, ed. Garnier. Haec opinio Cartesii de automatis belluarum in philosophia cartesiana adeo

Rorarium [1], Montanum [2], et Charondam [3], aliosque [4] tuetur bruta facultatibus intelligendi pollere [5], tametsi hae arctioribus, quam facultates hominium, limitibus coerceantur [6]. Frider. Cuvierius, frater celebr. Georgii, operationum belluarum, quas Condillachus, aliique cunctas ab intelligentia repetebant, alias esse instinctivas, alias vero intellectivas voluit, et cum diversos gradus intelligentiae in belluis adnotaret, putavit nonnullas harum, puta *orang-outang* (*hominem sylvestrem*) intelligentia adeo perfecta pollere, ut quasdam notiones generales sibi conficiant [7]. Denique Lockius, et Leibnitius a sententia Aristotelis parum discesserunt. Hi enim omnem facultatem abstrahendi, et notiones abstractas conficiendi brutis denegant, et nonnisi quamdam vim notiones singulares, quas sensibus hauriunt, secum comparandi, et de his ratiocinandi ipsis concedunt [8]. Unde Leibnitius belluas *empiricas* vocavit, quia conclusiones, quas hae conficiunt, circa veritates *facti* versantur, ut vix ratiocinationem adumbrent, quae propria hominis est [9].

---

percrebuit, ut nemo velut verus, germanusque cartesianus haberetur, qui illam non propugnaret. Vid. Daniel, *Suite de voyage du monde de Descartes, Lettre I^e^ touchant la connaissance des bêtes*, p. 3, Paris 1690.

[1]) *Quod animalia bruta saepe ratione utantur melius homine libri duo*, Helmstadii 1728.

[2]) Montaigne, *Essais*, lib. II, c. 12, Paris 1725.

[3]) Charron, *De la sagesse*, lib. I, c. 8, Paris 1608.

[4]) Horum praecipuos videre licet apud Bouillier, *Hist. de la phil. cartes.*, c. I, p. 139 sqq, ed. cit. Inter hos commemorandus est Malebranchius, *De inquir. verit.*, lib. V, c. 3, t. I, p. 137 sq, et lib. VI, Pars II, c. 7, t. II, p. 87-89, ed. cit.

[5]) *Traitè des animaux*, c. 1, 2, et passim, Amsterdam 1755.

[6]) *Op. cit.*, c. 2, part. II. Eum pauci alii secuti sunt, inter quos Leroy principem locum obtinet in suo op. *Lettres sur les animaux par un physicien de Nuremberg*, Paris 1781.

[7]) Vid. eius opera, quae recensuit in opusc. Flourens, *De l'instinct, et de l'intelligence des animaux*, p. 170, et praesertim *Histoire naturelle des mammifères*, Paris 1818-1837. Cuvierii theoriam ipse Flourens propugnavit, atque insuper advertit intelligentiam belluinam ab humana discriminari, quia a reflexione seiungitur, indeque oriri, quod species belluarum non sint ullius progressionis capaces. Vid. *Op. cit.*, p. 65-68, et passim.

[8]) Locke, *Essai sur l'ent. hum.*, lib. II, c. II, § 5, t. I, p. 317-320, ed. cit., et Leibniz, *N. E.* etc., lib. II, c. 11, § 10, et 11, p. 237, ed. Erdm.

[9]) *Op. cit. Avant-propos*, p. 105, et 196, ed. cit. Non valde a Lockio, et Leibnitio Buffon dissensit, quippe qui in brutis *sensum*, et *conscientiam actualem* agnovit, sed eis *cogitationem*, *reflexionem*, *memoriam* et *ideas* negavit (*Discours sur la nature des animaux; Oeuvr.* t. IV, p. 41, ed. cit.). Sed cum illis prorsus consentire videntur Reimarus, qui praeter instinctum, non rationem, sed quidquam, quod ad illam accedit, in belluis admittit (*Observations physiques, et morales sur l'instinct des animaux, leurs industries, et leurs moeurs*, t. I, p. 148, trad. par Reneaume de la Tache, Paris 1770). Hoc, ni fallimur, est illud *analogum rationis*, quod plerique recentiores Philosophi, e Lockii, et Wolfii scholis egressi, praeter facultates sentiendi, belluis concedunt.

221. Quandoquidem nobis certa videtur de belluarum natura theoria ss. Patrum, et Doctorum mediae aetatis, demonstrandum suscipimus belluas 1° non esse automata, sed vita gaudere; 2° vitam, qua gaudent, esse sentientem, non vero intelligentem. Principio belluas non esse automata, sed vita pollere certo certius est. Nam, si essent automata, secundum certas, immotasque leges naturae moverentur. Atqui belluas non moveri secundum immotas leges naturae continuis, luculentisque experimentis demonstratur. Belluae igitur non sunt automata. Minorem probare satis est ex praecipua lege motus, quae huiusmodi est: *Corpus in motu positum perseverat eadem velocitate, atque in eadem directione, nisi ab externa aliqua causa aut cohibeatur, aut in alias partes determinetur*. Haec enim, si ad actiones, quas in belluis conspicimus, accommodetur, falsa ex utraque parte est.

Enimvero 1° bruta saepe a quiete ad motum, vel a motu ad quietem, iisdem causis exterioribus perseverantibus, transeunt. Exempla ad hanc rem opportuna Genuensis attulit: « Ostende iacenti cani corpus pani simile; surget, accedet, oculisque, naribus, aut etiam gustu impostura deteget: itaque recumbet iterum. Tu ei recumbenti iterum ostende, fortassis et secunda hac vice surget. At, detecta fraude, si centies ostendes, ne aures quidem quatiet; oculos etiam avertet: dormitabit postremo ». Subdit: « Saepe cum fele, quam domi habeo, ludere soleo. Sunt feles oris tactus delicatissimae: itaque cibos vel mediocriter calidos declinant. Huic igitur feli frustulum assi piscis, cuius sunt illae gulosissimae, sed pene urens ostendo: ea accedit, ori admovet: murmurans, saltitansque domum circumcursat. Voco parum post, efficio idem; illa eadem. Ergo recta in coquinam. Ego vehementius illam, blandidiusque revoco; ea graviter, seroque ad conclavis ostium se confert, ostendo piscem: lente intuetur: moratur parumper: hinc oculos avertit, caputque: in coquinam redit [1] ».

2° Pleraeque belluae, dum maxima pernicitate currunt, repente consistunt, vel de via deflectunt, si aut viderunt aliquid, aut audierunt. Ita canes, equi, lepores, et aliae belluae pernicissimae, si in aquam, vel rupem, vel profundiorem aliquam scrobem, vel animal infestum incidunt, statim consistant, aliamque viam, interdum oppositam ingrediuntur: itemque grues, anseresque, aliaeque aves, dum turmatim volitant, audito tenui sibilo, vel voce hominis, velocissimum suum cursum alio detorquent. Iam nemo non videt hasce omnes brutorum motiones neque a rupe, aqua, aut scrobe, quae ipsis obiiciuntur, neque a sibilo, aut voce hominis posse produci, quia nulla inter haec omnia, et motiones illas proportio existit. Ergo motiones brutorum praecipuae legi motus, diximus, haud subiiciuntur.

222. Iam, quoniam res ita se habet, necesse est, ut illas a vi ipsis in-

---

[1]) Dissert. *De Anima brutorum*, § 4, *Elem. met.*, t. III, p. 317, et 318, Bassani 1779.

sita, sive a principio activo intrinseco repetamus, ideoque spontaneas, non vero mechanicas dicamus [1]. Id analogiae argumento, ut idem Genuensis scite advertit, mire comprobatur. Nos enim in belluis motiones conspicimus illis omnino similes, quas in nobis spontaneas vocamus. Eaedem in ipsis, ac in nobis, sunt capitis commotiones, eaedem oculorum conversiones, eaedemque, ne cuncta persequamur, pedum elevationes, tensiones, et contractiones; atque hae easdem ob causas in nobis, ac in ipsis fiunt. Atqui huiusmodi motiones in nobis esse spontaneas indubium est. Ratum igitur, indubiumque sit oportet illas in brutis quoque esse spontaneas [2].

223. Obii. Cartesiani: Illa hypothesis non modo non reiicienda, sed amplectenda est; quae et nihil incommodi habet, et exitialibus erroribus vitandis inservit. Atqui hypothesis de automatismo animalium 1° nihil incommodi habet, quia Deus potuit automata condere illis motionibus efficiendis idonea, quas in belluis conspicimus; 2° exitialibus erroribus vitandis inservit, quia viam obstruit errori Materialistarum, et Incredulorum, qui animam humanam a belluina non discriminant. Ergo etc.

224. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min.* quod ad utramque partem *Neg. cons.* Quod ad primam minoris partem attinet, Deus non potuit illa automata condere, qualia belluas esse Cartesius obganniit. Et sane Deus, quamvis omnipotens sit, non potest naturas rerum, quas condidit, mutare, quin ipsas res destruat, quia quaelibet res per suam essentiam, seu naturam constituitur. Atqui Deus, si automata, quae Cartesius commentus est, crearet, naturas rerum mutaret. Nam natura cuiuslibet rei fons, et principium est operationum eius [3]; operationes autem, quas in belluis observamus, ut modo ostendimus, eiusmodi sunt, ut naturae automati cartesiani omnino repugnent. Ergo Deus automata, qualia Cartesius belluas esse contendit, condere non potuit. Quod vero spectat ad alteram partem minoris, hypothesis cartesiana *de automatismo animali* tantum abest, ut viam materialismo obstruat, ut latam, planamque non solum materialismo, sed etiam scepticismo sternat. Prima ducit ad materialismum; nam, si operationes belluarum, uti a coëvis Cartesii adversariis observatum fuit, per solas leges mechanicas explicari posse dicantur, Incredulis datur ansa explicandi iisdem legibus actiones hominis; nec aliud discrimen statuendi inter hominem, et belluam, quam quod inter automatum magis perfectum,

---

[1]) « Sua sponte (bruta) aliquid faciunt »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 2 ad 1.

[2]) His permotus s. Augustinus docuit in musca, licet exigui corporis, aliquod principium vitae agnoscendum esse, quod *huc, atque illuc . . . tantillum corpus ducat*, quod *currentis pedes in numerum moveat*, quodque *volantis pennulas moderetur, ac vibret*. Vid. *Lib. de duab. animab. contr. Manich.*, c. 4, n. 4.

[3]) Cf *Ontol.*, c. II, a. 5, p. 42, et 43.

et automatum minus perfectum intercedit. Re vera, Lammetrius in impio suo opere: *Homo-machina*, argumentis, quae Cartesius ad automatismum belluarum evincendum attulit, usus est, ut hominem non esse aliud, nisi quamdam machinam demonstraret [1]. Secundo ducit ad scepticismum; si enim opinio de anima belluarum, quae argumentis adeoclaris patescit, tantaque hominum consensione obfirmatur, erroris redarguitur, nulla superest veritas, quae in dubitationem adduci nequeat. Hinc Bayleus, cum, scepticismi insinuandi gratia, valida declarasset argumenta Cartesii, nulli veritati in posterum fidendum esse inde conclusit [2]. Contra ea, si brutis concedatur, qualis ipsis, ut mox ostendemus, re ipsa est concedenda, anima non rationalis, sed sensitiva tantum, nullum periculum erit animam humanam cum belluina confundendi, quia anima, quae est dumtaxat sensitiva, ab anima, quae est etiam rationalis, specie differt.

225. Hactenus vidimus animam inesse brutis; nunc investigemus oportet, cuiusnam speciei ipsa sit. Inter illos, qui animam inesse brutis tuentur nemo contendit ipsam esse dumtaxat vegetativam, sed, cum omnes animam belluinam esse principium vegetativum fateantur, acriter disputant, utrum sit principium dumtaxat vegetativum, et sensitivum, an etiam intellectivum. Haec quaestio omnino, et luculenter solvi non potest, nisi instituto accurato examine actionum, quas belluae exerunt. Et sane quoniam principium vitale belluarum per se, seu *immediate* nobis non innotescit, natura eius ex suis actionibus investiganda nobis est, quia, ut in *Dynam. gener.* ostendimus, cognitio actionum ad cognitionem facultatum, a quibus exeruntur, et cognitio facultatum ad cognitionem naturae principii, seu subiecti, a quo *resultant*, tuto ducit. At, ne nostra argumentatio nimis longa, et implexa evadat, hoc in loco quibusdam argumentis generalibus ostendemus animam belluarum non esse rationalem, sed tantum sensitivam; in sequenti autem articulo, in quo singulas actiones belluarum recensebimus, ex his opinionem aristotelico-scholasticam, quam tuemur, mirifice confirmari perspiciemus, simulque veram explicationem *factorum*, a quibus adversarii ad animam rationalem belluis concedendam permoti sunt, dabimus.

226. Atque, ut ab argumentis generalibus ordiamur, animam brutorum esse sensitivam anatome ipsorum luculenter commonstrat. Ipsa enim edocemur bruta iisdem externis internisque organis instructa esse, quae vitae sensitivae hominis cum exteriori, tum interiori inserviunt. Atqui « organa, ut scite s. Thomas advertit, sunt propter potentias [3] ». Nam Deus, qui corpus vivum condidit, nihil

---

[1]) Lammetrie, *L'Homme-Machine*, Leyde 1748.

[2]) *Diction.*, art. cit.

[3]) I, q. LXXVIII, a. 3 c. « Ideo natura, ait ibidem, instituit diversitatem in organis, ut congruerent diversitati potentiarum ».

frustra in eo moliri potuit; frustranea autem in brutis organa sensoria forent, nisi sensationibus inservirent [1]. Ergo in belluis facultates sentiendi sunt.

227. Huic argumento analogico, quod a structura organica brutorum hausimus, lubet adiicere aliud argumentum analogicum ductum ab actionibus illorum, quippe quod bruta actiones exerunt illis similes, quas facultates sentiendi in nobis gignunt. « Cuiusvis pecoris anima, s. Augustinus ait, quomodo regit molem suam! sensus omnes exserit, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad percipiendum odorem, oris iudicium ad sapores discernendos, membra denique ipsa ad peragenda officia sua. Numquid haec corpus, et non anima, idest, habitatrix corporis agit? [2] » Quin etiam, ut idem Doctor advertit, nonnulla bruta in aliquo genere operationum, quas sensitivas dicimus, exercendo hominibus longe excellunt. « Quae (bestiae), subdit, nos et acrimonia sensuum, et motu facillimo atque celerrimo, et valentia virium, et annosissima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo aequabitur aquilis, et vulturibus? Quis odorando canibus? Quis velocitate leporibus, cervis, avibus omnibus? Quis multum valendo leonibus, et elephantis? [3] »

228. Quod si certum est animam belluinam esse vi sentiendi praeditam, certum, immo certo certius est ipsam esse rationis expertem [4]. Et sane, si bruta, perinde ac homines, ratione pollerent, in cognitione eorum, quae sibi utilia, aut noxia sunt, adquirenda, rationis investigatione, et institutione sociali, perinde ac homines, progrederentur. Atqui bruta, uti advertit s. Thomas, *non ex propria inquisitione* [5], et *sine hoc, quod ab aliis doceantur* [6], utilia a noxis discriminant, quia statim ac in lucem eduntur, ea, quae sibi consentanea

---

[1]) « Quid enim, aiebat Tullius, pedibus opus est sine ingressu? Quid naribus, si nihil comprehendendum? Quid reliqua descriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est? Itaque nulla ars imitari solertiam naturae potest »; *De nat. Deor.*, lib. I, c. 31.

[2]) *In Ioann. c. II*, tract. VIII, n. 2. Cf *in Psalm. XXIX*, Enarr. II, n. 3.

[3]) *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 15. Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 8, p. 273, not. 2.

[4]) Haec concors fuit doctrina veterum Patrum Ecclesiae, qui haereticos rationem belluis tribuentes vehementer redarguerunt. Cf s. Basil., *Homil.* VIII *in Hexaëm.*, n. 2; s. Greg. Nyss., *De Opificio hominis*, c. 30; s. Ambros., *Hexaëm.*, lib. VI, c. 4, n. 21 sqq; s. Ioan. Chrys., *Homil.* IV *in Act. Apost.*; s. August., *De Trin.* lib. X, c. 4; *Contr. Adim.*, c. 12; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 27; *De Gen. ad litt.*, lib. XI, c. 2, et alibi.

[5]) « Animalia bruta in sui principio accipiunt naturalem aestimationem ad cognoscendum nocivum, et conveniens, quia ad hoc ex propria inquisitione pervenire non possunt. Homo autem ad haec, et multa alia potest per rationis inquisitionem pervenire »; *Qq. dispp., De Verit.*, q. XVIII, a. 7 ad 7.

[6]) « Alia animalia non prosequuntur conveniens, et fugiunt nocivum per rationis deliberationem, sed per naturalem instinctum aestimativae virtutis . . .; unde . . . etiam sine hoc quod ab aliis doceantur »; *In lib. II Sent.*, Dist. XX, q. II, a. 2 ad 5.

sunt, sectantur, atque ea, quae contraria, vitant. Ergo bruta ratione non pollent.

229. Frid. Cuvierius, et post alios Flourensius non inficiantur has, quas innuimus, operationes brutorum non esse intellectivas, sed contendunt, praeter huiusmodi operationes, quas belluae initio *per instinctum* exercent, alias ab eis operationes fieri, quae quamdam intelligentiam in ipsis inesse aperte demonstrant. Verum hi 1° nobis concedunt bruta ex cognitione instinctiva exerere multas operationes, quas homines nonnisi ratiocinatione, nempe experientia, quae observationi, et rationi innititur, atque institutione sociali adiuti exerunt. Atqui, si bruta ratione, perinde ac homines, pollerent, cognitio in ipsis eadem, ac in hominibus, methodo perficeretur, quia ratio eodem modo in utrisque sese evolvere, ac explicare deberet. Ergo, si belluae cognitione instinctiva multas operationes exserunt, quas homines nonnisi cognitione rationali, et institutione sociali exercent, belluas rationis, qua homines pollent, expertes esse dicendum est. 2° Operationes brutorum, quae, iudice Cuvierio, aliisque, quamdam inesse brutis intelligentiam commonstrant, per cognitionem instinctivam commode explicantur. Nos id inferius ostendemus, cum singulas operationes brutorum recensebimus: in praesentia illud dumtaxat advertimus, id ex ipsa theoria Cuvierii posse evinci. Nam, si bruta, statim ac nascuntur, ex cognitione instinctiva exerunt multas operationes, quas homines, nonnisi ope rationis, et institutione sociali opitulante, exerunt, operationes, quas deinceps exercent, quasque Cuvierius, aliique cum eo ab intelligentia repetunt, non aliud esse posse, nisi evolutionem, perfectionemque cognitionis instinctivae dicendum est [1].

230. Ceterum nobis alia suppetunt argumenta, quibus nullas esse in belluis operationes intellectivas luculentissime demonstratur. Enimvero, ut praeclare argumentatur s. Thomas, si belluae ratione pollerent, nec semper operarentur idem, nec omnes operarentur simili modo. Certe non operarentur idem: quia, cum obiectum rationis non sit aliquod particulare determinatum, sed universale, et indeterminatum, ratio non cogitur ad aliquid determinatum, sed circa multa, atque opposita versatur. Neque omnes idem semper operarentur: quia, cum rationem libertas consequatur, ipsae pro libero intellectus sui iudicio operationes suas diverso modo exererent. Id in animalibus, quae ratione pollent, nempe in hominibus, conspicimus; hi enim multa, diversaque agunt, neque ea, quae agunt, simili modo agunt [2].

---

[1]) Re vera instinctum, seu industriam naturalem in belluis ex diversis mediis perfici s. Thomas luculenter monuit. « Dicendum, ait, quod etiam alia animalia non habent ita perfectum usum industriae naturalis statim a principio, sicut postea. Quod ex hoc patet, quod aves docent volare pullos suos, et similia in aliis generibus animalium inveniuntur »; I, q. CI, a. 2 ad 2.

[2]) Cf vol. I, *Dynam.*, c. IV, art. 1, p. 372, et art. 5, p. 402.

Atqui belluae, ut cuique experientia compertum est, idem semper operantur [1], cunctasque suas operationes similiter exerunt [2]. Ergo belluae rationis expertes sunt.

231. Ex his intelligitur belluas non esse ullius progressus, perfectionisque capaces. Nam, si ipsae ad quasdam operationes exercendas naturaliter determinantur, et quae unius speciei sunt, illas similiter exercent, sane nec singulae operationes suas in dies perficere valent, nec unaquaeque species ex variarum aetatum successione quidquam progredi potest. Hoc experientia comprobat. Nos enim videmus belluas toto vitae curriculo easdem operationes edere, eumdemque modum in illis edendis tenere; atque ex historiis animalium identidem conscriptis discimus species brutorum, quae in praeteritis aetatibus observatae sunt, easdem operationes, eodemque modo, ac illas, quas nunc conspicimus, exercuisse. Atqui, si bruta ratione praedita essent, procul dubio et singula operationes suas in dies perficerent, quia hoc proprium est naturae cognoscentis, quae a noto ad ignotum discurrit, nempe naturae rationalis; et unaquaeque species ex singulorum progressu sensim perficeretur; haec enim duo hominibus accidere videmus. Ergo ratum sit bruta ratione carere [3].

232. Accedit quod, concessa brutis ratione, nihil certe vetat, quin loquela, quae, aiente s. Thoma, « est proprium opus rationis [4] », eis

---

[1]) « Bruta habent iudicium ad aliquid opus determinatum, et non ad omnia, sicut apes non habent industriam ad faciendum aliquid aliud opus, nisi favos mellis, et similiter de aliis animalibus »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c. Cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 66, n. 1.

[2]) « Ex determinatione naturae actus suos (bruta) exercent, non autem ex propria determinatione agentis, unde omnes eiusdem speciei similes operationes faciunt, sicut omnis aranea similiter facit telam, quod non esset, si ex seipsis per artem operantes sua opera disponerent; et propter hoc non est in eis liberum arbitrium »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 2 ad 7.

[3]) Flourens, ut se ab hac difficultate expediret, contendit belluas in suis operationibus nec progredi, nec esse progressus capaces, non quia ratione destituuntur, sed quia ratio in ipsis a reflexione seiungitur, et Buffonum, aliosque reprehendit, eo quod quamdam reflexionem eis tribuit (*Op. cit.*, part. I, p. 63-65, ed. cit.). Sed nos Flourensio reponimus reflexionem facultatem intelligendi necessario concomitari; quare, si belluae facultate reflectendi carent, ratio ipsis inesse nequit. Buffono autem, aliisque, qui vim reflectendi belluis concedunt, sed ipsas ratione carere asserunt, eadem ex causa respondemus vel negandam esse belluis reflexionem, vel concedendam eis quoque esse rationem. Qui denique belluas utraque pollere volunt, illis argumentis refutantur, quibus belluas intelligentia carere evincitur. Ceterum belluas non pollere vi reflectendi vel ex hoc intelligi potest, quod, si ipsae super se reflecterentur, vires suas omnino cognoscerent. Atqui, si belluae suarum virium cognitione gauderent, procul dubio servitutem, saepe durissimam, homini minime exhiberent, atque illae, quae hominem viribus longe praestant, sese ab infante circumduci, duris laboribus adstringi, vexarique non sinerent.

[4]) I, q. XCI, a. 3 ad 3.

concedatur, quia pleraque eorum organis ad voces edendas opportunis instruuntur [1]. At bruta sermone inter sese uti nemo eorum, qui serio philosophati sunt [2], hactenus asseruit. Bruta enim, ut s. Thomas post Aristotelem [3] monuit, habent quidem signa naturalia, quorum ope affectiones suas secum invicem communicant [4], sed ea a perfectione sermonis longe distant, quia a brutis eduntur naturali instinctu, non autem ea mente, ut affectiones suas aliis manifestent [5]. Qua in re ipsum Flourensium [6], aliosque, qui naturam belluinam magis extollere, quam deprimere videntur, consentientes habemus [7].

233. Itaque belluae nulla vi intelligendi pollent. « Animae bestiarum, ait s. Augustinus, vivunt, sed non intelligunt [8] ». Sed de anima sentiente belluarum satis [9]; ad harum operationes enumerandas progrediamur.

ARTICVLVS SECVNDVS

Praecipuae belluàrum operationes recensentur

234. Operationes belluarum exposituri, praemonemus nos hic agere de belluis perfectis, seu de belluis, in quibus vis sentiendi, quantum illarum natura fert, tota evolvitur. Sunt enim, quemadmodum inferius dicemus, quaedam species belluarum, quae, cum ad plantas proxime

---

[1]) Hoc consectarium Montanus (Montaigne, loc. cit.) post nonnullos antiquos (vid. Porphyr., *Op. cit.*, lib. III, p. 56, Romae 1630) lubenter admisit. Immo Dupontius eo usque progressus est, ut se sermonem brutorum intelligere gloriaretur. Hinc gallice vertit *Cantus philumelae* (Dupont, *Quelques mémoires de différents sujets, la plus part d'histoire naturelle* etc., p. 231 sqq, Paris 1813), atque ibidem *Lexicon corvorum* compilavit.

[2]) *Serio* inquimus, quia iocularis videtur esse liber, quem P. Boujeant evulgavit hoc titulo: *Amusement philosophique sur le langage des bêtes*, Paris 1739.

[3]) *Hist. anim.*, lib. IX, c. I, § 1, ed. Didot.

[4]) « Bruta habent valde paucos conceptus, quos paucis naturalibus signis exprimunt »; *Qq. dispp., de Ver.*, q. IX, a. 4 ad 10. Cf s. August., *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 2, n. 3.

[5]) « Etsi bruta animalia aliquid manifestent, non tamen manifestationem intendunt; sed naturali instinctu aliquid agunt, ad quod manifestatio sequitur »; 2^a 2^{ae}, q. CX, a. 1 c. Cf *In lib. I Periherm.*, lect. II.

[6]) *Op. cit.*, p. 64.

[7]) Vid. Martin, *Phil. spirit.*, part. II, c. 28, t. II, p. 235; Bouillier, *Hist. de la Phil. cartes.*, c. 7, t. I, p. 155.

[8]) *De Trin.*, lib. X, c. 4, n. 6. « Cum his (*pecoribus*), alibi inquit, non habemus rationis aliquam societatem »; *Contr. Adimant.*, c. 12; cf *Enarr. in Ps. XCIX*, n. 5.

[9]) Dignus est, qui prae caeteris legatur Bossuet, *De la connaissance* etc., c. V, quod inscribitur: *De la différence entre l'homme, et la bête*, p. 166-204; *Oeuvr. phil.* ed. De Lens, Paris 1843.

accedant, proindeque infimo sensitivae vitae gradu polleant, perpaucas operationes vitae sensitivae exercent [1].

235. Iam certum est bruta perfecta cunctis facultatibus sentiendi, quas in homine nacti sumus, gaudere, licet nonnullae facultates aliter in illis, ac in isto, exerceantur. Id demonstrare nobis licet cum *a priori*, hoc est, ex eo quod natura animae belluarum, quemadmodum vidimus, est sentiens, tum *a posteriori*, hoc est, ex eo quod operationes in belluis conspicimus, quae ad cunctas illas facultates pertinent.

236. Et primo, dubium nemini esse potest, quin belluae quinque sensus exteriores habeant, tum quod ipsae quinque organis instruuntur, quae in homine illorum exercitationi inserviunt, tum quod sensibilitas externa, ut vidimus [2], per quinque modos specie differentes exercetur, qui quinque facultates expostulant. Quandoquidem autem sensationes cum perceptionibus rerum sensilium connectuntur [3], liquet belluas perceptione rerum sensilium gaudere.

237. Praeterea « cognitio sensitiva, ut s.Thomas inquit, . . . in animalibus ordinatur ad corporis sustentationem, quia per huiusmodi cognitionem . . . animalia vitant nociva, et conquirunt ea, quae sunt necessaria ad corporis sustentationem [4] ». Atqui ad vitam animalis sustentandam, praeter sensus exteriores, quorum ope animal species rerum sensilium in se excipit, expostulantur sensus interiores, nempe *sensus communis*, quo animal ipsas sensationes sensuum exteriorum, earumque differentias cognoscit, *phantasia*, qua imagines rerum perceptarum retinet, easque sibi repraesentat, *aestimativa*, qua res perceptas utiles, aut noxias apprehendit, denique *memoria*, qua res praeteritas reproducit, et agnoscit [5]. Ergo bruta, quoniam vita sensitiva gaudent, non modo quinque sensibus externis, sed etiam quatuor internis instructa esse pro certo habendum est. Quod si bruta cognitione sensitiva gaudent, inesse quoque ipsis appetitum sensitivum oportet, quippe quod animal, ut suo loco diximus, in id, quod sibi utile apprehendit, inclinat, et ab eo, quod noxium sibi cognoscit, naturaliter declinat [6]. Denique animalibus, quae perfecta vita sensitiva gaudent, opus est locomotione; ipsa enim « multis indigent ad suam vitam, et ideo indigent motu, ut vitae necessaria procul posita quaerere possint [7] ».

---

1) Apposite s. Thomas: « quaedam animalia sunt plantis propinquissima, ut immobilia, quae habent solum tactum »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 7 c. Cf *De Mem. et Rem.*, lect. 1.

2) Vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 2, p. 242.

3) *Ibid.*, art. 5, p. 255.

4) 2ª 2ae, q. CLXVII, a. 2 c.

5) Cf s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 4 c., et *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 13 c.

6) Cf s. Thom. *Qq. dispp., De Ver*,, q. XXIII, a. 1 c.

7) Cf s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 1 c.

238. Quae hactenus *a priori* evicimus, observatione comprobantur. De sensationibus externis res apud omnes in confesso est. Id quodammodo ipsi Cartesiani fatentur; hi enim non negant belluas operationes edere, quas nos visui, auditui, gustatui, odoratui, et tactui tribuimus, licet illas a motibus physicis, et mechanicis repetant. Nec de sensu communi est dubitandum, quippe quod si belluae sensationes suas, earumque differentias non sentirent, utilia a noxiis discriminare non possent; ast haec ab eis, ut vidimus [1], reapse discriminant.

239. Phantasticas vero operationes exercere vel sola illorum somnia, quae Lucretius eleganter descripsit, apertissime produnt [2]. Actiones autem memoriae valde perspicuae ipsis sunt. « Puto te, s. Augustinus scribit, negare non posse, bestias habere memoriam. Nam et nidos post annum ravisunt hirundines, et de capellis verissime dictum est: *atque ipsae memores redeunt in tecta capellae*. Et canis heroem dominum iam suis hominibus oblitum recognovisse praedicatur. Et innumerabilia, si velimus, animadvertere possumus, quibus id, quod dico, manifestum est [3] ». Quin etiam bestiae, observante s. Basilio, domino suo aberrante, quandoque iter commonstrant. « Novit, inquit, familiarem et consuetam vocem asinus: iter, quod saepius ambulavit, cognovit; immo vero nonnumquam dux fuit homini aberranti [4] ». Nec facultatis, quae *aestimativa* dicitur, belluae expertes sunt, quippe quod ipsae « internoscunt, ut Genuensis verba usurpemus, inter utilia et noxia, amica et infesta. Ex voce, sibilo, strepitu, odore obiecta discernunt; ab incessu quandoque iudicant, in eoque homine ipso sunt sagaciora. Canes, equi, elephantis voces internoscunt; iis auditis, de obiectis, quae nondum videre, praeiudicant; ea esse amica, aut inimica praesciunt. Nam, si amica fuerint, toti se comparant, ut blande, amiceque excipiant; contra vero si inimica praesagiant, exasperantur, seque ad proelium veluti accingunt, in aciem, si res ferat, prodituri [5] ».

240. Non sunt minus levia, et frequentia in belluis appetitus sensitivi indicia. Etenim ipsae cibos, et ea, quae vitae sunt necessaria, assequi nituntur; ea, quae sibi noxia sunt, cavent [6]; obstacula, quibus

---

[1]) Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, art. 6, p. 257.

[2]) Lib. IV; cf *Dynam.*, ibid., art. 7, p. 263.

[3]) *De Mus.*, lib. 1, c. 4, n. 8. Cf *De quant. anim.*, c. 26; *De Gen. ad litt.* lib. III, c. 8. Vid. *Dynam.*, ibid., art. 9, p. 274. Sed iam advertit sanctus Doctor non esse belluis memoriam intellectivam: « Memoriam non rerum intelligibilium, sed harum corporearum et bestiae habere sentiuntur » ; *Contr. Epist. Fundam.*, c. 17.

[4]) *Hexaëm.*, Hom. VIII, n. 1, ed. cit. Id sibi quinquenni canem praestitisse narrat Genuensis in *Dissert.* cit., § 10, p. 327, ed. cit.

[5]) *Dissert.* cit., ibid., Cf *Lynam.*, ibid., art. 8, p. 270 vol. I.

[6]) Bruta non solum sensibilia appetere, sed etiam iis quodammodo *frui* s. Augustinus asseruit: « Frui quidem cibo, et qualibet corporali voluptate non adeo absurde exstimantur et bestiae » ; *Qq. LXXXIII*, q. XXX.

boni sibi convenientis adeptio, aut possessio impeditur, a se amoliri conantur [1].

241. Denique motiones locales ad aliquid assequendum, vel fugiendum a brutis effici, easque secundum diversam membrorum dispositionem, ex qua ipsarum vis executrix pendent, variare perpetuis experimentis discimus.

242. Ex his, quae diximus [2], haud difficile est explicare illas actiones brutorum, ob quas non pauci Philosophi, et Physici conscientiam, intelligentiam, ipsumque liberum arbitrium, immo habitus, et mores eis tribuunt. 1° Belluae, quippe quae intelligentia destituuntur, conscientiam suipsius, suarumque actionum, secus ac Buffonus voluit, certe non habent, quia proprium est naturae intelligentis ita super se reflecti, ut se ipsam cognoscat; unde s. Hilarius scripsit, quod belluae « extra rationem consilii providentis animatae, ipsum, quod agunt, nesciunt [3] ». Nihilominus, quoniam sensu communi pollent, quamdam, aiente s. Thoma, inchoatam, imperfectamque reflexionem [4] habent, quam iamdiu s. Augustinus innuerat his paucis: « . . . bestia non moveret se aut aliquid appetendo, vel fugiendo, nisi se sentire agnosceret [5] ».

2° Belluas iudicia conficere ultro fatemur, nam per sensus de sensibilibus propriis [6], et per aestimativam de bono prosequendo, et de malo vitando [7] iudicare valent. Ast haec iudicia nullo modo *comparativa*, sed *instinctiva* esse iam a nobis ostensum est [8]. Quoniam vero instinctus est animali naturalis, s. Thomas iudicia, quae a belluis fiunt, *naturalia* merito vocavit [9], docuitque illa « esse determinata ad hoc, quod id, quod uno modo proponitur, vel occurrit, eodem modo accipiatur, vel fugiatur [10] »; unde belluae, illorum ope, aliquid quidem verum, sed non prout verum est, cognoscunt [11]. Quod si iudicia bestiarum sunt instinctiva, operationes, quae illa consequuntur, ex

---

1) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXV, a. 2 c.

2) Haec paucis complectitur s. Augustinus: « Qui (Deus) et animae irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum; rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem »; *De Civ. Dei*, lib. V, c. 11.

3) *De Trinit.* lib. IX, c. 59, ed. Maur., Parisiis 1693.

4) *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 9 c.

5) *De lib. arb.* lib. II, c. 4, n. 10.

6) Cf vol. I, *Criteriol.*, c. I., art. 2, p. 564.

7) Cf vol. I, *Dynam.*, c. II, a. 8, p. 272.

8) Vol. I, *Dynam.*, c. III, art. 8, p. 338-340.

9) *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c.

10) *Ibid.*, art. 2 ad 7. « Hoc iudicium, inquit (*ibidem*, a. 2 c.), est eis ex naturali aestimatione, non ex aliqua collatione, cum rationem sui iudicii ignorent, propter quod huiusmodi iudicium non se extendit ad omnia, sicut iudicium rationis, sed ad quaedam determinata ».

11) « Animalia bruta bene cognoscunt aliqua vera, puta hoc dulce, sed non veritatem huius propositionis: hoc est verum, quia hoc consistit in adaequatione huius

instinctu, non vero ex aliqua intelligendi vi fieri dicendae sunt [1]; quare s. Basilius observavit bestias *naturali propensione*, atque *inconsiderate* ea efficere, quae homines *rationis ope*, et *assidua mentis consideratione* praestant [2]. Denique advertendum est iudicia brutorum, quippe quae sunt naturalia, a Deo, omnium naturarum auctore, ipsis indita esse [3]; indeque fieri, ut brutorum operationes quamdam rationis similitudinem praeseferant [4].

---

intellectus ad rem, quod non possunt facere bruta »; *Expos. aurea in David Psal. 35.*

[1]) « Intellectualis actionis nullum animal aliquid participat » (*Contr. Gent.* lib. III, c. 81). Hoc iam s. Augustinus observaverat, quippe qui ait: « Multa mira ante oculos nostros de apibus vera sunt, longe tamen ab huiusmodi irrationabilium animantium, quamvis mirabili sensu, distare rationem, quae non hominibus, et pecoribus, sed hominibus, angelisque communis est » (*De gestis Pelagii*, c. VI, n. 18). Ex locis s. Augustini, quae hactenus exscripsimus, luculentissime patescit Tissotum mire deceptum fuisse, quod putavit sanctum Doctorem cartesiano belluarum automatismo praelusisse (Tissot, *La vie dans l'homme*, Part. II, c. 6, Paris 1861). Nec quidquam ad hoc probandum valent loca, quae ex duobus libris *De cognitione vitae*, et *De spiritu, et Anima* attulit (*ibid.*); hos enim duos libros eruditi s. Augustino iamdiu abdiudicarunt (vid. Append. ad *Opp.* s. August., t. VI, ed. PP. Maur., Parisiis 1685). Andreas Martin sub larvato *Ambrosii Victoris* nomine s. Augustinum animam brutis verbo concessisse non negavit; verum totam, quanta est, eius philosophiam automismo belluarum favere pertendit (*Philosophia Christ., seu s. Augustinus de philosophia universim*, t. VI, qui *s. Augustinus de anima bestiarum* inscribitur, Parisiis 1671). Malebranchius huic sententiae Martinii, cuius discipulus fuerat, lubenter plausit, eamque ex eo probari putavit, quod sanctus Doctor omnem vim rebus creatis ademit (*De inquir. verit.*, Illustr. ad lib. VI, Pars II, c. 3, p. 331-333, ed. cit.). At quam falsum sit s. Augustinum res creatas omni vi activa expoliasse ex placitis sancti Doctoris, quae in hoc opere exponuntur, abunde patescit.

[2]) *Homil. in illud* « Attende tibi ipsi », n. 2.

[3]) « Bruta . . . sequuntur iudicium sibi a Deo inditum »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c.

[4]) « Dicendum, quod bruta animalia habent instinctum naturalem ex Divina ratione eis inditum, per quem habent motus interiores, et exteriores similes motibus rationis » (1ª 2ae, q. XLVI, a. 4 ad 2). Haec autem similitudo in eo posita est, quod bruta « habent principium ordinatum de aliquibus », eaque ex ipsa rerum mundanarum connexione expostulatur, « secundum quod natura inferior attingit aliqualiter ad id, quod est naturae superioris » (*Qq. dispp., De Ver.*, q. XXIV, a. 2 c.). Exinde sanctus Doctor rationem exponit, qua bruta quamdam *prudentiam participare*, et *futura praecognoscere* dicuntur. Quod ad prudentiam attinet, ita inquit: « Ex hoc contingit, quod in operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates, in quantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, utpote a summa arte ordinatos. Et propter hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia, non quod in eis sit aliqua ratio, vel electio; quod ex hoc apparet, quod omnia, quae sunt unius naturae, similiter operantur » (1ª 2ae, q. XIII, a. 2 ad 3; cf I, q. XCVI, a. 1 c.). Quod ad *futurorum praecognitionem* attinet, sane « quaedam animalia praecognoscunt quaedam futura, secundum quod est necessarium ad eorum sustentationem, sicut pisces tempestatem futuram motibus suis praenuntiant, dum de loco ad locum moventur, et similiter etiam in formicis, et multis

3° Ex his intelligitur in brutis non esse appetitum liberum, sed necessarium. Namque appetitus iudicium sequitur: atqui iudicium brutorum est necessarium; ergo appetitus eorum quoque necessarius sit oportet. Hinc, sicut iudicia, ita appetitus, qui iudicia sequuntur, *secundum naturam* fieri, seu *naturales* esse s. Augustinus edixit [1]. Quod si actiones belluarum necessariae sunt, nullum meritum, et demeritum, ut nonnulli obganniunt, in ipsas cadere potest [2].

4° Si nomen *habitus* proprie accipiatur, in brutis nulli habitus inveniri queunt. Namque, cum habitus proprie sumti ratione comparentur [3], in belluis effórmari non possunt, quia « vires sensitivae, ut ait s. Thomas, in brutis animalibus non operantur ex imperio rationis [4] ». Verum, quoniam in illis viribus sunt quaedam dispositiones, quae ad brutorum naturam pertinent, possunt hae ita ab hominibus excoli, ut quamdam habituum speciem prae se ferant [5]. « Sed quia, subdit idem Aquinas, bruta animalia a ratione hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad aliquid operandum sic, vel aliter, hoc modo in brutis animalibus habitus quodammodo poni possunt; unde Augustinus dicit in lib. 83 Qq., 36, quod videmus immanissimas bestias a maximis voluptatibus abstinere dolorum metu; quod cum in earum consuetudinem vertitur, domitae, et mansuetae vocantur. Deficit tamen ratio habitus quantum ad usum voluntatis, quia non habent dominium utendi, vel non utendi; quod videtur ad rationem habi-

---

aliis animalibus » (*In lib. II Sent.*, Dist. VII, q. II, a. 2 ad 6). At vero « ex instinctu naturali movetur animal ad aliquid futurum, ac si futurum praevideret; huiusmodi enim instinctus est eis inditus ab intellectu Divino praevidente futura » (1ª 2ae, q. XL, a. 3 ad 1). Alibi: « Dicendum, quod sicut animalia cognoscunt rationem convenientis, et nocivi non per inquisitionem rationis, ut homo, sed per instinctum naturae, qui dicitur aestimatio, ita etiam cognoscunt aliquid, quod futurum est, sine hoc, quod cognoscunt rationem futuri, non conferendo praesens ad futurum, sed ex instinctu naturali, sicut quando agunt aliquid ad praecavendum de futuris »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXVI, q. I, a. 1 ad 4. Cf *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XII, a. 3 ad 19.

[1]) « Aliqua faciunt secundum naturam suam, cum quid vel appetunt, vel evitant » (*De Civ. Dei*, lib. IX, c. 9). Explicatius s. Thomas: « Quia iudicium eorum est determinatum ad unum, per consequens et appetitus, et actio ad unum determinatur, unde aguntur passionibus, quia scilicet naturaliter de tali viso, et de tali passione sic iudicant; unde necesse habent ab ipsa visione alicuius rei, vel a passione insurgente moveri ad fugiendum, vel prosequendum: sicut ovis, viso lupo, necesse habet timere, et fugere, et canis, insurgente passione irae, necesse habet latrare, et prosequi ad nocendum. Sed homo non necessario movetur ab his, quae sibi occurrunt, vel a passionibus insurgentibus, quia potest ea accipere, vel refugere; et ideo homo est liberi arbitrii, non autem bruta »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 2. Cf 1ª 2ae, q. XIII, a. 2 ad 2. Vid. vol. I, *Dynam.*, c. IV, art. 5, p. 402.

[2]) Cf *Dynam*, ibid., art. 6, p. 406.

[3]) Cf *Dynam.*, c. VI, art. 2, p. 436.

[4]) 1ª 2ae, q. L, a. 3 ad 2.

[5]) Cf *Dynam.*, loc. et p. cit. not. 6.

tus pertinere. Et ideo, proprie loquendo, in eis habitus esse non possunt [1] ».

5° Denique opus est nobis explicare, quo sensu *mores* belluis tribui queant, siquidem zoologi de moribus belluarum disserere solent. Quod quidem idem Aquinas praestitit hac brevi, et luculenta argumentatione: Nomen moris proprie convenit illis actibus liberis hominis, ad quos ipse homo, ob frequentem illorum repetitionem, peculiarem inclinationem acquirit. At, quandoquidem inclinatio ad quasdam operationes edendas a natura quoque originem trahere potest, ideo mores translate dicuntur etiam illae operationes brutorum, ad quas natura sua maxime inclinant. « Unde, ita concludit, et dicuntur mores animalium ea, quae proveniunt ipsis ex passionibus appetitivae partis, sicut quod solicitantur erga filios, et quod repugnant, et huiusmodi, sicut patet in IX *De Animalibus*, c. 1, quamvis in eis dicantur mores magis secundum similitudinem, quam secundum proprietatem, quia non agunt, quasi dominium suorum actuum habentia, sed magis a natura aguntur, ut dicit Damascenus, *De Fide orthodoxa*, lib. 2, c. 22 [2] ».

ARTICVLVS TERTIVS

De animae brutorum natura, ortu, atque interitu

243. Quandoquidem animam, eamque sentientem belluis inesse novimus, investigare in praesentia oportet, quaenam sit eius natura, et quomodo ipsae generentur, et pereant. Ad quam rem praemonendum est unicum esse principium, quod in brutis vegetat, et sentit. Re quidem vera principium, quod in brutis vegetat, et sentit, cum sit illud, ex quo bruta in sua specie constituuntur, et ex quo effectus sibi proprios producunt, eorum forma substantialis esse debet [3]. Atqui in quolibet composito naturali forma substantialis nonnisi una esse potest. Ergo unum, et idem est principium, quod in brutis vegetat, et sensit. Veritas assumptionis, quam alibi innuimus [4], duplici argumento, quod ex s. Thoma nobis suppetit, evincitur. Primum est huiusmodi: Forma substantialis, cum sit illud, per quod res habet *esse*, illud etiam est, per quod res habet unitatem, siquidem « unumquodque secundum hoc est unum, secundum quod est ens [5] »; atqui

---

1) 1ª 2ae, q. L, a. 3 ad 2.

2) *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 4, *sol.* 2 c. Brevius alibi: « Mosduo significat; quandoque enim significat consuetudinem . . . ; quandoque vero significat inclinationem quamdam naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum; unde et etiam brutorum animalium dicuntur aliqui mores »; 1ª 2ae, q. LVIII, a. 1 c.

3) P. 231-232.

4) P. 237, not. 6.

5) *Qq. dispp., De spir. creat.*, a. 3 c.

compositum naturale unum est [1]. Ergo nonnisi unam formam substantialem in eo esse oportet [2]. Alterum huc redit : Forma substantialis ea est, quae essentiam rei determinat [3]; quocirca res a prima forma substantiali in sua essentia constituitur. Atqui quidquid essentiae rei iam constitutae advenit, est forma accidentalis [4]. Ergo, si praeter primam, posteriores formae substantiales admitterentur, hae essent simul substantiales, et accidentales: substantiales quidem ex hypothesi, accidentales autem, quippe quae nonnisi essentiam rei iam constitutam quibusdam modis afficerent [5]. Ex his argumentis perspicitur, quisquis unicum in brutis principium vegetans, et sentiens esse neget, duo valde absurda ei esse admittenda; scilicet 1° quod brutum non est unicum, sed plurium viventium coacervatio [6]; 2° quod vis vegetandi, vel vis sentiendi, non vero utraque ad bruti essentiam pertinet [7].

244. Idem ex contemplatione structurae organicae corporis animalium luculenter perspicitur. Certis experimentis inter recentes Physiologos constat organa ad vegetandum, et organa ad sentiendum destinata inter sese adeo conspirare, ut unicum efficiant systema organicum, licet diversis partibus ob diversas, quas ipsum exercet, functiones distinctum. Re vera, si nervi *automatici* a nervis sensitivis, et motoribus distinguuntur, procul dubio cum his arcte colligantur; et, quamvis a systemate ganglionari immediate promanent, tamen ad systema cerebro-spinale, ex quo totum systema nerveum oritur, tandem desinit [8]. Ex quo fit, ut vires vegetandi, sentiendique mutuam

---

[1]) Pag. 233-234.

[2]) « Nihil est simpliciter unum, nisi per formam unam, per quam habet res esse; ab eodem enim habet res, quod sit ens, et quod sit una; et ideo ea, quae denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter » (I, q. LXXVI, a. 3 c.). Hinc « oportet dicere, quod eadem numero forma sit, per quam res habet quod sit substantia, et quod sit de ultima specie specialissima »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 9 ad 11.

[3]) Pag. 231.

[4]) Ibid.

[5]) « Forma accidentalis a substantiali differt, quia forma substantialis facit hoc aliquid, forma autem accidentalis advenit rei iam hoc aliquid existenti. Si igitur prima forma facit individuum esse hoc aliquid, omnes aliae formae advenient individuo subsistenti in actu, et ita erunt formae accidentales »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. creat.*, a. 1 ad 9. Cf *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 81.

[6]) Cf I, q. LXXVI, a. 3 c.

[7]) Cf *In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 4 *sol.*, et *Qq. dispp.*, ibid., loc. cit.

[8]) Nervi in *sensitivos*, *motores*, et *automaticos* dividuntur, quorum illi ad exercitationem sensationis, isti ad exequendum motum in musculis, hi demum ad actiones vegetativas destinantur. Qui functionibus vegetativis inserviunt, vocantur *automatici*, quia ipsorum actio vi naturae, non vero ulla perceptione, et appetitione animali exercetur. Nervi vero sunt quidam funiculi albicantes, qui e cerebro profecti per totum corpus protenduntur, ita quidem ut in decursu *ganglia plexus*, et *anastomo-*

in sese actionem exerceant, earumque functiones ab se invicem vel adiuventur, vel impediantur. Iamvero convenientia organorum sensibilitatis, et organorum vegetationis in unicum systema organicum, mirabilisque, quae inde exurgit, connexio functionum sensitivarum, et vegetabilium explicari non possunt, nisi unicum esse dicatur in animali principium, quod vegetat, et sentit. Quod ex eo magis magisque patescit, quod functiones vegetandi in animali ad altiores, quam in plantis, effectus producendos intrinsecus evehuntur, quia ipsae non substantiam mere vegetantem, sed substantiam sentientem, vel propriam sentientis alunt, et procreant. Ita vis assimilatrix nutritionis alimentum in carnem, ossa, nervos, aliaque eiusmodi propria sentientium convertit. Hoc certe non aliunde enasci potest, quam quod principium vegetans est in animali idem, ac sentiens [1].

245. Quoniam vero brutum non ex eo, quod vegetat, sed ex eo, quod sentit, naturam suam specificam sumit [2], consequens est illud unicum principium, quod forma substantialis in eo dicitur, esse principium sentiens, seu principium vegetativum, quod ad altiorem ordinem principii sensitivi assurgit. Audiatur s. Thomas: « Est aliqua forma, quae non dat nisi esse corpus tantum; aliqua est magis perfecta, quae etiam dat esse, et vivere, quocumque modo vivendi: ali-

---

ses efficiantur. Ganglia dicuntur quidam noduli diversae figurae, et magnitudinis, qui in tractu nervorum frequentissime occurrunt; plexus vero quaedam complexiones planiores, depressioresque in nervis obviae; denique anastomoses complexus duorum nervorum in unum truncum. Quomodo autem nervi ad systema nerveum conficiendum colligentur, non convenit inter Physiologos. Plerique putant totum systema nerveum speciem prae se ferre arboris, cuius radix est in cerebro, truncus in medulla spinali, et rami in nervis hac illac in toto corpore disseminatis. Verum recentiores, inter quos G. Cuvier (*Leçons d'anatomie comparée*, t. II, p. 95, Paris 1800) enumeratur, contendunt systema nerveum concipiendum esse veluti retem ex fibris, medullisque mire contextam, quae per totum corpus perfusa structuram organicam eius efficit, atque ad actiones animantis accommodata est; quare in systemate nerveo nulla pars reliquarum origo est, sed dumtaxat nonnullae ceteris praestant, cuiusmodi sunt *ganglia*, *medulla spinalis*, et *cerebrum*, quod veluti centrum totius systematis nervei habetur.

[1]) Vid. p. Liberatore, *Instit. phil. ad trien.*, *Cosmol.*, c. 3, art. 5, § 98, ed. 3, t. II, p. 132, sqq.

[2]) « In hoc, quod est sensitivum esse, consistit ratio animalis, per quam animal a non animali distinguitur » (*De sensu, et sensato*, lect. II). Hinc Milne-Edwards perperam contendit vim sentiendi ad essentiam animalis haud pertinere, quia spongiae, quas animalia esse putat, omni sensu carent (*Encycl. du XIX siècle*, art. *Animal*). Namque ipsemet Edwards non diffitetur speciem belluinam esse diversam a vegetabili, atque hac praestantiorem; at si vis sentiendi ad essentiam belluae non spectat, nihil esse potest, quo species belluina a vegetabili differat, eique excellat, quia quidquid infra sensibilitatem est, plantis, et belluis commune est. Quod ad spongias attinet, hae, si re ipsa sensu carent, belluae non sunt dicendae; qua de re inter zoologos adhuc disputatur. Cf p. Liberatore, *Del composto umano*, c. III, art. 4, p. 182 sqq.

qua, quae cum his dat etiam sensum [1] ». Et sane, nulli dubium esse potest, quin principium sentiens principio, quod mere vegetans est, natura sua excellat. Atqui « forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum formarum [2] ». Ergo in brutis una, et eadem anima, nempe sentiens, per diversas potentias, quae abeius essentia fluunt [3], non solum operationes sensitivas, sed etiam quidquid anima vegetans in plantis praestat, exequitur [4].

246. Quaenam sit natura unici istius principii, quod vegetat, et sentit, inter Philosophos non convenit; ipsi enim pro suorum systematum varietate in diversas sententias discesserunt. A Cartesianis, quippe qui belluas automata esse docuerunt, principium, ex quo ipsae operantur, nonnisi aliquid extensum, et corporeum existimari potuit [5]. Ab his non valde dissidens Gassendus censuit animas brutorum esse corpora tenuissima, quae medium inter corpora crassa, et spiritus locum tenent [6].

247. E contrario Pythagorici, et caeteri assertores *metempsychosis*, cum autumarent animas humanas, quae in vita male se gesserunt, dissoluto corpore, in corpora belluarum migrare, animas belluinas esse et spirituales, et immortales pugnarunt. Verisimile est eamdem opinionem illis antiquis probatam esse, qui, reiecta metempsychosi, animas belluarum ratione pollere arbitrati sunt. Namque anima, quae ratione pollet, spiritualis est, et quoniam operationes intellectuales a corpore haud pendent, ipsae, dissoluto corpore, manere debent [7].

248. Tertia, et quasi media inter duas, quas modo recensuimus, opiniones, post Wolfium apud recentes longe pervagata est. Wolfius enim censuit 1° animas brutorum esse simplices, sed non spirituales; 2° quoniam simplices, seu partium expertes sunt, non posse alias ab aliis traduci, nec, corrupto corpore, corrumpi, sive in partes dissolvi, sed non aliter posse oriri, quam per creationem, nec aliter perire,

---

1) *Quodlib.* XI, a. 5 c.

2) I, q. LXXVI, a. 6 c.

3) « Fluunt ab essentia animae . . . in brutis . . . potentiae non solum vegetabiles, sed etiam sensibiles, a quibus denominatur eorum anima »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 11 ad 2.

4) « Perfectior forma facit per unum omnia, quae inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius; puta si forma corporis inanimati dat materiae esse, et esse corpus, et forma plantae dabit ei et hoc, et insuper vivere; anima vero sensitiva et hoc, insuper et sensibile esse »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. creat.*, a. 3 c.

5) Vid. Le Grand, qui in sua Dissert. *De carentia sensus, et cognitionis in brutis* (§ 17 sqq, Londini 1675) tum Cartesii animam in sanguine ponentis, tum aliorum Cartesianorum opiniones recitat.

6) *Phys.*, sect. 2, membr. 2, lib. III, c. 3.

7) Diximus *verisimile*, non certum, quippe quod recentes zoologi, qui aliquam intelligentiam belluis tribuunt, harum animas cum corpore interire, ni fallimur, existimant.

quam per annihilationem; 3° non esse immortales, quia immortalitas propria est substantiae spiritualis [1].

249. At vero omnes defensores theoriae peripatetico-scholasticae de principii, quae compositum naturale constituunt, naturam animae belluinae alia ratione explicarunt. Quorum sententia ut recte intelligatur, nonnullas notiones, quae illius systematis velut consectaria sunt, in memoriam revocemus oportet.

1° *Esse materiale* de substantiis completis diversa ratione ac de forma, quae substantia incompleta est, praedicatur. Etenim substantiae completae *materiales* dicuntur corpora, quae cum *actu* iam constituta sint, extensione, divisibilitate, aliisque corporum proprietatibus pollent. Formae autem *materiales* dicuntur illae formae, quarum « esse, ut s. Thomas ait, est per hoc, quod insunt materiae [2] », nempe formae, quae habent esse concretum in materia, quia, cum *non excedant*, aiente eodem sancto Doctore, *materiam in operari*, *non* habent *esse*, *nisi in concretione ad materiam* [3]. E contrario formae *immateriales*, vel *spirituales* dicuntur illae formae, quae a materia in suo *esse* non pendent, proindeque ab ea separatae subsistere possunt. Hinc formae immateriales, secus ac materiales, *subsistentes* nuncupantur [4].

2° Inter *esse* materiale priori significatione acceptum, et *esse* immateriale, sive inter corpus, et spiritum, nihil medium esse potest. At vero, si materiale altera significatione sumatur, diversae eius species esse possunt. Nam, cum formae sint materiales ex eo quod a materia in *esse*, et *operari* pendent, ipsae ob diversam rationem, qua *ad materiam deprimuntur* [5], magis, vel minus materiales sunt, ac proinde minus, vel magis ad immaterialitatem accedunt [6].

250. His praestitutis, sciendum est Aristotelicos antiquae, et mediae aetatis, quippe qui belluas vita sensitiva dumtaxat pollere existima-

---

[1]) *Psych. ration.*, sect. IV, c. 3, § 752, 753, 768, et 769, ed. cit. Hanc theoriam Wolfii vel eodem modo, vel leviter immutatam Bouillier (*Essai philos. sur l'âme des bêtes*, Amsterdam 1737), Calmetus (*Dictionnaire de la s. Bible*, art. *âme*), Magalotti (*Lettere famigliari*, Part. I, Lett. 23, Venezia 1719), Genuensis (*Diss. cit.* § 19, et 23, p. 336 sqq), aliique quam plurimi, et nuper Tongiorgius (*Op. cit.*, *Psych.*, lib. I, c. III, art. IV, p. 42 sqq, ed. cit.) amplexati sunt. Hi enim docent 1° animam belluinam esse immaterialem, sed inferioris conditionis ac animam humanam, ita ut medium inter naturam corpoream, atque humanam locum teneat; 2° ipsas a Deo, cum opus fuerit, singillatim creari, et, dissoluto corpore, vel in alia corpora belluina transferri, vel illico ab ipso Deo in nihilum redigi.

[2]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 30. « Omne illud, ait (*ibid.* c. 56), cuius esse est in materia, oportet esse materiale ».

[3]) *Ibid.*, lib. IV, c. 81. « Esse, alibi scribit, non est earum (*formarum materialium*), sed eis aliqua sunt »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. creat.*, a. 2 ad 8.

[4]) « Formae immateriales sunt per se subsistentes »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 3 ad 5.

[5]) *Qq. dispp.*, *de Virtut.*, q. I, a. 1 ad 4.

[6]) Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 68.

bant, de natura animae belluinae doctrinam tradidisse, quae ad tria praecipua capita revocari potest. 1° Anima belluina non est aliquid materiale hoc sensu, quod est quoddam corpus, sed hoc, quod non est forma subsistens, ita tamen ut altiorem, quam ceterae formae materiales, gradum occupet; 2° quamvis sit hac ratione materialis, tamen est indivisibilis; 3° cum operationes sensitivae ab organis corporeis pendeant, anima belluina a potentia materiae educi, et cum corpore, quod informat, interire dicenda est. Singula capita huius sententiae, quam unam veritati consentaneam esse arbitramur, demonstranda nobis sunt.

251. Atque in primis animam brutorum non esse aliquod corpus pro certo habendum est. Nam, quoniam corpus est extensum, atque omnis extensio, uti alias vidimus, e materia pullulat, oportet corpus esse aliquid « ex materia, et forma compositum [1] ». Atqui anima brutorum est forma, non autem ipsum compositum ex materia, et forma [2]. Ergo ipsa aliquod corpus esse non potest. Praeterea, aliud esse debet corpus, aliud vero principium, per quod aliquod corpus vivit, et sentit, quia si corpus, et principium, per quod corpus vivit, unum, idemque essent, oporteret omne corpus, prout est corpus, vivere, et sentire [3]. Atqui anima brutorum est principium, per quod ipsa vivunt, et sentiunt. Ergo in brutis, praeter corpus, admittenda est anima veluti principium, a quo illorum operationes vitales, et sentientes proficiscuntur [4]. Quare sapienter s. Augustinus scribit: « . . . illud eius, quod etiam pecora habere intelliguntur, vel coeli volatilia, cum habitacula sua, seu nidos repetunt, quo capiuntur imagines omnium rerum corporalium, nullo modo cuiquam corpori simile est [5] ».

252. At quamvis anima belluina non sit aliquod corpus, sed tantum forma corporis, ipsa tamen non est censenda esse forma immaterialis, seu quae per se subsistit [6]. Enimvero « natura uniuscuiusque rei, aiente s. Thoma, ex eius operatione ostenditur [7] ». Atqui brutorum operationes huiusmodi sunt, ut nonnisi in corpore, et per corpus exerceri possint, quia « operationes animae sensitivae non complentur si-

---

1) I, q. III, a. 2 *sed contr.*

2) « Anima est pars naturae, sicut forma »; *In lib. III Sent.*, Dist. V, q. I, a. 1 ad 3.

3) I, q. III, a. 1 c.

4) « Si principium harum virium, et actionum esset corpus, in quantum huiusmodi, invenirentur in omnibus corporibus, quod patet esse falsum; et sic relinquitur, quod sit principium earum aliqua forma una, per quam hoc corpus est tale corpus, quae est anima »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 58, n. 7.

5) *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 21, n. 29.

6) « Anima sensitiva non est substantia . . . per se subsistens »; I, q. CXVIII, a. 1 ad 1.

7) I, q. LXXVI, a. 1 c.

ne corporalibus instrumentis [1] ». Ergo anima belluina etiam in suo *esse* a corpore pendet. Iam, cum forma, quae a materia pendet, non sit forma *subsistens*, sed forma, quae *esse* suum concretum materiae habet, concludendum est animam belluinam non esse formam, quae per se est, sive subsistit [2].

253. Quod si anima belluina non est forma subsistens, ipsa genus formarum materialium certe non supergreditur. Namque, ut cum s. Thoma argumentemur, « forma, quae non est per se subsistens, non habet alium modum a modo subiecti, quia non habet esse, nisi in quantum est actus talis subiecti; et ideo mensura formae est mensura compositi [3] ». Accedit, quod, cum forma sit principium, ex quo actiones oriuntur [4], omnis res secundum suam formam, sive secundum suam speciem agere debet [5]. Quapropter, si anima belluina esset forma subsistens, proindeque immaterialis, actiones cognitrices eius circa immateriale versari deberent. At consequens est falsum, quia cognitio brutorum, uti ostendimus, supra sensilia non assurgit. Ergo anima belluina genus formarum materialium non supergreditur.

254. Nihilominus anima belluina non est materialis, perinde ac formae rerum animae expertium, atque animae vegetabilium. Hoc quidem ex cognitione sensitiva, quae belluarum propria est, facile colligitur. Enimvero cognitio sensitiva supergreditur non solum operationes rerum vita expertium, quia hae sunt a *principio extrinseco*, illa autem a *principio intrinseco*, sed etiam operationem animae vegetabilis. Nam operatio vegetabilis « fit per organum corporale, et virtute corporeae qualitatis »; verum cognitio sensitiva expostulat quidem quasdam qualitates corporeas, « non tamen ita quod mediante virtute talium qualitatum operatio animae sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi [6] ». Praeterea, cognitio

---

[1]) *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11. « Nulla, scribit, est actio animae sensitivae, in qua non communicat corpus »; *Quodlib.* IX, a. 11 ad 2.

[2]) « Anima sensitiva non habet aliquam operationem per seipsam; sed omnis operatio sensitivae animae est coniuncti. Ex quo relinquitur quod, cum animae brutorum animalium per se non operentur, non sunt subsistentes. Similiter enim unumquodque habet esse, et operationem » (I, q. LXXV, a. 3 c.). Hinc « anima sensibilis nullo modo est hoc aliquid » (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 1; cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 51, et *Quodlib.* IX, a. 11 ad 1). Quod iam Gennadius (*De Eccl. Dogmatibus*, c. 17, App. ad *Opp. s. Aug.* t. VIII) docuerat hisce paucis: « Solum hominem credimus habere animam *substantivam* . . . , animalium vero animae non sunt *substantivae* ». Huic doctrinae manifeste adversatur P. Tongiorgi, quippe qui statuit, et propugnat hanc propositionem: *Anima brutorum est substantia.* Vid. *Op. cit.*, lib. et c. citt. § 84, p. 44 sqq.

[3]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 3 *sol.*

[4]) Cf p. 233.

[5]) « Nihil agit nisi secundum suam speciem, eo quod forma est principium agendi in unoquoque »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 49, n. 4.

[6]) I, q. LXXVIII, a. 1 c.; cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 68.

sensitiva per species rerum sensilium in sentiente efficitur. Atqui formae rerum, quae supra materiam nullo modo extolluntur, illas species, uti alibi vidimus, in se recipere non possunt [1]. Ergo, si anima brutorum materiali ordini quodammodo non excelleret, cognitione sensitiva destitueretur. Adde his, quod « ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis [2] ». Atqui sensus species rerum sensibilium *accipit quidem cum earum conditionibus materialibus*, sed tamen *sine materia* [3]. Ergo, sicut anima intellectiva ex eo quod « abstrahit speciem non solum a materia, sed etiam a materialibus conditionibus individuantibus [4] », est immaterialis; ita anima sensitiva, in qua sunt formae rerum « sine propriis materiis, sed tamen secundum singularitatem, et conditiones individuales, quae consequuntur materiam [5] », non esse quidem immaterialem, sed ad immaterialitatem proxime accedere dicenda est [6].

255. Quod vero ad indivisibilitatem attinet, iam alibi adnotatum a nobis est quamlibet formam, si in se ipsa, sive abstracte consideretur, nonnisi veluti indivisibilem a nobis cogitari posse [7]. Quaestio in praesentia circa illud vertitur, utrum anima brutorum *actu*, nempe prout corpus informat, indivisibilitate polleat. Qua in re Aquinas noster statuit 1° belluinam animam non esse in se *divisibilem divisione quantitatis, quae est numerus*, sive esse indivisibilem in partes, quae ex quantitatis divisione exurgunt; 2° animam, *praecipue animalium perfectorum, quae decisa non vivunt, non dividi divisione continui*, ita ut ne *per accidens* quidem, hoc est, ratione extensi, quod informat, divisionem admittat [8].

---

1) Vid. vol. I, *Dynam.*, c. II, a. 3 *passim*. Cf I, q. LXXXIV, a. 2 c.

2) I, loc. cit.

3) *Ibid.*

4) *Ibid.*

5) *Qq. dispp.*, q. un. *De anim.*, a. 13 c.

6) Advertito cum s. Thoma animam brutorum aliqua ratione *spiritum* appellari posse, ex eo nempe quod nomen *spiritus* ad quamcumque substantiam *invisibilem*, et *motivam* significandum adhibetur (*Contr. Gent.*, lib. IV, c. 23, et I, q. XLI, a. 3 ad 4). Sane, hac significatione anima belluina *spiritus* a nonnullis ss. Patribus nuncupata fuit, inter quos nominare satis est s. Gregorium M. (*Dial.*, lib. IV, c. 3), et s. Bernardum (*Serm. V in Cant.*, et *Epist.* CIV). Idem Aquinas vocem *spiritualis* hoc sensu accepit, cum de *rebus animatis* generatim loquens asseruit eas *compositas esse ex natura spirituali, et corporali*; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XII, a. 3 c.

7) Pag. 250, not. 4. Enimvero, quoniam divisibilitas est proprietas quantitatis, haec autem materiam consequitur, necesse est formam esse secundum se unam, et indivisam, quia forma non est materia, sed ad materiam se habet, veluti actus ad potentiam, proindeque non est *quanta*.

8) *Qq. dispp.*, q. un., *De Anim.*, a. 10 c. Secus senserunt Scotus (*In lib. IV Sent.* Dist. VIII, Pars II, q. 3, a. 10); Aegidius (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, Pars II, q. 5), aliique, quibus, praeter alios recentes, adstipulatus est Suarez (*Dispp. met.*, disp. XV, sect. X, n. 32, et *De Anim.*, lib. I, c. 2, n. 32). Hi animas omnium animalium, excepta anima rationali, esse divisibiles per accidens voluerunt.

256. Horum primum demonstratione non indiget ; siquidem , cum divisio in partes quantitatis nonnisi corporum sit , ipsa in anima brutorum , quae, uti ostendimus, corpus non est, obtinere nequit [1]. Alterum autem ex modo, quo anima perfectorum animalium corpus informat, facile perspicitur. Et sane , non aliae formae possunt esse divisibiles per accidens, nisi quae divisibili ratione materiam informant, adeo ut in qualibet earum partium, in quas quantitas dividitur, forma maneat. Atqui in animalibus perfectis anima indivisibili ratione corpus informat. Ergo ipsa ne *per accidens* quidem divisibilis est. Assumptio, secundum doctrinam s. Thomae, demonstratur hoc modo: Corpus, si ex pluribus organis coalescit, quorum singula diversam, ac totum, rationem habent, atque inter se ita connectuntur , ut unum, cum a toto separatur, actiones sibi proprias exerere non possit, ab anima indivisibili modo informari dicendum est. Namque illa diversa organa non possent eo , quem diximus , modo inter se connecti , nisi instar unius indivisibilis ad animam, a qua informantur, sese haberent. Atqui eiusmodi est corpus organicum animalium perfectorum , siquidem, si in duo corpora dividatur, nullum eorum formam totius retinet, et nulla pars a toto discerpta vivere, et operari potest. Ergo corpus organicum animalium perfectorum indivisibili ratione ab anima informatur [2].

257. Ex his, quae statuimus, intelligere etiam licet, cur formae rerum inanimarum , animae plantarum , atque animalium imperfectorum per accidens dividi queant. Etenim in corporibus animae expertibus « potest dividi unumquodque eorum in diversas partes similes specie , sicut patet in aëre, aqua , et in corporibus mineralibus. Unde oportet, quod si partes sint similes specie ad invicem, et toti, quod forma specifica post divisionem sit in utraque partium [3] ». Anima autem plantae , « quia imperfecta est in ordine animarum , non requirit ma-

---

[1]) Id magis perspicuum fiet in *Anthropologia*; in hac enim ostendemus obiectum cognitionis sensitivae, quam brutis inesse iam vidimus, non posse attingi a virtute sensitiva, quae multiplex est. Cf interim s. Thom. *In lib. I De Anim.*, lect. VIII.

[2]) « Totalitas, ait Doctor Angelicus, non potest attribui formis, nisi per accidens, in quantum scilicet dividuntur divisione quantitatis, sicut albedo divisione superficiei ; sed hoc est illarum tantum formarum, quae coextenduntur quantitati, quod ex hoc competit aliquibus formis, quia habent materiam similem et in toto, et in parte. Unde formae, quae requirunt magnam similitudinem in partibus, non habent huiusmodi extensionem, et totalitatem, sicut animalium perfectorum » (*Qq. dispp.*, q. un. *De spirit. creat.*, a. 4 c.; cf I, q. LXXVI, a. 8 c.). Cave tamen, ne ex hac indivisibilitate animae brutorum colligas ipsam esse spiritualem, perinde ac animam humanam. Illa enim indivisibilitas non ex eo arguitur, quod anima brutorum est forma, quae a materia non pendet, ac proinde ordinem materialem excedit; sed ex eo dumtaxat, quod indivisibili ratione corpus informat, ita ut ad diversas huius partes nonnisi velut ad unum, et indivisibile organismum se habeat.

[3]) *In lib. II De Anim.*, lect. IV.

gnam diversitatem in partibus; unde anima totius potest salvari in aliqua partium [1] ». Idem dicendum est de illis animalibus imperfectis, quae, cum in partes secantur, tot constituunt animalia, quot sunt partes sectae [2]; nam eorum animae, « quia imperfectiores sunt aliis, modicam diversitatem organorum requirunt. Et inde est quod una pars decisa potest esse animae susceptiva, utpote habens tantum de organis, quantum sufficit ad talem animam suscipiendam [3] ».

258. Qua autem ratione haec animae brutorum imperfectorum divisibilitas accipienda sit, idem sanctus Doctor explicuit his paucis: « In animalibus anulosis, quae decisa vivunt.., est una anima in actu, et multae in potentia; diviso autem corpore animalis praedicti, in qualibet parte vivente incipit anima esse actu [4] ». Et sane, in corpore ani-

---

[1]) *In lib. II De Anim.*, lect, IV.

[2]) Huiusmodi animalia existere Philosophis longe ante notum erat, quam Trembley (*Mèmoire pour servir à l'histoire d'un genre de polypes*, Paris 1740), aliique Naturalistae hydras, aliosque polypos per sectiones sive naturales, sive artificiosas multiplicari observarent. Ut paucos ex antiquis nominemus, horum animalium mentionem fecere inter Graecos Plato (*Conviv.* Part. 2, t. II, p. 406, ed. Bekker, Berol. 1817, H. S. p. 191), et Aristoteles (*De iuvent., et senect.*, c. 2), atque inter Patres Ecclesiae s. Augustinus, *De quant. anim.*, c. 31.

[3]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 12 ad 5. « Animalia anulosa decisa vivunt, non solum quia anima est in qualibet parte corporis, sed quia anima eorum, cum sit imperfecta, et paucarum actionum, requirit paucam diversitatem in partibus, quae etiam invenitur in parte decisa vivente; unde, cum retineat dispositionem, per quam totum corpus est perfectibile ab anima, remanet in eo anima. Secus autem est in animalibus perfectis » (*Op. cit.*, q. un. *De Anim.*, a. 10 ad 15; cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 58). Ad intelligendum quaenam sint animalia *anulosa*, de quibus s. Thomas hic loquitur, sciendum est zoologos animalia passim dividere in *vertebrata*, *annulosa*, *mollia*, et *zoophyta*. Vertebrata (*vertebrati*) habent sceletum interius columnae ex vertebris compositae innixum, circa quod bina hinc inde similia membra constituuntur. Vertebrae vero sunt ossa brevia, et dura instar nodorum, atque in medio perforata, ita ut medulla spinalis per ipsa se immittat, atque ex ipsis, et medulla columna spinalis constituatur. Inter vertebrata praestant caeteris *mammifera* (ita dicta, quia *mammas ferunt*), uti *homo*, *quadrupedia*, *ceti*, *aves*, aliaeque bestiae. Annulosa (*anellosi*) sceleto destituuntur, et pro fulcimento habent pellem plexibus transversariis, veluti *annulis*, distinctam; cuiusmodi sunt, e. g., *bombyces*. Mollia (*molluschi*) nec sceleto interiori gaudent, nec tunica exteriori induuntur, sed ex molli pulpa conflantur, quae vel interius ex materia dura, ut in *sepiis*, vel exterius ex concha, ut in *conchyliis*, fulcitur. Zoophyta (*zoofiti*, seu *animali-piante*) habent partes circa assem, veluti centrum quoddam, colligatas, figuramque plantis, quam animalibus, similiorem; huiusmodi, e. g. est *echinus*.

[4]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 89; Cf *Qq. dispp.*, q. un. *De spirit. creat.*, a. 4 ad 19. Idem s. Bonaventura docuit: « Quia corpus anulosum est modicae organizationis, et quasi consimilis in partibus, et in toto, ideo in qualibet sui parte est anima in proxima sui dispositione ad hoc, quod sit in actu, et ideo, facta divisione, . . . subito inducitur forma » (*In lib. II Sent.*, Dist. XV, art. 1, q. 1 *ad arg.*). Iuvat de hac re legere Ioannem a s. Thoma. Hic doctrinam modo expositam ex eo comprobavit, quod, « si totaliter dividantur ista animalia, non resultant in illis diversa organa sufficien-

malis imperfecti nonnisi una anima *actu* esse potest, quia, cum sit unicum animal, principium eius formale unicum esse debet. At si corpus in plures partes dividatur, in singulis partibus animae actu esse incipiunt; quippe quod singulae partes, in quas corpus animalis imperfecti dividitur, organa ad vitam sufficientia habent. Qua de re in animali imperfecto, dum una est anima actu, plures potentia sunt [1].

259. Ex iis, quae circa belluinae animae naturam statuta sunt, haud difficulter intelligere licet, quid de eius ortu, et interitu sentiendum sit.

Sententiam Wolfii, aliorumque animae belluinae originem ex creatione repetentium Doctor Angelicus iam redarguerat, animamque belluinam per generationem, hoc est, ab anima generante per traductionem seminis oriri, secundum ss. Patres [2], demonstraverat. Eius argumenta huc redeunt. Res, uti iam diximus [3], incipit esse vel ex nihilo, sive per creationem, vel per eductionem a praeiacente materia, sive per generationem. Hi autem diversi modi, quibus rerum origo explicari potest, modo, quo ipsae res habent *esse*, respondere debent [4]. Hinc, quoniam *esse* formarum subsistentium, seu immaterialium, non solum a materia non pendet, sed totum ordinem rerum materialium supergreditur, necesse est, ut ipsae *in fieri* a materia non pendeant, ac proinde non per eductionem a materia, sed per creationem oriantur. E contrario, animae, quae sunt formae non subsistentes, hoc est, formae, quarum *esse* absolute a corpore pendet, ordinemque materialium principiorum non omnino supergreditur, « in esse, ut s. Thomas ait, non producuntur, nisi quatenus produ-

---

tia ad motum, et ideo non amplius vivunt decisa, ut, si lacerta dividatur a summo usque deorsum » (*Op. cit.*, pars III, q. II, a. 1, p. 754). Sed iam ante Scholasticos s. Augustinus harum animarum divisionem perbelle declaraverat similitudine vocis, in qua, etsi plures sint litterae, una tamen est significatio. « Existimandum est, ait, secto vermiculi corpore, . . . non omnino animam sectam, nec loco minore, minorem esse factam, licet integri animantis membra omnia per maiorem locum porrecta, simul possederit. Non enim locum ipsa, sed corpus, quod ab eadem agebatur, tenebat, sicut illa significatio non distenta per tempus, omnes tamen nominis litteras, suas moras, ac tempora possidentes, velut animaverat, atque compleverat ». Exinde concludit « animam per seipsam nullo modo, sed tamen per corpus (hoc est, ut Scholastici aiunt, *per accidens*) posse partiri »; *De quant. anim.*, c. 32, n. 68.

[1]) Vid. s. Thom., *In lib. I Sent.*, *De Anim.*, lect. XIV.

[2]) S. Hieronymus (Epist. LXI *Adv. errores Ioan. Hierosol.*) pro re explorata, ab omnibusque concessa sumit animam belluinam ex parentibus traduci. Nam quaestionem instituens de origine animae humanae, ait: *Utrum ex traduce iuxta bruta animalia?*

[3]) Pag. 238.

[4]) « Nihil incipit, vel fit, nisi secundum modum, quo esse habet »; *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 *sol.*

catur corpus in esse. Unde sicut producitur corpus per actum naturae generantis, ita et formae praedictae [1] ». Iam animae brutorum, quemadmodum ostendimus, non sunt formae subsistentes. Illarum igitur origo non ex creatione, sed ex generatione repetenda est.

260. Hoc argumentum maiorem perspicuitatem ex eo sumit, quod animae brutorum, cum non sint subsistentes, « habent se in essendo ad modum aliarum formarum corporalium [2] », hoc, est ita, ut *esse* non proprie ipsis, sed potius per ipsas composito substantiali conveniat [3]. Quare etiam *fieri* non de ipsa anima, sed de toto composito substantiali proprie praedicatur. Atqui compositum substantiale in iis, quae ad ordinem materialem pertinent, fit, quemadmodum ostendimus [4], *per transmutationem materiae*, hoc est, per eductionem formae e materia [5]. Ergo « anima sensitiva educitur de potentia materiae in brutis [6] ».

261. Quod si quaeras, quomodo anima belluina e materia per semen generetur, in promptu est responsio s. Thomae, ipsam produci « in concepto non per actionem corporis, nec per decisionem animae, sed per actionem virtutis formativae, quae est in semine ab anima generante [7] ». Re vera hic sanctus Doctor, aliique Scholastici docuerunt generationem proficisci ab anima, tamquam a causa principali, sed quoniam haec non potest agere *in distans* sine aliquo medio, ad animam generati producendam quodam instrumento, seu virtute opus ipsi esse. Haec virtus, quae ab ipsa anima in semen derivatur [8],

---

1) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 11 c.

2) I, q. CXVIII, a. 1 c.

3) « Formae secundum se a materia dependentes, non ipsae proprie habent esse, sed composita per ipsas »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 51. Cf p. 247 et 334.

4) Pag. 245 sqq.

5) « Omnis forma, quae educitur in esse per materiae transmutationem, est forma educta de potentia materiae; hoc enim est materiam transmutari, de potentia in actum educi »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 86.

6) *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 1. En sancti Doctoris argumentatio: « . . . Aliae formae non sunt subsistentes, unde esse non est earum, sed eis aliqua sunt; unde fieri earum est secundum quod materia, vel subiectum reducitur de potentia in actum, et hoc est formam educi de potentia materiae absque additione alicuius extrinseci » (*Qq. dispp.*, q. un. *De spir. creat.*, a. 2 ad 8). Et rursus: « Anima sensibilis, cum non sit res subsistens, non est quidditas, sicut nec aliae formae materiales, sed est pars quidditatis, et esse suum est in concretione ad materiam; unde nihil aliud est animam sensibilem produci, quam materiam de potentia in actum transmutari »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 11 ad 11.

7) *Ibid.* ad 16.

8) « Ex anima generantis derivatur quaedam virtus activa ad ipsum semen animalis, vel plantae, sicut a principali agente derivatur quaedam vis motiva ad instrumentum » (I, q. CXVIII, a. 1 c.). Alibi: « Anima sensibilis non est actu in semine secundum propriam speciem, sed sicut in virtute activa; sicut domus in actu est in mente artificis, ut in virtute activa » (*Qq. dispp.*, *De Potent.*, q. III, a. 11 ad 4).

a Scholasticis *virtus formativa*, atque a cel. Blumenbachio [1], aliisque recentibus, qui fere idem, ac Scholastici, senserunt, *nisus formativus* nuncupata est. Itaque « anima generati, ut s. Thomas ait, causatur ab anima generantis, vel a virtute derivata ab ipsa, quae est in semine [2] »; quia « sicut per animam materia transmutatur, ut convertatur in totum in actione nutrimenti, ita per virtutem praedictam transmutatur materia, ut generetur conceptum [3] ».

Unde (*ibid.* a. 12 ad 11) scribit: « Dicendum, quod licet semen non sit animatum actu, est tamen animatum virtute ». S. Bonaventura de hac virtute, quae in semine est, loquens, ita inquit: « Est quaedam potentia spiritualis indita a Creatore ipsi materiae corporali, et ei innitens, et ab ea dependens, et per eam anima sensibilis in brutis generatur per transmutationem corporalis naturae »; *In lib. II Sent.*, Dist. XV, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[1]) *De nisu formativo*, Gottingae 1781, et *Nuperae observationes de nisu formativo, et generationis negotio*, Gottingae 1787.

[2]) l, q. et loc. citt.

[3]) *Qq. dispp.*, ibid. ad 7. Hoc in loco silentio praetereunda non est illa quaestio, num cuncta animalia generentur ex semine, an aliqua etiam sine semine, et ex corruptione materiae inorganicae. Haec altera generandi ratio, quam veteres *generationem ex putredine* vocarunt, a recentibus nuncupatur *generatio spontanea*, quia animal sine semine, proindeque veluti *sponte* producitur, vel *heterogenia*, quia a parente diversae naturae, nempe *inorganicae*, gignitur. Iam multi veteres, in primisque Aristoteles (*De animalium generatione*, lib. I, c. 1, ed. Didot), quos fere omnes Patres, et Scholastici secuti sunt, putarunt esse quasdam species animalium, quae sine semine generari possunt. « Animalia perfecta, ait s. Thomas, videntur non posse generari, nisi ex semine; animalia vero imperfecta, quae sunt vicina plantis, videntur posse generari et ex semine, et sine semine » (*In lib. VII Met.*, lect. VI, cf *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 11 ad 12). Haec opinio inter recentes quoque viguit usque ad Redium, qui illam multiplici experimentorum genere disiicere adnisus est (Redi, *Osservazioni intorno agli animali viventi, che si trovano negli animali viventi*, Firenze 1684, nec non, *Esperienze intorno alle generazioni degl'insetti*, Firenze 1668). Ab hac die theoria generationis spontaneae veluti figmentum Aristotelis, et Scholasticorum a zoologis vulgo reiecta fuit, cachinnisque excepta. Sed, ut cel. Buffonum (*Histoire naturelle* etc. *Oeuvr.* t. II, p. 60, et 168, et t. IV, pp. 335, 339, 341, 343, 357, *Supplèm.*, Paris 1749-1779), aliosque praetereamus, Ioan. Neèdham anglus, presbyter catholicus, medio saec. XVII, doctrinam generationis spontaneae experimentis microscopicis constabilivit (*Dècouvertes microscopiques*, trad. de l'angl., Paris 1750), eamque deinceps Mueller, Bloch, Lamark, Meckel, Bremser, De Blainville, Burdach, aliique permulti tuiti sunt. Sed alii, iique non infimi subsellii, contra ipsam pugnare non destiterunt, inter quos commemorandus in primis est celeb. Ehremberg (*Traitè pratique du microscope* etc., Paris 1839). De hac controversia acriter, paucis abhinc annis, disputatum est in *Societate Medico-chirurgica Taurin.* (vid. *Rendiconto de' lavori* etc., n. XXVIII, vel *Atti della Società* etc., vol. I), et nuperrime in *Academia Paris. Scientiarum*, in qua Pouchet pro asserente, et Pasteur pro negante opinione pugnarunt. Historiam huius controversiae in antiqua, media, et recenti aetate videre licet apud laudatum Pouchet (*Hètérogénie, ou Traité de la génération spontanèe*, c. 1, Paris 1859). Ex quo vides *facta* generationis spontaneae, quae utrinque a zoologis afferuntur, eiusmodi esse, ut de hac quaestione in utramque partem disputari queat. Quod si ratio con-

262. Verum haec sententia non omnibus probata est. Alii enim, iique maxime inter recentes putant in semine non virtutem solum ad generandum animal, sed ipsum animal, licet perexiguis, et haud conspicuis partibus veluti miniatum, existere, ita ut animal generatur per evolutionem, atque enodationem minimorum suorum membrorum, quae in semine continentur. Haec, quae *theoria praeexistentiae* a Physiologis dici solet, cum germanam notionem generationis destruat, certisque observationibus adversetur, non modo a Scholasticis post ss. Patres explosa fuit, sed etiam a recentibus Physiologis, aiente Fredaultio [1], in universum reiicitur.

263. Enimvero theoria praeexistentiae in primis notionis generationis adversatur. Namque illud, quod gignitur, ens novum vulgo existimatur, quia non potest productum dici, nisi id, quod incipit esse, cum antea non esset. Atqui, si animal in semine, ex quo gignitur, *actu* continetur, per generationem non producitur ens novum, sed ens, quod iam existit, evolvitur, atque augetur. Ergo theoria praeexistentiae notionem generationis destruit. Praeterea, theoria

---

sulatur, theoria generationis spontaneae, si secundum ss. Patres, et Scholasticos explicetur, nihil incommodi habet. Qua de re sciendum est Moleschott, ducem hodiernae scholae materialisticae, eiusque in Germania sectatores, maxime Büchner (*Force, et Matière*, ed. 7, trad. par Gamper, p. 69, Paris 1863), post Robinetum (*Vuephil. de la graduation naturelle des formes de l'être*, Amsterd. 1768), Auctorem *Systematis naturae* (t. I, c. 2, ed. cit.), et non paucos Atheos, et Materialistas saec. XVIII, theoriam generationis spontaneae hoc sensu tueri, quod viventia ex materia inorganica per solas vires physicas, et chymicas eiusdem progignuntur. Quandoquidem vitam ex viribus physicis, et chymicis materiae inorganicae repetere materialismo re vera favet, Spiritualistae theoriam generationis spontaneae explodere pro viribus conati sunt (cf Houdart, *Études hist., et crit. sur la vie, et la doctrine d'Hippocrate*, Paris 1836). Verum ss. Patres, et Scholastici censuerunt materiam inorganicam animalia quarumdam specierum infirmarum producere, non quod vim propriam suae naturae ad illa producenda habet, sed quod Deus in creatione mundi addidit ipsi quamdam virtutem, seu vim, per quam in quibusdam circumstantiis posita, atque actione causarum exteriorum adiuta animalia quaedam imperfecta producit (vid. s. Bas., *Hexaëm., Homil.* VII, n. 1, et *Hom.* IX, n. 2, ed. cit., et s. August., *De Trinit.*, lib. III, c. 8, n. 13; *De Gen. ad litt.*, lib. VI, c. 10, n. 17 etc.). S. Thomas refellens sententiam Avicennae, qui recentibus Materialistis praeluserat, statuit materiam inorganicam interdum producere animalia, « non quod aqua, aut terra habeat *in se* virtutem producendi omnia, ut Avicenna voluit . . . . sed . . . . ex virtute *primitus* elementis indita » (I, q. LXXI, art. unic. ad 1, et *In lib. VII Met.*, lect. VI, etc.). Quapropter theoria generationis spontaneae, praeterquam progressui scientiarum naturalium non adversatur, si secundum ss. Patres, et Scholasticos explicetur, materialismo haud favet. Sententiam s. Augustini, et s. Thomae de hac re praeclare exposuit Henr. Sauvè, Can. Theol. Eccles. Vallis-Vidonis, sub nomine *Barrier*, in duobus art. Ephem., *Le Monde* (11 et 12 Sept. 1864), quos italice redditos cum brevi nostra *Praefatiuncula* evulgavit *La Scienza e La Fede*, vol. LVI, 16 Marzo 1865.

[1]) Frèdault, *Physiologie générale*, lib. III, c. 1, *De la génération*, Paris 1863.

praeexistentiae, uti Fredaultius ostendit [1], experimentis opponitur. Nam 1° exploratum est in quibusdam animalibus, puta *salamandra*, si quod membrum auferatur, hoc rursus produci. Iam id explicari non potest, si per generationem non produci nova membra animalis, sed dumtaxat ea, quae in semine actu continentur, enodari, et augeri dicantur, quippe quod, si animali vis producendi novum animal non convenit, ne vis quidem producendi membrum deperditum convenire potest. Certe eadem est vis producendi, et reproducendi; qua de re, si animal potest membrum deperditum reproducere, nihil est, cur totum animal ab eo produci non posse existimetur. 2° Notum omnibus est id, quod gignitur, similitudinem prae se ferre alterutrius, vel utriusque parentis non tantum figura, sed etiam temperamento, morbis, habitibus, aliisque id genus. Ast id procul dubio evenire non posset, si id, quod gignitur, in semine *actu* existeret, nec aliud a gignente praestaretur, quam quod ab eo evolvitur, et perficitur.

264. Quare tenendum est cum ss. Patribus [2], et Scholasticis [3] semen, sicut plantae, ita animalis esse *potentia*, non autem *actu* simile generanti, a quo promanat, et pro eo ut organa in eo magis, magisque perficiuntur, ad similitudinem generantis proprius accedere, donec ipsam omnino assequatur.

265. Neminem vero moveat, quod Leibnitius, post Leenwenhockii, aliorumque de insectis experimenta, contendit inveniri in semine multa animalia microscopica, hoc est, solo microscopio conspicua [4]. Nam recentum Physiologorum experimentis compertum est nulla eiusmodi animalcula in semine existere, et semen non esse

---

[1]) *Op.* et loc. cit.

[2]) En praeclarum locum s. Gregorii Nyss.: « Nimirum ut in tritici grano, vel quovis alio semine totam spicae vel frugum maturarum speciem *potestate*, sicut loquimur, comprehensam dicimus, et herbam, et culmum, et internodia, et fructum, et aristas, cum nihil horum altero in natura prius reipsa existat, vel oriatur citius, sed naturali ordini tandem insita semini facultas ipsa appareat, nulla in semen alia se natura extrinsecus velut insinuante; sic etiam existimamus humano in semine, cum homo primum incipit oriri, facultatem naturalem contineri, simul cum ipso excretam. Hanc porro naturali quadam progressionis serie ad perfectionem sui contendentem, paulatim se explicare, ac patefacere, non quod extrinsecus aliquid recipiat, cuius ope sui perfectionem adipiscatur, sed propria vi ad eam paulatim proficiendo pervenit »; *De hom. opif.*, c. 29, *Opp.* t. I, col. 235, ed. Migne.

[3]) Audiatur s. Thomas: « Semen decisum nondum est actu simile toti, sed in potentia; propter quod dicitur II *De Anim.*, quod semen in potentia vivit, et non actu » (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 *sol.*). Alibi: « Secundum quod proceditur in perfectione organorum, secundum hoc anima incipit magis, ac magis actu esse in semine, quae prius erat in potentia; ita quod conceptum primo participat opera vitae nutritivae, et tunc dicitur vivere vita plantae, et sic deinceps, donec perveniat ad similitudinem generantis »; *Ibid.*

[4]) *Theodic.*, Part. I, § 90, et 91, p. 527.

aliud, nisi massam cellularem, quae organicam quidem structuram exhibet, sed omnis vitae expertem. Quare experientia non modo nihil nobis exhibet, ex quo in semine animal praeformatum existere coniicere possumus, sed etiam animal praeformatum in semine re ipsa non inveniri nos edocet [1].

265. Quemadmodum vero animae brutorum, cum non sint subsistentes, « fieri dicuntur non propria factione, sed per factionem compositorum [2] », nempe ex eo quod a gignente totum animal, seu *compositum* fit; ita ipsae interire dicuntur ex compositorum destructione, nempe ex eo quod totum animal, seu *compositum* destruitur. Haec sententia de interitu animae belluinae, quam ss. Patres ante Scholasticos vulgo inculcaverant [3], ex dictis veluti consectarium sponte sua fluit. Et sane, quandoquidem anima belluina, observante s. Bernardo, non subsistit per se, sed totum *esse* eius in unione ad corpus consistit, corrupto corpore, anima profecto permanere non potest, sed cum ipsa corrumpi debet [4]. Accedit, quod, ut fert effatum: *operatio sequitur existentiam*; hinc, si anima belluina corpori superesset, operationibus sibi consentaneis expoliari haud posset. Atqui anima belluina a corpore separata nullum operationum genus exercere potest, quia, cum actio sit propria rei perfectae, proindeque subsistentis, formae non subsistenti proprie convenire nequit [5]. Ergo ipsa ne in *esse* quidem perdurare potest.

267. Qua de re veluti prorsus absurda reiicienda est opinio eorum, qui animam belluinam non interire cum corpore, sed, uno corpore dissoluto, in aliud belluinum perenniter migrare tuentur; quia ipsa non posset dissolutioni unius corporis superesse, aliudque informare, nisi per se esse, seu subsistere, et operari sine corpore posset: quae duo animae belluinae non conveniunt. Graviora vero ii peccant, qui ad theoriam metempsychosis confugiunt; sed de hac alias.

268. Quod si animam brutorum, dissoluto corpore, interire explo-

---

[1]) Vid. Frèdault, *Op. cit.*, ibid., p. 369.

[2]) S. Thom., *Quodlib.* IX, a. 11 c.

[3]) « Cave existimes, ait s. Basilius, animam esse corporis ipsorum (*animalium*) constitutione vetustiorem, aut ipsam post carnis dissolutionem manere» (*In Hexaëm.*, Hom. VIII, n. 2.). S. Gregorius M. sanxit spiritum belluinum esse, « qui carne tegitur, et cum carne moritur » (*Dialog.*, lib. IV, c. 3), et s. Bernardus de eodem spiritu inquit: « qui a corpore, et cum corpore dissolvitur » (*Ep.* CIV). Quibus adiunge Gennadium: « Animalium animae . . . cum carne ipsa carnis vivacitate nascuntur, et cum carnis morte finiuntur »; *Op. cit.*, ibid.

[4]) « Et primum quidem, s. Bernardus ait, corpore egere constat, ut nec subsistere absque illo utcumque possit. Simul quidem et vivificare desinit, et vivere ille spiritus, quando moritur pecus »; *Serm.* V *in Cant.*

[5]) « Formae non subsistenti non competit proprie ut agat; agere enim rei perfectae, et subsistentis est; sed est eius ut ea agatur, est enim forma principium actionis, quo agens agit »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 13.

ratum est, oportet nosse, quo modo ipsa intereat. Interitus rerum, ut iam innuimus [1], vel per *annihilationem*, vel per *corruptionem* intelligi potest. Iam anima belluina priori ratione interire dicenda non est, tum quia Deus, a quo huiusmodi rerum destructio dumtaxat fieri posset, nullam rem, ut suo loco ostendemus, in nihilum redigit; tum quia in *non esse* redigi illud tantum cogitari potest, quod *esse* sibi proprium habet, anima autem belluina non habet aliud *esse*, nisi compositi [2]. Neque ipsa *per se* corrumpi dici potest; corruptio enim, aeque ac generatio, uti alibi ostendimus [3], non *formae*, sed composito substantiali proprie convenit. Reliquum est, ut dicatur animam belluinam ex eo interire, quod, corrupto composito animali, *per accidens* corrumpatur. Audire e re est s. Thomam: « Ipsa forma per se corrumpi non potest, sed per accidens, corrupto composito, corrumpitur, in quantum deficit esse compositi, quod est per forma, si forma sit talis, quae non sit habens esse, sed sit solum, quo compositum est [4] ».

269. Obiic. Wolfiani: Sententia Scholasticorum de natura animae belluinae viam sternit materialismo. Ergo veluti absurda, et plena periculi reiicienda est.

270. Resp. *Neg. antec. Prob. antec.* Sententia, qua cognitio sensitiva enti materiali tribuitur, viam materialismo sternit. Atqui anima belluina, ex Scholasticorum sententia, et materialis est, et cognitione sensitiva gaudet. Ergo sententia Scholasticorum de natura animae belluinae viam materialismo sternit.

271. Resp. *Dist. mai.*: si nomine *entis materialis* ens denotetur, quod sit substantia corporea, estensa, et divisibilis, *conc. mai.*; si nomine entis *materialis* denotetur non subsistens, *subd. mai.*: si haec forma eiusdem speciei sit, ac formae ceterarum rerum corporearum, *conc. mai.*; si sit diversae speciei, *neg. mai.* Sub eadem dist. *conc.*, et *neg. min. Neg. cons.* Isthaec obiectio ab ambigua significatione, qua vox *materiale* accipitur, vim suam derivat. Enimvero anima belluina, uti

---

[1]) Pag. 238.

[2]) « Non est, ait s. Thomas, anima sensibilis secundum esse diversa a corpore animato »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 57.

[3]) Pag. 239.

[4]) *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 14 c. Idem alibi: « Quae non subsistunt, ut accidentia, et formae materiales, dicuntur fieri, et corrumpi per generationem, et corruptionem compositorum. Ostensum est autem, quod animae brutorum non sunt per se subsistentes . . . Unde animae brutorum corrumpuntur, corruptis corporibus » (I, q. LXXV, a. 6 c.). Anima autem, corrupto corpore, *per accidens* corrumpitur ex eo quod aliqua causa exterior actione sua formam belluae in materia corrumpit, novamque ex ipsa educit. Audiatur rursus s. Thomas: « Dicendum, quod res corruptibiles desinunt esse per hoc quod earum materia aliam formam recipit, cum qua forma prior stare non potest; et ideo ad earum corruptionem requiritur actio alicuius agentis, per quam forma nova educatur de potentia in actum »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 3 ad 2.

ante vidimus [1], secundum sententiam Scholasticorum, non est materialis dicenda hoc sensu, quod est aliqua substantia corporea, et divisibilis, sed quod est forma, quae in suo *esse* a materia pendet. Iam, quoniam anima belluina hoc posteriori sensu est materialis, liquet ipsam ceteris formis corporeis excellere, propterea quod non solum ratione sui, perinde ac ceterae formae, sed etiam prout *actu* informat corpus, est indivisibilis. Ex quo patescit sententiam, qua cognitio sensitiva animae belluinae tribuitur, a materialismo longissime abhorrere. Nam materialismus corpora, vel quaslibet formas corporeas cognitione sensitiva pollere statuit; ast anima belluina, cui cognitio sensitiva attribuitur, neque est corpus, neque ad eamdem, ac ceterae formae corporeae, speciem pertinet, sed super formas corporeas adeo assurgit, ut ad immaterialitatem proxime accedat.

272. Inst. 1°: Quamvis anima belluina, Scholasticorum iudicio, ceteris formis corporeis antecellat; tamen, quia ipsa, perinde ac ceterae formae corporeae, est materialis, ab his formis differre non potest. Ergo, si cognitio sensitiva convenit animae belluinae, reliquis formis corporeis repugnare nequit.

273. Resp. *Neg. antec.*, et *conseq.* Si Scholastici sentiunt animam belluinam esse materialem, ipsam a formis materialibus rerum corporearum non differre omnino negant. Etenim formae materiales, ut ex eorum sententia iam monuimus [2], non pollent eadem perfectione, sed maiorem, vel minorem perfectionis gradum admittunt, prout magis, vel minus *ad materiam deprimuntur*. Iamvero in formis, ut s. Thomas docet, differentia invenitur « per hoc, quod una perfectior existit, quam alia . . . Ex diversitate autem formarum, secundum quas rerum species diversificantur, sequitur et operationum, differentia [3] ». Ergo ex eo quod cognitio sensitiva convenit uni formae materiali, nempe belluinae, ipsam reliquis formis materialibus non repugnare inferendum non est.

274. Inst. 2°: Anima belluina, quoad longissime reliquis formis antecellere dicatur, per virtutem corpoream, Scholasticorum iudicio, producitur. Atqui quidquid per virtutem corpoream producitur, corpus esse debet. Ergo anima belluina, secundum doctrinam Scholasticorum, a reliquis formis corporeis differre nequit.

275. Resp. *Dist. mai.*: per virtutem corpoream, tamquam per causam instrumentalem, *conc. mai.*; tamquam per causam principalem, *neg. mai.*; sub eadem dist, *neg.* et *conc. min.*; *Neg. cons.* Haec responsio, quae ex dictis satis patet, planior, illustriorque fiet, si cum s. Thoma consideretur, quod « virtus seminis disponit materiam, virtus autem animae dat formam materiae in generatione animalis [4] ». Quod

---

[1]) De hac duplici significatione cf p. 334.

[2]) Pag. 334.

[3]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 97.

[4]) I, q. CXVIII, a. 2 ad 3.

alibi explicavit hunc in modum: « Dico, quod ex actionibus qualitatum activarum consequitur anima sensibilis.., secundum quod in eis ut instrumentis manet virtus animae..., et ideo non oportet, cum agant in virtute sua tantum, quod ex actionibus earum nihil sequatur ultra earum speciem, quia ex motu instrumenti sequitur effectus secundum rationem principalis agentis [1] ».

CAPVT QVINTVM

De nexu, quo res mundanae inter sese continentur

ARTICVLVS PRIMVS

Inaequalitas, et colligatio rerum mundanarum exponuntur

276. In rebus, ex quibus mundus conflatur, magnam distinctionem, atque inaequalitatem inveniri hactenus disputata luculenter patefaciunt. Alia enim est, ut vidimus, natura lapidis, aliarumque rerum inanimarum, alia plantae, alia belluae, alia denique hominis, praetereaque plures rerum inanimarum, plantarum, et belluarum sunt species, aliae aliis praestantiores, cunctisque his homo longe excellit. Ratio distinctionis, atque inaequalitatis rerum, observante s. Thoma, ex eo repetenda est, quod, cum res creata ab infinita perfectione quam longissime distet, consentaneum fuit multas, inaequalesque rerum naturas a Deo creari, ut mundus diversis gradibus Divinam Bonitatem manifestaret. Enimvero omne opus, ut idem sanctus Doctor advertit, eo perfectius est, quo propius ad perfectionem suae causae accedit. Atqui mundus ad perfectionem Dei propius accedit, si plures, inaequalesque naturas rerum, quam si unam contineat, quippe quod, cum nulla natura infinitam Dei perfectionem repraesentare possit, certe ipse, quo plures, inaequalesque naturas rerum continet, eo pluribus, diversisque modis Divinam Bonitatem manifestat. Ergo perfectio mundi expostulabat, ut ex multis, distinctisque rerum naturis componeretur [2].

277. Iam, quoniam plures, diversaeque naturae rerum in mundo sunt, pro certo habendum est aliquem ordinem inter ipsas existere, alioquin unicum illud systema, quod *mundus* vocatur, inde conflari

---

1) *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 2.

2) Cf. I, q. XLVII, aa. 1, et 2; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 45, et lib. III, c. 97; *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 16; *ibid.*, q. un. *De Anim.*, a. 7 c. « Quod non potuit, inquit ad hanc rem s. Bonaventura, capere creatura in se, accepit quodammodo sibi sociam, ut sic ex multis una perficeretur mundialis machina »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. II, a. 1, q. 1 *ad arg.*

haud posset [1]. Quod quidem tum demonstratur ex sapientia Auctoris mundi, quia, cum Deus sit sapientissimus, quaecumque ab Eo efficiuntur, ordinem ad se invicem, et ad Deum habere debent [2]; tum experientia comprobatur, quippe quod vidimus diversarum naturarum, quae in mundo sunt, ita unam alteri praestare [3], unamque alii deservire [4], ut in unicum ordinem concurrant [5].

278. Perfectionem autem rerum consideranti perspicuum fit ipsam quibusdam veluti gradibus progredi, quia una species rerum ob aliquam proprietatem essentialem supra alteram extollitur, atque in rebus eiusdem speciei quaedam gradatio perfectionis essentialis invenitur, ob quam una res alteri praestat. « Inveniet, ait sanctus Doctor, si quis diligenter consideret, gradatim rerum diversitatem compleri; nam supra inanimata corpora inveniet plantas, et super has irrationabilia animalia, et super has intellectuales substantias, et in singulis horum inveniet diversitatem, secundum quod quaedam sunt aliis perfectiora, in tantum quod ea, quae sunt suprema inferioris generis, videntur propinqua superiori generi, et e converso, sicut animalia immobilia sunt similia plantis [6] ». Quoniam autem in eadem specie sunt diversi gradus perfectionis, indeque diversae, ut recentes aiunt, *classes* existunt, quarum una est alia perfectior, ideo species superior per id, quod est infimum in se, cum specie inferiori per id, quod in ista est supremum, connectitur. « Hoc autem modo, idem Aquinas ait, mirabilis rerum connexio considerari potest. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis, sicut quadam infima in genere animalium parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea, quae sunt immobilia, et solum tactum habent, et terrae in modum plantarum affiguntur [7] ».

279. Quae cum ita se habeant, Scholastici post Nemesium [8], Auctorem *Librorum Aeropag.*[9], s. Maximum [10], aliosquos antiquos sapienter

---

[1]) « Mundus enim iste unus dicitur unitate ordinis, secundum quod quaedam ad alia ordinantur »; I, q. XLVII, a. 3 c.

[2]) « Quaecumque autem sunt a Deo, ordinem habent ad invicem, et ad ipsum Deum »; *Ibid.* Cf q. XI, a. 3 c., et q. XXI, a. 1 ad 3.

[3]) « In rebus naturalibus gradatim species ordinatae esse videntur. Sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantae corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus »; I, q. XLVII, a. 2 c.

[4]) « Omnia enim, quae sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem, dum quaedam quibusdam deserviunt »; I, q. XI, a. 3 c.

[5]) « Videmus corruptibilia et incorruptibilia, spiritualia et corporalia, perfecta et imperfecta in unum ordinem concurrere »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 6 c.

[6]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 97. Quod a ss. Patribus, in primisque a Nysseno (*De Officio hominis*, c. 8 et 30, *Opp.* ed. Migne, t. I, col. 255) didicerat.

[7]) *Ibid.* lib. II, c. 68. — [8]) *De nat. hom.*, c. 1, ed. Matthaei, Magdeburg. 1802.

[9]) *De Div. Nom.*, c. V, n. 3, c. IV, n. 3, et c. VIII, n. 3, ed. cit.

[10]) *Scholia in Gregorium Theologum*, apud Scot. Erig., *De divisione naturae*, Append., p. 14, ed. Gale, Oxonii 1681.

docuerunt diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, ita comparatas esse, ut omnes secum congruo, naturalique vinculo coniungantur, et pedetentim, concinneque ab inferioribus ad altiora ascendant [1]. Inde pervagata est apud eosdem Scholasticos illa comparatio universitatis rerum cum *scala*, per quam ad cognitionem Dei pervenitur [2]. Nam, cum Deus per res ab Eo creatas cognoscatur, res creatae, prout aliae aliis excellunt, considerandae sunt veluti totidem gradus scalae, per quos mens humana, quantum eius imbecillitas patitur, ad cognitionem Dei ascendit.

280. Iam, si omnes res creatae cum invisibiles, tum visibiles, considerentur, quinque gradus in scala creaturarum inveniuntur, quos s. Thomas, secundum Areopagitam [3], a supremo ad infimum progrediens, exposuit hoc modo: « Distributio divinae virtutis propter sui infinitatem procedit ad omnia existentia, et nullum est existens, quod non habet aliquam virtutem; sed oportet, quod habeat aut *virtutem intellectivam*, sicut Angeli, aut *rationalem*, sicut homines, aut *sensibilem*, sicut animalia, aut *vivificam*, sicut plantae, aut *substantialem*, sicut alia [4] ». Itaque infimum locum in scala rerum creatarum tenent mineralia, seu res, quae sunt expertes vitae, ideoque veluti merae *substantiae* [5] spectantur. Mineralia supereminent plantae, quae vitam quidem habent, sed tantum *vegetativam*; et quoniam vita vegetativa est omnium infima, ideo nomen genericum sumunt, et *substantiae viventes*, vel *viventia* dicuntur. Supra plantas assurgunt belluae, quae vita *vegetativa* simul, et *sensitiva* gaudent; et cum animal per sensum a reliquis rebus discriminetur, *substantiae animales*, sive *animalia* etiam vocantur. Belluis succedunt homines, qui vitam non modo vegetativam, et sensitivam, sed etiam *rationalem* habent; et quia ratio hominem a ceteris rebus discernit, *substantiarum rationalium* voce etiam designantur. Hominibus, ceterisque creaturis Angeli longe excellunt, qui, cum res non ratiocinatione, sed per species intelligibiles a Deo infusas cognoscant, *vita intellectuali* pollere dicuntur, et *substantiae intellectuales* nuncupantur [6].

281. Sin rerum tantum visibilium, ex quibus mundus hic aspecta-

---

[1]) Vid. s. Thom., *In lib. De Mem. et Rem.*, lect. 1.

[2]) Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.* Dist. III, p. I, a. 1, q. 3 *resol.*

[3]) *Op. cit.*, c. VIII, n. 3.

[4]) *Com. in c. VIII De Div. Nom.*, lect. 1.

[5]) Hinc Areopagita (*Op. cit.*, ibid.) mineralibus vim *substantialem*, οὐσιώδη, tribuit.

[6]) Ex quibus intelligis, cur de mineralibus proprie praedicetur *esse*, de vegetabilibus *vivere*, de animalibus *sentire*, de homine *ratiocinari*, et de Angelis *intelligere*. Quod clare insinuavit s. Augustinus, ubi homini, cuius proprium est ratiocinari, aliquid cum ceteris creaturis commune esse dixit: « Habemus . . . ipsum esse cum lignis et lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis »; *Serm.* XLIII *de verbis Isai. cap. VII*, c. 3, n. 4.

bilis componitur, rationem habuerimus, quatuor tantum gradus in scala creaturarum inveniemus, quos Raymundus de Sabunde ita definivit: «Omne, quod est, vel *est* tantummodo, et non vivit, nec sentit, nec intelligit, nec discernit, nec vult libere, ecce primus gradus; vel *est*, et *vivit* tantum, et non sentit, nec intelligit, ecce secundus gradus; vel *est*, *vivit*, *sentit* tantum, et non intelligit, ecce tertius gradus; vel *est*, *vivit*, *sentit*, *intelligit*, *vult libere*, ecce quartus gradus [1] ». Haec autem distinctio, atque inaequalitas rerum creatarum, ex quibus scala entium efficitur, cuilibet naturae scrutatori adeo patet, ut nulla demonstratione egeat. Unde idem Raimundus: « . . . scala naturae, et creaturarum nobis manifesta est ad sensum, et nullus potest dubitare, an creaturae ordinatae per quatuor gradus sint, et existant, quia hoc est per se manifestissimum [2].

282. Haec autem diversa rerum genera, ex quibus mundus componitur, scalam, seu catenam, veluti totidem gradus, componunt ex eo quod quodam modo inter sese continentur, sive, ut recentes loqui malunt, continuantur. Huiusmodi colligationem, sive continuationem inter res mundanas reapse existere, secundum ss. Patres, et s. Thomam, modo ostendimus. Iuvat ad hoc magis declarandum ea afferre, quae idem Aquinas in suo Comment. in Lib. *De Causis* egregie disseruit. Ibi enim primo docuit diversas species rerum discriminari inter se per *differentias*, hoc est, per qualitates essentiales, quae sunt singularum propriae, et secum consentire per *genus*, cui subiiciuntur, hoc est, per qualitates essentiales, quae pluribus speciebus genere

---

[1]) *Theologia Naturalis, sive liber creaturarum*, tit. I, Argentorati 1496. Prologus huius libri a Clemente VII in *Indicem librorum prohibitorum* relatus est, quia Raymundus in ipso scripsit Revelationem sola Scriptura contineri; quare in edit. Parisiensi 1581, et Veneta 1648 non invenitur. Cf Warthon, Append. ad Cave, t. II, p. 192, ed. Basil.

[2]) *Ibid.* tit. 2. Compertum est distinctionem, inaequalitatemque rerum ab iis omnibus negatam fuisse, qui pantheismo adhaerentes omnia esse unum, idemque autumarunt. Inter hos praecipue commemorandi sunt Neoplatonici, quos in recenti aetate Spinosa, et nuper Schellingius, atque Hegelius magna ex parte secuti sunt; ipsi enim non solum statuerunt omnia, quae in mundo sunt, esse unum, idemque, sed etiam enumerarunt cunctos substantiales gradus entis, per quos illud unum sese explicat, evolvitque. Enimvero Plotinus, eorum antesignanus, effutivit, quidquid in mundo existit, et viget, non aliud esse, nisi evolutionem Divinae cogitationis, quae ab Uno, omnium supremo principio, proficiscens, sese per diversos gradus entis magis, magisque dividit, eo usque dum descendat ad materiam, quae est mera negatio, et nihil, seu malum (*Enn.* II, lib. IX, c. 3, 8, et 13). Proclus, qui agmen celebriorum Neoplatonicorum clausit, gradus substantiales entis, per quos Deus in universitate rerum sese explicat, ad tres revocavit, ratusque est universitatem rerum a Deo egressam ab essentia ad vitam; atque a vita ad intellectum ascendere, ita ut superior quisque gradus inferiorem complectatur (*Inst. theolog.*, § CI-CIII, ed. Creuzer). Horum omnium placita in praesentia sine examine mittimus, quia de pantheismo, a quo profluunt, in Theodicea agendum nobis erit.

comprehensis communes sunt. Enimvero vegetabilia differunt a mineralibus, quia illa vivunt, haec vero vita carent; sed in eo conveniunt, quod utraque sunt substantiae. Animalia a vegetabilibus dissident, quod ipsa sensum habent, quo plantae carent; verum in eo consentiunt, quod ambo vivunt. Bruta sentiunt, perinde ac homines; sed hi ab illis discriminantur, quod ratione praediti sunt. Homines denique cum Angelis conveniunt, eo quod intelligunt; at quoniam intellectiones eorum ab organis corporis pendent, non sunt, perinde ac Angeli, substantiae mere intellectuales [1]. Secundo, sanctus Doctor advertit, quoniam specierum, quae eodem genere continentur, una est altera perfectior, quodlibet genus per speciem perfectam cum genere superiori, et per imperfectam cum genere inferiori coniungi, ita tamen ut inter genus superius, et genus inferius magnus hiatus differentiae essentialis existat [2]. E. g., bellua per *ourang-outang* (nempe *hominem sylvestrem*) cum homine, et per polypum cum planta coniungitur [3].

283. Quoniam vero haec entium colligatio a non paucis Philosophis, maximeque recentibus perperam explicatur, gravissimisque inde erroribus adytus patefit, omnino necesse est, ut placita horum Philosophorum ad trutinam revocemus, simulque doctrinam ss. Patrum, et Scholasticorum, quam modo innuimus, tueamur.

ARTICVLVS SECVNDVS

Nonnulli exitiales errores circa rerum creatarum colligationem refelluntur

284. Principio expendenda nobis est lex *continuitatis*, quam a Bernouillio [4], aliisque paucis profectam Leibnitius adeo excoluit, perpolivitque, ut eius auctor vulgo habeatur. Hic sensit res, quotquot

---

[1]) Lect. IV.

[2]) « Ita enim procedit ordo rerum, ut similia se invicem subsequantur. Ea vero, quae sunt penitus dissimilia, non subsequuntur se invicem in gradibus rerum, nisi per aliquid medium, sicut videmus, quod animal perfectum, et planta sunt dissimilia penitus quantum ad duo. Nam animal perfectum est sensitivum, et mobile motu processivo, planta autem neutrum horum habet. Natura ergo non procedit immediate ab animalibus perfectis ad plantas, sed producit in medio animalia imperfecta, quae sunt sensibilia cum animalibus, et immobilia cum plantis »; *Op. cit.*, lect. XXX, cf lect. IV.

[3]) Cf quae hac de re egregie, diserteque exposuit Nemesius in *Op. cit.*, ibid.

[4]) Bernouillius illi pronuntiato innixus, quod *natura non operatur per saltum*, contendit, « quidquid in natura fit, per gradus infinite parvos fieri », ideoque « nihil posse transire de uno extremo ad aliud, nisi per gradus intermedios transeat » (Bernouilli, *Discours sur les lois de la communication du mouvement*, Paris 1727). Bernouillio adversati sunt Maclaurin (*Essai sur les fluxions*, t. II, Paris 1742), Maupertuis (*Histoire de l'Acad. royale des sciences*, an. 1846, t. II, p. 294), ceterisque missis, Kaestner, *De lege continui*, Lipsiae 1846.

sunt, tum quae simul existunt, tum quae sibi succedunt, ita inter sese connexas esse, ut nullus inter ipsas *hiatus* inveniatur, quia, si quis hiatus unquam inter ipsas inveniretur, nulla ratio sufficiens foret, cur una simul cum altera existeret, aut una alteri succederet. Quare omnes species rerum, eius iudicio, veluti totidem annuli unius catenae, ita inter se colligantur, ut haud possibile sit adamussim definire, unde quaelibet illarum incipiat, et quo desinat. Inde deduxit medias inter duas quasque species esse *species aequivocas*, hoc est, species participes proprietatum, quae ambarum propriae sunt. Leibnitius pro certo habuit existere in rerum natura *zoophyta*, seu *animalia-plantas*, speravitque fore, ut ipsa a naturae scrutatoribus aliquando detegerentur. Fassus est nullam speciem mediam inter hominem, et brutum in nostro terrarum orbe inveniri, sed contendit nihil prohibere, quin illam in alio orbe existere putetur [1].

285. Postquam Trembleyus praeclaris experimentis, quae de polypo instituit, hypothesim Leibnitii de *zoophytis*, nempe de *animalibus-plantis* comprobasse visus est [2], Bonnetus legem continuitatis vehementer propugnavit. Polypus, secundum Trembleyi experimenta, non secus ac planta, germinat, seque per sectiones et gemmas reproducit, simulque, perinde ac animal, movetur, nutritur, et sentit. Iam Bonnetus, ratus hisce Trembleyi experimentis hypothesim Leibnitii omnino comprobatam fuisse, docuit omnia, quae in mundo conspiciuntur, entia *unicam* et *continuam* lineam efformare, quae a regno minerali ad vegetabile, a vegetabili ad animale, et ab animali ad hominem progreditur, et continuationem fieri per species *medias*, sive illas, quas Leibnitius *aequivocas* nuncupavit [3]. Quamvis hanc theoriam Bonneti non pauci, in primisque Lesage, Bonneti familiaris, impugnassent [4]; nihilominus lex continuitatis suis non caruit defensoribus, immo a non paucis ad progressum scientiarum, artiumque tuendum accommodata fuit [5].

---

1) *Lettre de Leibniz* in *Append.* ad librum Koenig, *Appel au public*, p. 45, et 46, Berl. 1752. Cf *Extrait d'une lettre à M. Bayle*, *Opp.*, ed. Erdm., p. 105; *Theod.*, Part. III, § 345, et 348, p. 604, et 605; *N. E.*, lib. III, c. 6, § 12, p. 311, ed. cit.

2) Vid. *Mem.* cit. Haec species animalium antiquos non latuit; siquidem eius, praeter Aristotelem, de quo diximus, aliosque ethnicos, mentionem fecit Nemesius in *Op. cit.*, ibid.

3) *Principes philosophiques sur la cause première, et sur son effet*, Neuchâtel 1783. Cf *Contemplation de la nature*, Amsterdam 1764, et 1765, et *Considérations sur les corps organisès*, Amsterdam 1762.

4) Lesage, *Essai de chimie mècanique*, p. 94-96, Genève 1761.

5) Hi contendebant legem continuitatis semper, atque adamussim obtinuisse in progressu scientiarum, atque artium; nam, cum unusquisque alicuius scientiae, aut artis cultor aliquid iis, quae praecessores eorum invenerant, addat, progressus in scientiis, et artibus per gradus minimos, et vix conspicuos perficitur. Qua in re ipsis, post Blasium Pascal (*Prèf. au Traitè du vide*, *Oeuvr.* ed. Faugère, t. I, p. 97, et 98, Paris 1844) praecesserat Perrault (*Parallèle des anciens, et des modernes*,

286. Legem continuitatis leibnitianam nuperi Germaniae Philosophi, secundum diversa pronuntiata suorum systematum, amplexi sunt, eorumque alii veluti *idealem* tantum, alii vero veluti *realem* habuere [1].

287. Giobertius, Nicol. Cusanum [2] secutus, eamdem legem exposuit hoc modo: Inter quaelibet duo opposita genera existit genus medium, in quo duo opposita unum, idemque sunt, sive *identificantur*, quia genus medium est ultimus terminus, ad quem genus inferius suo nisu pervenit, atque est primum principium, a quo genus superius supra inferius assurgit. Ita substantia simplex est genus medium, in quo substantia corporea, et substantia spiritualis *identificantur*, quia substantia simplex est ultimus terminus, ad quem substantia corporea nisu suo ascendit, et principium, a quo substantia spiritualis proficiscitur, ut supra substantias corporeas assurgat [3].

288. Iam haec diversa de lege continuitatis placita, ex ea parte, quatenus ad Cosmologiam pertinent, considerata, tum logicae, et metaphysicae decretis, tum accuratis Physicorum experimentis adversantur.

Et primo, omnino repugnat dari illas species *aequivocas*, seu *medias*, quas Leibnitius, et Bonnetus commenti sunt. Enimvero nulla species rerum ex proprietatibus, quae secum pugnant, componi potest, quia pugnantium proprietatum una alteram tollit. Atqui, si darentur species *aequivocae*, sive intermediae, hoc est, species participes proprietatum, quae duabus speciebus eodem genere comprehensis insunt, hae ex proprietatibus secum pugnantibus constarent; quippe quod, cum genus per oppositas differentias in species distribuitur, species intermediae ex oppositis, sive secum pugnantibus proprietatibus componi deberent. Ergo nullae species aequivocae, sive interme-

---

Paris 1688-1696). Sed tenendum est cum s. Thoma proprium quidem esse generis humani in scientiis, artibusque perficiendis progredi, quia mens humana, utpote rationalis, a noto ad ignotum transit, sed hunc progressum non esse continuum, quia dari possunt impedimenta, per quae non modo retardatur progressus scientiarum, et artium, sed etiam scientiae, et artes a maioribus comparatae in oblivionem labuntur. Quod historia, eodem sancto Doctore observante, nos edocet; siquidem « videmus multas scientias, quae apud antiquos viguerunt, paulatim, cessantibus studiis, in oblivionem abiisse »; *In lib. I Ethic.*, lect. II. Cf quae scripsimus in op. *I principali sistemi* etc., c. 2, § 2, p. 158 sqq. et § 5, p. 209.

[1]) Kantius, cum *legem continui* agnosceret, contendit ipsam non esse aliquid reale, sed dumtaxat *ideam*, quae in natura exploranda utilitatem habet (*Introd. ad specimen philosophiae naturae* (germ.), Introd., Tubing. 1799). Schellinghius, eiusque discipuli, qui scientiarum naturalium studio incubuere, illam legem esse realem senserunt, sed, secundum philosophiae suae placita, pantheistarum mora explicarunt. Cf Wilm, *Hist. de la phil. allem.* etc., Part. 2, « Philos. de Schelling », sect. I, c. 22, t. III, p. 212.

[2]) *De docta ignorantia*, lib. I, c. 9, 10, et 24, Basileae 1565.

[3]) *Introd.*, Part. 2, c. 5, art. 4, vol. II, not. 26, p. 826, Brusselle 1840.

diae, dari possunt. Revera, si inter minerale, et vegetabile, inter vegetabile, atque animal, inter animal denique, et hominem essent species aequivocae, hoc est participes proprietatum utriusque speciei, existerent in natura rerum species, quae ex proprietatibus oppositis constarent, hoc est, res viventes, et mortuae, res sensu praeditae, et expertes sensus, itemque res rationales, et irrationales [1].

289. Ut id magis declaretur, theoriam logicam de serie specierum, et generum memoria repetere iuvabit, quippe quod, cum species, ex quibus catena, seu continua entium progressio constituitur, Leibnitio, aliisque fatentibus, verae species sint, notionibus generum, et specierum in *Logica* traditis adamussim respondere debent. In serie specierum, et generum, quae *arbor Porphyriana* vocatur, species media illa dicitur, quae speciei superiori, veluti generi, subiicitur, puta animal viventi, et ad speciem inferiorem, veluti genus eius, refertur, puta animal ad hominem, vel belluam. Iam huiusmodi species, uti apposite Albertus M. observavit, vocantur mediae, non quod sunt participes specierum, inter quas interiacent, sed quod unaquaeque illarum essentiam superioris peculiari differentia determinatam habet, et totam essentiam suam cum inferiori communicat, in qua ipsa per novam differentiam determinatur. At species rerum eo modo, quo Leibnitius, et Bonnetus ipsas acceperunt, *mediae*, seu *aequivocae* essent *participatione extremorum*, hoc est, quod partim ab uno, et partim ab alio extremo efficerentur. Ergo theoria Leibnitii, et Bonneti de speciebus aequivocis, seu intermediis, contra certa logicae pronunciata peccat [2].

290. Accedit, quod, si inter singulas binas species rerum oppositas aliqua species media existeret, infinitas rerum species in mundo esse

---

[1]) « Abyssus, apposite Wilmius scribit, naturam organicam ab inorganica, vegetabilia ab entibus sensibilibus, atque ens rationale a simplici animali seiungit. Si qua continuitas daretur inter regnum minerale, et vegetabile, atque inter hoc, et animale, oporteret in natura produci res, quae essent simul viventes, et mortuae, sensuque simul praeditae, et carentes. Nemo certe dubitat, quin homini sint quaedam cum belluis communia; sed ratio inter illum, et istas discrimen statuit illo longe superius, quod lapidem a planta, aut plantam ab ente animato seiungit »; *Op. cit.*, p. 212 et 213.

[2]) « Attendendum autem est, ait B. Alb. M., quod haec media (*species mediae*) alterius rationis sunt, quam media, quae dicuntur per participationem extremorum, sicut in coloribus, et saporibus, et odoribus sunt media; illa enim, quia participationem utriusque extremi media sunt, ab extremis causantur et principiantur. Et ideo secundum naturam posteriorum sunt utrorumque extremorum. Ista autem, quia non participatione media sunt, sed ordinis, et positionis inter extrema, quia quodlibet medium est in toto medio universaliter, ideo superius quidem causa est, et principium medii, et medium principium est, et causa posterioris . . . Et medium participat totum superius, et participatur totum ab inferiori, et non participat utrumque extremorum. Nec participat unum extremorum illo modo participationis, quo medii colores, vel medii sapores participant extremos colores, vel sapores »; *De praedicab.*, tract. IV, c. 3.

oporteret. Namque, uti ad hanc rem Ploucquetus observavit [1], continuum est natura sua infinitum, sive, ut Scholae aiunt, indefinitum, quia quaelibet pars, quoad minima fingatur, in plures partes dividi potest. Hinc, si series specierum mundanarum esset continua, non vero discreta, inter singulas binas species infinitae aliae species inveniri deberent, quippe quod inter quaslibet binas species infiniti gradus diversi existunt. Puta, si species simiarum, secundum propugnatores seriei discretae, proxima speciei hominum dicatur, nulla certe inter utramque nova species esse posset; at, si species simiarum non proxime accedere ad seriem hominum, sed cum ipsa continuari dicatur, infinitae aliae species animalium inter simiam, et hominem fingendae sunt, quia, posita doctrina continuitatis, perfectionem, qua homo simiae antecellit, in infinitos gradus distribui posse intelligendum est. Atqui in mundo existere nequeunt omnes possibiles species rerum, tum, quia, cum possibilia sint infinita, infinitus numerus rerum actu daretur, tum quia infinita potentia exhausta dicenda esset. Ergo haud possibile est scalam, seu catenam entium esse continuam eo modo, quo Leibnitius voluit [2].

291. Doctrina Giobertii, qua extrema generum contrariorum in genere medio identificari statuitur, vehementius, quam leibnitiana,

---

[1]) *Dissert. historico-cosmol. De lege continuitatis, sive gradationis leibnitiana*, inter *Commentt. phil. selectiores*, p. 130, Traiecti ad Rhenum 1781.

[2]) Leibnitius, ut huius argumenti vim retunderet, contendit, quoniam mundi infiniti possibiles sunt, possibiles esse infinitas series creaturarum, quae ex diversis speciebus constant, proindeque in hoc mundo non omnino omnes creaturas possibiles existere, sed tantum omnes possibiles creaturas, quae ad hanc seriem pertinent. Ast hoc effugium vanum est. Nam, cum series rerum, quae hunc mundum constituunt, sit quoddam continuum, necesse est infinitas rerum species *actu* inveniri, quia possibilia in quolibet genere sunt infinita; quod, ut vidimus, absurdum est. Bonnetus vero sensit 1° ad constituendam seriem continuam specierum non expostulari, ut infinitus numerus specierum *actu* existat, sed satis esse, ut cuncta vacua repleantur, cunctique loci occupentur; 2° id re ipsa in mundo conspici, quia in eo existunt omnes species diversae, quae ex infinitis possibilibus particularum combinationibus confici possunt, omnesque species, quae ex coniunctione novarum particularum in primis efficiuntur (*Princip. phil.*, etc., p. 227, ed. cit.). At, praeterquam quod haec ratio explicandi productionem rerum est omnino absurda, Bonnetus pro concesso sumit quaslibet combinationes particularum materiae esse possibiles, atque omnes combinationes possibiles esse reales. Sed hoc falsum est. Nam quoniam, Flourensio advertente, combinationes organicae non casu, sed certis modis fiunt, necesse est, ut quaedam illarum sint impossibiles, quaedam vero necessariae. Puta stomachus, qui ad devorandam carnem destinatur, non potest in eodem corpore combinari cum dentibus, quibus ad terendam herbam opus est; atque e contrario stomachus, qui ad herbas devorandas destinatur, dentes expostulat, qui herbas conterere valent. Iam, cum non omnes combinationes sint possibiles, liquet numerum combinationum, quae in natura sunt, esse finitum, proindeque inter combinationes, quae in mundo existunt, necessario inveniri hiatum. Vid. Flourens, *Cuvier, Histoire de ses travaux*, p. 279, 282, Paris 1845.

exploratis, indubiisque generis, et speciei notionibus contradicit. Primo enim perfectio, ob quam unum genus differt ab altero, quod relatum ad species sibi subiectas et ipsum genus est, non aliud esse potest, nisi *differentia*, qui in serie praedicabilium cuncta genera, quorum unum alteri certo ordine subiicitur, per perfectiones sibi insitas differunt. Hinc, si in genere medio essentia generis inferioris, et essentia generis superioris, licet ad unitatem reductae, invenirentur, genus medium differentias utriusque *actu* in se haberet. Atqui differentias actu esse in genere absurdum est; quia, si differentia actu in genere esset, procul dubio differentia generi adiecta nihil ei adderet, et species, quae ex genere, et differentia constat, nihil amplius contineret, quam quod in genere est [1]. Ergo absurda est notio generis medii, quam Giobertius tradidit.

292. Praeterea, genera superius, medium, et inferius ita se habent, ut essentia, quae notione generis superioris continetur, tota in genere medio, et essentia, quae notione generis medii continetur, tota in inferiori genere inveniatur [2]. Atqui, si essentia generis superioris, et essentia generis inferioris eo modo, quem Giobertius dixit, in genere medio essent, nec tota essentia generis superioris genere medio, nec tota essentia generis medii genere inferiori continerentur, sed genus medium essentias utriusque generis ex parte haberet. Rursus igitur liquet notionem giobertianam generis medii esse absurdam.

293. Lex continuitatis non minus, quam logicae, et metaphysicae decretis, adversatur Physicorum experimentis. Principio, nemo inficias it cum plantarum, tum belluarum alias aliis excellere, ita ut plantarum aliae magis, aliae minus ad speciem belluinam, et belluarum aliae magis, aliae minus ad speciem humanam accedant [3]. Ve-

---

[1]) Cf B. Alb. M., *Op. cit.*, tract. V, c. 6, et Henr. Gand., *Summa*, part. I, art. XXVIII, q. 3, n. 7.

[2]) Cf B. Alb. M., *Op. cit.*, tract. IV, c. 6.

[3]) Hoc Aristoteles in sua *De animalibus historia* copiose exposuit. Satis sint haec pauca : « Sic autem ab inanimis ad animantes transit natura paulatim, ut in continuatione eorum confinia, mediaque lateant, utrius sint; etenim ab inanimatarum rerum genere primum est plantarum genus, quarum una ab altera differt, eo quod plus videtur esse vitae particeps; universum autem genus hoc, cum ceteris corporibus comparatum, videtur fere animatum; cum animali autem, inanimum. Ac transitus illorum in animalia continuus est, quaemadmodum prius dictum est; nonnulla enim, quae in mari agitant, dubitabit quispiam, animalne sit, an planta : agnata enim humo sunt, atque exempta intereunt eorum plurima » (lib. VIII, c. I, § 2, et 3, ed. Didot.). Quem secutus pro more suo s. Thomas inquit : « In substantiis materialibus diversi gradus perfectionis naturae diversitatem speciei constituunt; et hoc quidem facile patet, si quis ipsa genera materialium substantiarum consideret. Manifestum est enim quod corpora mixta supergrediuntur ordine perfectionis elementa, plantae autem corpora mineralia, et animalia plantas, et in singulis generibus secundum gradum perfectionis naturalis diversitas specierum invenitur. Similiter autem in mineralibus gradatim natura invenitur per diversas species proficere usque ad speciem auri. In

rum, si hoc nemo negat, sunt, qui cum Leibnitio, Bonneto, Buffono, aliisque paucis asserunt illas gradationes perfectionis in qualibet specie rerum procul dubio inveniri, licet pleraeque ipsarum nos lateant, easque huiusmodi esse, ut unicam, atque continuam lineam efficiant. Ast hi iure, meritoque a reliquis naturae scrutatoribus reprehenduntur. Primo enim ex eo, quod nonnullis speciebus quaedam gradatio perfectionis invenitur, hanc esse legem universalem naturae inferendum non est, quippe quod, cum de rebus *facti* agitur, extra experientiae limites vagari nemini licet [1]. Leibnitius, ut vidimus, ad suum principium rationis sufficientis confugit, illudque expostulare dixit, ut inter species diversas rerum nullus hiatus existat. At 1° ratio sufficiens in iis quaerenda non est, quae haud possibilia sunt, cuiusmodi est, uti ostendimus, continuitas in scala entium; 2° ratio sufficiens requirit, ut inter diversas species rerum sit quidam ordo, vel connexio [2], sed non ut sit continuatio. Lockius [3], aliique principio analogiae innituntur. At perperam. Nam, cum species secundum essentiam inter se differant, ex eo quod aliquae species diversitatem specificam graduum admittunt, hanc in ceteris omnibus quoque inveniri concludendum non est. E. g., non repugnat in serie plantarum, et in serie belluarum diversos specie gradus perfectionis inveniri, per quos in diversas species, sive, ut aiunt, *classes* distribuuntur, quia, cum earum essentiales operationes per organa corporis exerceantur, ipsae pro varietate structurae organicae variare possunt [4]. Ast idem dici nequit de specie humana, tum quod, quoniam operationes intellectuales per organa corporis non exercentur, nulla ratio est, cur homines in plures, diversasque species distribuantur, tum quod, cum homo in genere substantiarum intellectualium infimum locum teneat, non est possibile inveniri in eadem specie humana plures gradus perfectionis, per quos ipsa in plures species, aliam alia perfectiorem, subdividatur [5].

294. Praeterea, accuratis, repetitisque observationibus compertum

---

plantis etiam usque ad speciem arborum perfectarum, et in animalibus usque ad speciem hominis »; *Qq. dispp.*, q. unic. *De Anim.*, a. 7 c.

[1]) Cuvier, *Le regne animal*, Introd., t. I, p. XXI, Paris 1829.

[2]) « Ubicumque, inquit s. Thomas, est diversitas graduum, oportet quod gradus considerentur per ordinem ad aliquod unum principium »; *Qq. dispp.*, q. un. *de Anim.*, loc. cit.

[3]) *Essai* etc. lib III, c. 6, § 12, t. III, p. 157 sqq.

[4]) « In substantiis materialibus attenduntur diversi gradus speciem diversificantes in ordine ad primum principium, quod est materia; et inde est, quod primae species sunt imperfectiores, posteriores vero perfectiores, et per additionem se habentes ad primas »; *Op. cit.*, ibid.

[5]) Hinc theoria, quam secundum s. Thomam statuimus (p. 349), de quadam gradatione perfectionis essentialis in eadem specie, uti ex verbis eiusdem Aquinatis in superiori nota allatis patet, speciem humanam non complectitur.

est diversos gradus perfectionis, qui in quibusdam speciebus inveniuntur, ultra naturam specierum haud assurgere, ita ut nullae species aequivocae, vel intermediae in ipsis existere queant. Certe ea, quae ad legem continuitatis evincendam ab eius fautoribus adducuntur, continuationem specierum minime probant. Enimvero, quod ad fossilia, et vegetabilia pertinet, ipse Bonnetus [1], aliique post eum ultro concedunt nullam speciem aequivocam inter regnum fossile, et regnum vegetabile inveniri, transitumque ab uno in aliud regnum videri *ex abrupto* fieri, quia inter entia organica, et inorganica nihil medii esse potest [2]. De transitu autem a bellua ad hominem inter fautores legis continuitatis non convenit. Sunt, qui cum Buffono, aliisque fatentur speciem aequivocam inter hominem, et belluam non inveniri, quia nihil medii inter animal rationis particeps, et animal rationis expers esse potest [3]. Lockio visum est hanc speciem aequivocam iis ab hominibus constitui, qui imbecilles sunt a nativitate [4]. Leibnitius, cum *hominem belluam* in hoc terrarum orbe non inveniret, dubitandum non esse putavit, quin in alio orbe existat [5]. Impius Buchnerus, ut alios praetereamus, hodie pertèndit Aethiopes esse speciem aequivocam, per quam species belluina cum humana continuatur, quia ipsi in sua structura organica prae se ferunt multa, quibus ad simiam proxime accedunt [6]. Sed haec commenta Lockii, Leibnitii, et Buchneri sunt adeo futilia, ut vix confutatione egeant. Et sane, quod ad Lockium attinet, species intermediae, si darentur, procul dubio natura aequivocae essent, et perinde ac species, inter quas interiacent, immotae, fixaeque manerent. Atqui imbecillitas, qua nonnulli homines a nativitate laborant, non est ipsis naturalis [7], sed a vitiis structurae organicae oritur; nam, quoniam homo vim suam intelligendi sine phantasmatis exercere nequit, et phantasmata sunt ope-

---

1) *Considèrations sur les corps organisès*, p. 175, Neuchâtel 1779.

2) Haec ratio illorum opinionem prorsus interimit, qui asserere non dubitant speciem aequivocam inter mineralia, et vegetabilia existere, etsi ipsa nos lateat, et confidunt aliquando fore, ut detegatur. Nam, cum proprium vegetabilium sit organis ad vegetandum accommodatis instrui; mineralium autem quibuslibet organis carere, species aequivoca inter regnum minerale, et animale organica simul, et inorganica esse deberet.

3) Ratio, quae Buffonum permovit, in eo posita est, quod « homo constituit simul speciem, et genus » (*Oeuvr.* t. XIV, p. 336, ed. cit.), quia homo secus ac brutum, non dividitur in plures species.

4) *Op. cit.*, lib. III, c. 2, § 22, t. III, p. 168, ed. cit.

5) *N. E.* lib. IV, c. 16, § 12, p. 392, ed. cit.

6) *Force, et matière*, p. 75, et 76, ed. cit. Aethiopibus addit quoque Hottentotos, ceterasque barbaras gentes, et citat pro hac opinione Reinchebanch, *De ortu hominis* (germ.), 1854.

7) « Infans, inquit s. Augustinus, nec stultus, nec sapiens dici potest, quamvis iam homo sit . . . Unde neque animal irrationale stultum dicimus »; *De lib. arb.*, lib. III, c. 24, n. 71.

rationes organicae, necessario fit, ut quoties organa corporea aliquo vitio laborant, actiones intelligendi vel debiles, vel nullae sint. Ergo homines, qui a nativitate sunt stupidi, non sunt species aequivoca inter hominem, et belluam [1]. Huic argumento maius robur ex eo additur, quod, ut recens Auctor advertit, homines e perfecto, exquisitoque rationis usu in statum imbecillitatis prolabi interdum videmus. « Quot, ait, a rationis statu ad imbecillitatis statum declinarunt? num proinde naturam mutaverunt? num proinde quid medium inter hominem, et bruta effecti sunt? [2] » Leibnitius hac in re potius ludere, quam philosophari videtur. Quidquid enim sit de aliis mundis, quos sibi fingit, procul dubio omnia entia, ex quibus hic mundus constat, ita ab se invicem pendere debent, ut inde unicum systema exurgat. Atqui in quolibet rerum systemate, Leibnitii iudicio, nullus hiatus esse debet. Ergo, si qua species aequivoca inter hominem, et belluam daretur, haec in nostro hoc mundo inveniri deberet. Denique Buchnerus delirat, non philosophatur. Nam, quaecumque sit similitudo, quae, structura organica spectata, inter simias, et Aethiopes intercedit, certum est Aethiopes ratione pollere, qua simiae, perinde ac reliquae bestiae, carent, eorumque aliquos ipsam adeo excoluisse, ut viri in primis eruditi, atque acuti evaderent.

295. At, si fautores legis continuitatis de transitu a fossili ad vegetabili, atque a bellua ad hominem inter se discrepant, speciem aequivocam inter belluam, et vegetabile re vera dari, eamque esse polypum inter omnes illos convenit [3]. Sed vehementer falluntur. Nam polypus, quemadmodum Flourensius post Reamurum [4] observavit, etsi, ob structurae organicae simplicitatem, propius, quam ceterae belluae, ad plantas accedat, tamen *est animal, et non aliud*, nisi animal, quia, perinde ac animal, se ipsum movet, sentit, et nutrit, manducat, et digerit. Nec quemquam movere debet, quod se per gemmas reproducit; hoc enim commune ipsi est cum nonnullis animalibus exquisitioris structurae, quae non aliud, nisi animalia esse nemo ambigit. Huiusmodi sunt vermes terrae, et aquae dulcis, qui, cum stomachum, intestina, arterias, venas, et peculiare systema nerveum

---

[1]) Hinc s. Thomas subdit: « Impossibile est aliquid esse in actu, nisi omnibus existentibus, quibus esse substantiale designatur; non enim potest esse animal in actu, quin sit animal rationale, vel irrationale »; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 24.

[2]) Para du Phanjas, *Op. cit.*, tract. V, sect. 2, a. 1, t. III, p. 193. Cf tract. VI, sect. 1, tom. cit. p. 310, et 311, et sect. 2, p. 347, et 348. Hanc Lockii abnormem sententiam, ni fallimur iam s. Augustinus refutaverat, cum pueros anima rationali, aeque ac ceteros homines, pollere docuit: « Videmus infantilem animam nondum coepisse uti ratione, et tamen eam rationalem dicimus »; *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 7, n. 10.

[3]) Vid. Bonnet, *Principes* etc., p. 326, ed cit.. et Buffon, *Oeuvr.*, t. II, p. 262, ed. cit.

[4]) Rèamur, *Lettres à un Americain*, lett. IX, t. I, p. 22.

habeant, sese per gemmas reproducunt. Constat vero inter omnes salamandram, quae est animal vertebratum, caudam, et pedes toties reproducere, quoties abscinduntur [1]. Ex quibus Flourensii observationibus intelligitur Bonnetum, aliosque ex eo falsos esse, quod, cum in observatione brutorum non aliud, quam quasdam exteriores analogias adnotarent, intimam eorum structuram organicam cognoscere non potuerunt [2]. Si hanc enim attente considerassent, nullo negotio pervidissent nullam speciem aequivocam aut intermediam in natura dari, atque anatomen hac in re cum decretis metaphysicae mire concordare, ex qua *ens duplex*, seu particeps diversarum naturarum, existere non posse luculenter edocemur [3].

296. Hactenus de continuatione specierum, quae mundum efficiunt. Manifeste autem falsum est illud, quod Lockius voluit ab homine seriem creaturarum intellectualium usque ad Deum assurgere, quemadmodum ab homine series creaturarum aspectabilium usque ad infimos insensibiles gradus descendit [4]. Etenim, si pantheistas exceperis, omnes consentiunt nullam rem creatam esse posse adeo perfectam, ut annulus sit ad coniungendam universitatem rerum creatarum cum Deo, quippe quod « impossibile est, ait Ploucquetus, ut aliquid detur Deo proximum, sed necessarium est, ut, quidquid ponitur extra Deum, infinito intervallo ab Eo distet [5] ». Veteres ethnici, aiente Fontanelleo [6], vacuum infinitum, quod homines a Deo seiungit, replere volentes, innumeros Genios, et Daemones excogitarunt. Nos certe admittimus, quod Divina Revelatione docemur, multos inter hominem, et Deum esse Angelorum ordines, praetereaque observamus ex Divina Revelatione, quae ad ethnicas gentes corrupta pervenit [7], persuasionem de Geniis, et Daemonibus apud ipsos invaluisse. Verum contendimus ipsos Angelos supremi ordinis, cum sint creaturae Dei, infinito intervallo a Deo distare, quia inter Deum, et

---

[1]) *Histoire des travaux, et des idèes de Buffon*, p. 38, et 39, Paris 1850; et *Cuvier, de ses travaux* etc., p. 268, et 269, ed. cit.

[2]) Bonnetus ingenue fassus est « se contemplationi, non vero dissectioni animalium operam dare »; *Contemplation de la nature*, Part. 2, p. 37, *Oeuvr. complet.*, Neuchâtel 1779-1783.

[3]) Cf Roux-Lavergne, *De la philosophie de l'histoire*, lib. I, c. 3, p. 30, et 31, Paris 1850.

[4]) « Magnificae harmoniae huius universitatis rerum, perinde ac infinitae Bonitati supremi huius Architecti, consentaneum est diversas rerum creatarum species a nobis gradatim ita ad infinitam Eius perfectionem accedere, sicut ipsas videmus a nobis ad infimas per minimos gradus recedere »; *Op.* cit., lib. III, c. 6, § 12, t. III, p. 159. Cf lib. IV, c. 16, § 12, t. IV, p. 268 sqq, ed. cit.

[5]) *Dissert.* cit., p. 131. Cf Baldinotti, *Tentamina metaph.*, Tent. I, c. 4, p. 85, et 86, ed. cit.

[6]) *Histoire des oracles*, apud Ploucquet, *Dissert.* cit. p. 131.

[7]) Vid. vol. I, *Epitome hist. philos.*, p. 2.

quamlibet creaturam vel summam, cuiusmodi sunt Angeli supremi ordinis, infinitum intervallum existit [1].

297. Coronidis loco observare iuvat theoriam de lege continuitatis cum pantheismo perbelle componi. Nam, si in scala entium quaelibet species inferior connectitur cum superiori per speciem intermediam, hoc est, per speciem, quae particeps utriusque est, atque superior rursus cum alia, qua ipsa inferior est, nemo non videt unicam re ipsa esse essentiam mundi, cuius singulae species diversi modis participes sunt. At quid aliud sibi volunt Pantheistae, nisi res omnes mundanas esse totidem emanationes Absoluti, sive diversos modos, quibus Absolutum se manifestat? Id historia luculenter comprobat, quippe quod lex continuitatis antiquis, recentibusque Pantheistis valde arrisit. Hinc Wilmius sapienter asseruit, si lex continuitatis propugnetur, admittendum esse pantheismum; sin negetur, liberam mundi creationem, propterea quod, posita lege continuitatis, omnia, quae in mundo conspiciuntur, esse evolutionem necessariam entis dicendum est; hac vero sublata, diversi gradus perfectionis nonnisi a libera causa, quae mundum creavit, repeti possunt [2].

298. Theoriae Patrum, et Scholasticorum de connexione, seu scala entium adversatur quoque commentum illud de *unitate typi*, quod a nonnullis antiquis profectum, atque a praeteriti saeculi atheis excultum pauci non ignobiles naturalium scientiarum cultores usque ad hanc nostram aetatem probarunt. Isti Philosophi, et Physici rati sunt unicum esse totius universitatis rerum *typum*, atque hunc esse *hominem*, seu *speciem humanam*, ceterasque species non aliud esse, nisi quosdam gradus, per quos natura ab unico principio, veluti cunctarum rerum rudimento, profecta transivit, ut ad formationem hominis tandem perveniret. Diversis autem modis sententiam suam ipsi explicarunt, et defenderunt. Robinetus post quosdam veteres, quorum meminit s. Basilius, asseruit, et demonstrare conatus est, quotquot sunt in mundo, diversas naturas, non esse aliud, nisi diversa *rudimenta* unius naturae, nempe humanae, quae est omnium *prototypon*, et diversas aetates, quas unica illa natura percurrit, usque dum formam omnium perfectissimam, nempe humanam, assequatur [3]. Alii

---

[1]) « Inter summam creaturam, ait s. Thomas, et Deum infinita distantia est » (*In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, q. I, a. 2 *sol.*). Hinc s. Augustinus nullam inter Deum, et quamlibet creaturam comparationem institui posse diserte docuit, quia res creatae, si cum Deo comparentur, re ipsa sunt nihil. En, ceteris omissis, brevem eius locum: «Ita Ille (Deus) est, ut in Eius comparatione ea, quae facta sunt, non sint. Illo non comparato, sunt, quoniam ab Illo sunt; Illi autem comparata, non sunt, quia verum esse, incommutabile esse est, quod Ille solus est »; *Enarr. in Psal. CXXXIV*, n. 4. — [2]) *Op. cit.*, t. cit. p. 213.

[3]) Hinc illius pronuntiatum: « species rerum esse veluti *specimina*, seu *tentamina*, quibus natura *hominem efformare* didicit » (*Considèrations phil. sur la gradation naturelle des formes de l'être, ou Les essais de la nature, qui apprend à faire l'homme*, Amsterdam 1768). Exscribamus pauca haec eius verba: « Vermis,

vero in uno regno animali unitatem typi considerarunt. Hanc sententiam, post Malletum [1], Lamarckium [2], Herderum [3], aliosque, Jouffroy Saint-Hilaire, celeberrimus zoologiae Professor [4], repetitis observationibus, argumentisque statuere adnisus est. Is contendit 1° hominem esse unicum *typum* vitae animalis, atque hunc *typum* non illico constitui, sed esse ultimum terminum evolutionis organicae embryonis humani; 2° ceteras species esse totidem pausas, quas evolutio organica in suo cursu fecit, ita ut evolutio, quoties in aliquo momento sui cursus consistit, sive, ut aiunt, pausam fact, aliquam speciem constituat. Secundum haec docuit 3° embryonem humanum, antequam ad constituendum hominem perveniat, induere pedetentim diversas formas vitae animalis, variasque species constituere; 4° unicam esse structuram organicam omnium animalium, unicam compositionem organorum, unicum denique exemplar, ad quod natura omnia animalia effingit, atque haec tria nonnisi varietate accidentium inter se distingui; 5° omnes species ab unica specie oriri, ad eamque veluti sui prototypum referri, atque haec esse speciem humanam [5].

---

conchylium, et serpens sunt veluti totidem crysalides *prototypi* (*hominis*), quod a statu plantae ad statum scarabei, et a statu scarabei ad statum crustacei, atque a statu crustacei ad statum piscis progreditur » (*ibid.*, p. 81). Gemina his sunt, quae s. Basilius de antiquis scripsit: « Arrogantium philosophorum fuge deliramenta, quos non pudet suas ipsorum animas, et canum eiusdem inter se speciei esse statuere, cum se ipsos aliquando et mulieres et frutices et pisces aquoreos fuisse doceant »; *Hom.* VIII *in Hexaëm.*, n. 2.

[1]) Malletus effutivit universam naturam initio aqua cooperiam fuisse, et, cum illa paulatim exsiccaretur, inde cuncta genera animantium prodiisse. Vid. *Telliamed, ou Entretiens d'un philosophe indien avec un missionaire français sur la diminution de la mer*, Paris 1746. *Telliamed* est anagramma, quo De Maillet suum nomen occultare voluit.

[2]) Hic praeclarus Germaniae zoologus statuit 1° unicum esse typum omnis naturae organicae, eumque ab infimo viventium statu usque ad hominem progredientem diversas species viventium constituere; 2° evolutionem illius typi repetendam esse ab *energia*, seu potestate vitae, quam necessitas, et habitudo determinant; siquidem necessitas organum ex typo producit, habitudo autem illud evolvit, et corroborat (*Philosophie zoologique*, t. II, part. 2, c. 6, Paris 1809, et fusius in op. *Recherches sur l'organisme des corps vivants* etc., Paris 1802). Hoc Lamarkii commentum, diversis licet modis, hodie sectantur in Germania Büchner (*Force et matière*, p. 72 sqq, ed. cit.), in Anglia Darwin (*De l'origine des espèces*, trad. de l'angl. par Clemence-Aug.-Royer, p. 669 sqq, Paris 1862), atque in Gallia Littrè, qui unitatem typi *legem evolutionis* vocat (*Paroles de philosophie positive*, passim, Paris 1859), Taine (*Les philosophes français du XIX siècle*, 2 ed., c. 14, p. 339 sqq, Paris 1860, et *Étude sur Carlyle*, Paris 1864), et Renan, *Les sciences de la nature et les sciences historiques*, in Ephem. *Revue des deux mondes*, 15 Octob. 1863.

[3]) Herder *typum creationis animatae* admittendum esse sanxit in suo op., *Deus*, seu *Dialogi de syst. Spinosae* (germ.), 1787.

[4]) Huius theoriam valde probavit Goëthe, ut videre licet apud Ekermann, *Colloquia Goëthe in ultimis annis suae vitae* (germ.), Pars III, Magdeburgi 1848.

[5]) Vid. prae ceteris eius libris, *Mémoire sur les makis*, Paris 1796; *Théorie des*

299. I amvero opinio Philosophorum, qui asserunt omnia ab uno typo, seu exemplari, profluxisse, proindeque cunctas species esse succedaneas transmutationes unius speciei primitivae, est manifeste absurda, et impia. Primo est absurda, quia pantheismum physicum, seu cosmicum statuit. Et sane, si omnia ab unico typo promanant, omnesque species sunt transmutationes unius speciei, consequitur unicam esse omnium rerum, quae sunt, essentiam, seu substantiam, et dumtaxat accidentia diversa [1]. Atqui hoc falsum est, quia diversae naturae, seu species rerum, ex quibus scala mundi constituitur, secundum essentiam, ut vidimus, ab se differunt [2]. Ergo falsa est opinio eorum, qui omnes naturas rerum ab unico typo derivant, vel, quod idem valet, omnem varietatem specierum ab unius speciei evolutione repetunt. Secundo ipsa est impia. Nam, si Deus existit, is auctor omnium, quae extra ipsum sunt, esse debet, alioquin, ut suo loco ostendemus, esset simul Deus, et non esset [3]. Atqui Philosophi, contra quos pugnamus, mundum ex vi uni primitivae speciei insita effectum fuisse volunt. Ergo impia eorum opinio est.

300. Altera autem opinio nuperorum Physicorum, qui unicum esse typum totius vitae animalis autumant, adversatur tum rationi, tum accuratis, repetitisque experimentis, quae in primis Cuvierius, et post eum Flourensius, Muellerus, aliisque missis, Milne-Edwards instituerunt.

1° Exemplaris, aiente s. Thoma, proprium est eo spectare, ut illa, quae ad normam sui effinguntur, similia sibi reddat [4]. Atqui id de homine cum reliquis animalibus comparato dici nequit. Namque homo ob rationem, qua solus inter animalia pollet, a reliquis animalibus essentialiter differt. Ergo homo exemplar, seu typus totius vitae animalis esse nequit [5].

---

analogues, ou Philosophie anatomique, Paris 1818; *Principes de philosophie zoologique*, Paris 1830. Praestat exscribere pauca verba Serresii, qui hanc amici sui theoriam dilucide exposuit, et propugnavit: « Regnum animale totum, quantum est, nobis quodammodo non aliter apparet, quam veluti unicum animal, quod, cum ad diversos organismos efformandos spectet, modo citius, modo ocyus, consistit, atque hoc pacto in qualibet sui cursus interruptione pro ipso statu, in quo versatur, notas organicas, quibus classes, familiae, genera, et species constituuntur, determinat »; Serres, *Prècis d'anatomie transcendente appliquèe à la Physique*, p. 19, Paris 1842.

[1]) Apposite s. Thomas: « Si omnium species est una, sequitur quod omnia sint unum secundum speciem, et non solum, quae videntur esse diversa »; *In lib. VII Met.*, lect. XI.— [2]) « Diversitas, inquit s. Bonaventura, attenditur quantum ad principia essentialia, sive substantialia »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, dub. 4.

[3]) « Deus, ait Aquinas noster, sicut primum ens, est omnibus causa essendi »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 100, n. 4.

[4]) « Exemplar est, ad cuius imitationem fit aliquid. Unde ad rationem exemplaris requiritur quod ipsa assimilatio operis ad exemplar sit intenta ab agente, alias talis assimilatio casu accideret, et non secundum viam exemplaritatis »; *Quodlib.* VIII, a. 2 c.

[5]) Quod iam monuerat s. Thomas his paucis: « In homine est aliquid, quod non

2° Si homo esset ultimus terminus, ad quem evolutio embronis pervenit, facultates cognoscendi, appetendique in homine à principio quodam materiali producerentur, quippe quod embryo, horum Physicorum sententia, ex vi sibi insita se ipsum evolvit. Atqui hoc, uti ex dictis in *Dynam.* patet, perabsurdum est. Nam facultates rationales, cum sint inorganicae, principium alius naturae, ac quodlibet organum corporeum, expostulant; sentientes autem, etsi per organa corporis exerceantur, ab his tamen promanare nequeunt. Ergo homo esse nequit ultimus terminus, ad quem evolutio embryonis pervenit, seu, quod idem est, typus totius vitae animalis.

3° Certum, ratumque est 1° a quolibet principio non posse aliud fieri, nisi illud, ad quod ipsum principium spectat, et ad quod in potentia est; 2° illud, quod fit, esse eiusdem naturae cum seipso, postquam factum est, quia id, quod fit, ad seipsum, prout factum est, se habet, veluti via ad terminum, et veluti corpus, quod est in motu, ad corpus, quod est in quiete. Atqui homo alius est naturae, ac reliqua animalia, atque animalium multae sunt species. Ergo unicus embryo nec potest esse principium, ex quo homo, et cunctae species belluarum efformantur, nec potest, dum ad faciendum hominem progreditur, cunctas species belluarum, aliam post aliam, producere[1]. Itaque concludendum est cum s. Thoma: « Non est possibile, ut una, et eadem forma numero sit diversarum specierum [2] ».

4° Si diversae species belluarum ortae essent ex diversis pausis, quas evolutio embryonis humani facit, profecto una species in aliam transmutata foret, proindeque ipsae mutabiles, non vero fixae, et im-

---

continetur virtute in elementis. . . . scilicet anima rationalis » (*Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 10 c.). Notandum est cum eodem Aquinate hominem non modo prout est rationalis, sed etiam prout sentiens, a belluis differre, quia sensibilitas in eo cum ratione coniungitur. « Quamvis, ait sanctus Doctor, homo, et equus in hoc conveniant, quod est sensibile; non tamen oportet quod anima sensibilis sit unius rationis in homine, et equo, quia homo, et equus non sunt unum animal in specie; unde in homine anima sensibilis est multo nobilior, quam in aliis animalibus, quantum ad principales actus, ut patet in actibus interiorum sensuum, et in operatione tactus, qui est principalis sensus; in omni enim toto potestativo potentia inferior superiori coniuncta perfectior invenitur, ut potestas Praepositi multo excellentior est in Rege. Anima autem sensibilis in homine per essentiam coniungitur animae rationali » (*In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. II, a. 3 ad 4). Hinc, « si anima sensibilis, quae est in brutis, et anima sensibilis, quae est in homine, collocarentur secundum se in genere, vel specie, non essent unius generis; nisi forte logice loquendo secundum aliquam intentionem communem »; *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 11 ad 14. Cf *Dynam.*, c. II, art. 8, p. 273 vol. I.

[1]) «Embryo, scribit s. Bonaventura, actu habet unam formam, et figuram quamdam massae carnis; illa tamen est dispositio ad diversas membrorum figurationes » (*In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. 1, q. 3 *resol.*); atque *ibid.*: « Forma embryonis est in propinquitate ad eductionem membrorum ».

[2]) I, q. CXVIII, a. 2 ad 2.

motae dicendae essent[1]. Atqui hoc omnino repugnat, quia, cum diversae species belluarum ob aliquam proprietatem essentialem differant, admittendum foret essentias rerum esse mutabiles : praeterea experientiae contradicit, quia, uti a Cuvierio demonstratum est [2], species belluarum in cunctis praeteritis aetatibus eaedem fuerunt, ac nunc sunt, et mutationes, quae ob varietatem coeli, aliasque causas in eis fiunt, non sunt, nisi exteriores, et accidentales. Ergo diversas species animalium oriri non potuisse ex pausis, quas evolutio embryonis humani facit, pro certo habendum est [3].

301. Haec procul dubio clariora fient, si quae de unitate structurae, de unitate compositionis, et de unitate typi ab adversariis dicuntur, futilia esse ostenderimus. Quod quidem, ducibus Blainvilleo, et Flourensio, breviter praestabimus. Primo non est eadem *structura* in cunctis animalibus; alia enim est, ut ridimus, structura *zoophytorum*, alia *annulosorum*, alia *mollium*, alia denique *vertebratorum*. Secundo ne *unitas* quidem *compositionis* in cunctis animalibus eadem est. Sunt enim quaedam animalia, in quibus nutritio, sensibilitas, aliaeque functiones per unicam, eiusdemque generis massam exercentur; huiusmodi est polypus, cuius tota massa adeo homogenea est, ut singulae eius partes totum reproducant. Contra ea, in animalibus vertebratis

---

[1]) Omnes ii, qui unicum esse universae naturae, aut saltem solius naturae animalis typum primitivum sentiunt, hocce suae doctrinae corollarium non abnuunt, immo pro viribus statuere conituntur. Ipsi contendunt species rerum non permanere, sive non esse fixas, et immotas, sed eiusmodi esse, ut aliae in alias tractu temporis transmutentur. Post Malletum, Robinetum, aliosque Materialistas, quos saepe citavimus, pro transmutatione specierum Lamarck vehementer pugnavit (*Hist. des animaux sans vertèbres*, Paris 1801), eumque secutus est Jouffroy Saint-Hilaire (*Principes de philos. zool.*, Paris 1830; cf *Vie, travaux, et doctrine scientifique d'Étien. Jouffroy Saint-Hilaire* par Isidore Jouffroy Saint-Hilaire, p. 134 sqq, Paris 1847). Eadem opinio hodie fautorem accerrimum habet Darwinum, qui opus saepe citatum ad ipsam stabiliendam evulgasse videtur (cf p. 669 sqq), eaque defenditur a non paucis Physicis Germaniae, quorum placita Buchenerus (*Op. cit.*, p. 72 sqq) exponit, calculoque suo probat.

[2]) Apud Flourens, *Cuvier* etc., n. 291; cf Buckland, *La gèologie, et la minèralogie dans leurs rapports avec la thèologie naturelle*, c. XVII, sqq. 3, p. 350 sqq, trad. de l'angl.

[3]) Permanentia specierum a nobilioribus Philosophis, et Physicis nullo non tempore propugnata fuit. Inter antiquos satis est nominare Platonem, atque Aristotelem. Ille enim, cum docuisset cunctas species rerum mundanarum ideis aeternis, atque immutabilibus divini intellectus respondere, pro immotis, et fixis necessario habere debuit. Hic vero, quamvis ideas Platonis reiecisset, tamen formas rerum semper easdem permanere, nullique esse mutationi obnoxias constanter tradidit. In media aetate ceteris hac in re antecelluit Albertus M.; hic enim in *De animalibus historia* non modo stabilitatem specierum agnovit, atque inculcavit (lib. XXII, tract. I, c. 1), sed etiam hominem non esse, quemadmodum deinceps Linnaeus sensit (*Systema naturae*, t. I, p. 24, Halis 1760), annulum seriei animalis, sed cunctis speciebus belluarum longe praestare ostendit (lib. XXI, tract. I, c. 1, et lib. XXII, tract. I,

cunctae vel exiguae functiones ab se invicem distinguuntur, et singulae in distinctis locis exercentur. Desideratur denique in animalibus unitas *typi*. Typus proprius cuiusque animalis dicitur forma systematis nervei, quia haec *typum*, seu *formam generalem* animalis constituit. Iam nullo modo dubitari potest, quin systema nerveum in animalibus variet; omnibus enim anatomes studiosis notum est systema nerveum *zoophytorum* a systemate nerveo animalium *annulosorum*, hoc ab altero *mollium*, atque hoc quoque ab altero *vertebratorum* differre. Futilia igitur sunt argumenta, quae ab anatome zoologica comparata ad unitatem typi, seu compositionis insinuandam afferuntur [1].

302. Obiic. Experientia compertum est embryonem humanum initio similem esse formis quarumdam belluarum infimarum, et nonnisi, prout magis evolvitur, ad formam humanam propius accedere, donec ipsi omnino similis fiat [2]. Atqui hoc commonstrat embryonem humanum per omnes formas animalium ab infima usque ad supremam transire, antequam forma humana inde existat. Ergo.

303. Resp. *Dist. mai.*: esse similem *re*, *neg. mai.*; *specie* tenus, *conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Ut haec responsio intelligatur, memoria repetendum est formam, seu typum cuiuslibet animalis in embryone non contineri *actu*, sed *potentia*; proindeque embryonem, antequam ad formam humanam perveniat, plures, diversasque transmutationes pati. Iamvero fieri facile potest, ut inter aliquas figuras, quas embryo humanus in sui evolutione induit, et quasdam formas infimas reptilis vermis regni animalis aliqua analogia, seu similitudo deprehendatur. At vero isthaec *analogia* nonnisi adparens esse potest. Nam, cum forma humana secundum essentiam differat a formis omnium belluarum, haud possibile est in embryone humano *potentia* contineri, ab eoque evolvi non modo formam humanam, sed etiam ante hanc diversas formas belluarum. Analogiam, quae inter embryo-

---

c. 5; cf De Blainville, *Op. cit.*, t. II, p. 80, ed. cit., et Pouchet, *Albert* etc., p. 276 sqq). In recenti aetate, praeter multos Apologetas Christianae Religionis, qui doctrinam de permutationibus specierum veluti materialismo, et pantheismo faventem impugnarunt, et Buffonum (*Oeuvr.* t. V, p. 59, t. VI, p. 55, t. XII, p. 3, et t. XIII, p. VI., ed. cit.), aliosque non paucos, G. Cuvier permanentiam specierum adversus Lamarck, et Saint-Hilaire strenue defendit (*Regne animal*, Introd. passim, ed. cit., *Anatomie comparèe*, lect. I, art. 5, Paris 1805, et saepe alias). Idem cum Cuvierio tuiti sunt de Forbes, Agassiz, Barande, Pictet, Falconer, aliique zoologi, atque inter geologos Lyell, Murchison, et Sadwick, quos recensuit Levêque, *La physique d'Aristote, et la Science contemporaine*, § 2, p. 14, et 15, Paris 1862.

1) Vid. Blainville, *Diction. de scienc. naturel.*, Suppl., art. *Animal*, et Flourens, *Cuvier, Histoire de ses travaux* etc., p. 272 sqq, ed. cit.

2) Buchnerus (*Op. cit.*, p. 76, et 77), post Vogt, aliosque germanos inculcat quoque, et repetit embryones omnium animalium esse sibi similes, adeo ut embryonem unius ab embryone alterius distinguere haud possibile sit.

nem humanum, et quasdam formas belluarum conspicitur, non esse realem, sed adparentem plures hodierni, iique nobiles Physiologi tenent, multisque experimentis confirmant. Enimvero Muellerus fatetur quandam analogiam inveniri inter embryonem humanum, et embryones animalium vertebratorum, ad quorum genus homo pertinet; quia tam ille embryo, quam isti initio quasdam generales notas typi cunctis animalibus communis prae se ferunt; verum contendit utrosque, pro eo ut evolvuntur, diversas notas manifestare, quibus inter se discriminantur, praetereaque embryonem humanum in sui evolutione formam similem pisci, reptili, avi, aut aliis eiusmodi belluis nunquam prae se ferre [1]. Quare ii, qui mirabiles similitudines inter embryonem humanum, et quasdam species brutorum venditant, specie falluntur, similesque sunt, ut verbis Fredaultii utamur, homini, qui nubes prospiciens diceret se in illis detegere palatia, villas Armidae, equites, exercitus, et quidquid valde calens phantasia fingere potest [2].

304. Quae cum ita sint, lubenter iis assentimur, qui theoriam de *unitate typi* in regno animali perinde rationi, ac experientiae, perindeque philosophiae, ac physiologiae adversari docent [3]. Nobis quoque videtur ipsam purum, putumque materialismum complecti; quippe quod si animae humanae ab eodem typo primitivo, ac belluinae, evolverentur, oporteret illas, perinde ac istas, esse formas materiales, et cum corporum dissolutione interire. Historia id comprobat, quia haec theoria, uti ante innuimus, hodiernis Materialistis valde arridet.

ARTICVLVS TERTIVS

De nexibus dynamico, et teleologico rerum mundanarum

305. Ad diversas rationes, quibus naturae, seu species rerum secum connectuntur, atque unicum mundi systema constituunt, explorandas progrediamur. Manifestum est non posse connexionem inter res aliter statui, quam per vinculum causalitatis, quippe quod res, quemadmodum per causas constituuntur, aliaeque ab aliis discernuntur, ita per causas aliae cum aliis colligantur. Iam causae, per quas

---

[1]) Mueller, *Manuel de physiologie*, trad. de l'allem., Paris 1851. Cf Milne-Edwards, *Leçons sur la physiologie, et l'anatomie comparèe* etc., t. I, p. 31-33, Paris 1857; Coste, *Histoire génér. et particul. du devèloppement des corps organisès*, t. I, p. 17 sqq; Quatrefages in Ephem. *Reuve de deux mondes*, t. XVII, p. 137 sqq; Chevreul, *Considèrations sur la philosophie de l'anatomie*, in Ephem. *Journal des savants*, an. 1840; Martin, *Phil. spirit.* etc., part. 2, c. LXXXII, t. II, p. 346, et 347.

[2]) Frédault, *Physiologie générale*, p. 366, Paris 1863.

[3]) Vid. de his-Physiologorum observationibus P. Liberatore, *Dell'unità di tipo nel regno animale*, in Ephem. *La Civiltà Cattolica*, ser. V, vol. XII, p. 288, an. 1864.

res inter se colligantur, profecto non sunt materialis, et formalis, sed efficiens, et finalis. Nam causae materialis, et formalis, cum sint principia intrinseca, seu constitutiva rei, sunt ratio, ob quam res ab se distinguuntur, non vero ratio, ob quam inter se colligantur. E contrario, quoniam per causam efficientem nova res producitur, aut res, quae iam producta est, quodammodo immutatur; et per causam finalem causa efficiens ad rem producendam, vel immutandam determinatur; res per ambas hasce causas colligantur, quia una alteram ad rerum productionem, vel immutationem determinat. Quoniam causa efficiens, et causa finalis sunt ab se distinctae, et diversae, duo distincti, diversique modi connexionis rerum existunt, quorum primum *nexum dynamicum*, alterum *nexum teleologicum* cum Rothenflueo [1] commode appellare possumus. Hinc colligatio rerum mundanarum, quae cum eodem Auctore *nexus cosmicus* [2] vocari potest, ex duobus iam dictis nexibus, nempe *dynamico*, et *teleologico* efficitur.

306. Quisquis ea, quae passim disseruimus, memoria repetet, non paucos Philosophos alterutrum nexum sustulisse, atque ex aliis principiis *harmoniam*, seu concentum mundi derivasse facile intelliget. Perspicuum est nexum dynamicum ab omnibus illis Philosophis sublatum esse, qui vel ullam causam efficientem, sive immanentem, sive transeuntem, uti Malebranchiani, vel saltem ullam causam transeuntem, ut Leibnitiani, in mundo dari inficiati sunt, quia nexus causalitatis inter res existere non potest, nisi hae et vi actuosa polleant, et ipsam in sese invicem exerceant. Nexum vero teleologicum illi omnes sustulere, qui mundum ex fortuito atomorum concursu extitisse, vel quolibet alio modo ab una vi materiae insita effectum esse autumarunt; nam, cum effectum ad finem dirigere proprium sit causae intelligentis, nemo non videt, si mundus ex coeca vi atomorum, vel ex vi materiae chaoticae insita effectus est, nullum naturis rerum finem praestitui potuisse. Itaque contra hosce Philosophos existentia utriusque nexus vindicanda nobis est.

307. A nexu dynamico ordiamur. Malebranchius nexum cosmicum a mutua rerum in se ipsas actione effici negavit, hac una ratione permotus, quod substantias creatas vi actuosa pollere haud possibile ei visum est [3]. Leibnitius, dum contra Malebranchium contendit vim actuosam substantiis creatis non modo non repugnare, sed etiam ad ipsarum essentiam pertinere, cum eo consensit nexum cosmicum non esse ab actione mutua substantiarum in se ipsas repetendum, quia

---

[1]) Rothenflue e S. I., *Institutiones philosophiae theoreticae, Cosmol.* Pars I, n. 1, t. II, p. 1 sqq, Lyon, et Paris 1846. Prior dicitur *dynamicus* a *vi*, seu *energia* (δύναμις), quam res naturales in se invicem exercent; posterior autem *teleologicus* a *fine* (τέλος), cuius gratia una res alteri inservit.

[2]) Ibid. *Cosmicus* a κοσμος, *mundus*.

[3]) Cf *Ontol.*, c. 5, art. 4, p. 159.

substantias vim actuosam, qua pollent, non posse in se invicem exercere persuasum habuit [1]. Iam Malebranchius, uti alias dicemus, sensit nexum cosmicum effici ab immediata actione, qua Deus res mundanas movet, et Leibnitius contendit ipsum non aliud esse, nisi harmoniam, quam Deus inter actiones immanentes substantiarum praestabilivit.

308. Ex iis apparet nobis existentiam nexus dynamici statuere volentibus in eo adlaborandum esse, ut substantias non modo vi agendi pollere, sed etiam aliquid in sese invicem agere demonstremus. Id principio adversus Malebranchium, et Leibnitium evincere in promptu est. Nam praeclari hi duumviri non negant nobis videri substantias vi actuosa pollere, et hanc vim in sese invicem exercere; sed pertendunt activitatem sive immanentem, sive transeuntem substantiarum esse adparentem, non vero realem, quia substantias finitas ulla activitate, aut saltem transeunte pollere haud possibile est. Atqui a nobis iam ostensum est nullum inesse pondus argumentis, quibus Malebranchius omnem activitatem, et Leibnitius activitatem transeuntem substantiis creatis repugnare probarunt [2]. Ergo futilis est ratio, ob quam Malebranchius, et Leibnitius nexum dynamicum rerum tollunt.

309. Sed hocce argumentum, cum sit *indirectum*, infringit quidem ea momenta rationis, quae a Malebranchio, et Leibnitio contra nexum rerum dynamicum adducta fuere, sed existentiam eiusdem nexus non demonstrat. Necesse igitur est, ut nexum dynamicum demonstratione directa, nempe ab ipsa contemplatione rerum petita, evincamus. Quod quidem nullo negotio praestare nobis licet, si vel ea dumtaxat, quae in hoc opere hactenus statuimus, mente recolamus. Enimvero, quin hominibus vis activa insit, hactenus dicta dubitare non sinunt. Nos enim vidimus hominem res sentire, imaginari, intelligere, et velle, aeque de loco in locum movere; atqui haec omnia, ut ostensum a nobis est, vim actuosam inesse homini commonstrant; ergo homines vi actuosa pollent. Idem de belluis dicendum est; hae enim, si non intelligunt, et volunt, certe, uti ostendimus, sentiunt, imaginantur, appetunt. Plantae vero nutriuntur, et augescunt; necesse igitur est aliquod principium activum illis inesse, quia nutritio, et augmentatio sunt operationes internae viventium. Nec corporibus inanimis vis quaedam activa deest, alioquin ea nec resistere sibi invicem, nec actionem causarum exteriorum in sese excipere possent [3]. Quae quidem omnia, si theoria philosophiae christianae de principiis constitutivis rerum admittatur, probari possunt hoc uno argumento: Quidquid in hoc aspectabili mundo existit, ex duobus principiis, nempe materiali,

---

[1]) Cf *Ibid.*, art. 1, p. 146-147.
[2]) Cf *Ibid.*, art. 1, p. 147-149; et art. 4, p. 160-162.
[3]) Cf p. 288 sqq.

et formali componitur. Atqui principium formale, ut suo loco vidimus, est principium activum, quia quaelibet res ex eo ipso, quod constituitur, vim operandi accipit. Ergo quidquid in hoc mundo aspectabili existit, aliqua vi actuosa pollet [1].

310. Si certum est omnes res, quae in mundo sunt, vi actuosa pollere, certum quoque est ipsas ita ad se invicem referri, ut aliae in alias aliquid agant. Enimvero certum est res corporeas aliquid in organa sensoria corporis nostri agere, quippe quod, nisi quidquam in ea agerent, illarum sensationes in nobis fieri non possent. Certum quoque est nos in res corporeas, quibus circumdamur, multa agere, ut illas ad nostrae vitae utilitatem, oblectationemque accommodemus. Certum denique est res corporeas in se ipsas aliquid invicem agere; constat enim inter omnes terram, et corpora coelestia se mutuo attrahere vi gravitationis, unde regularis ille motus planetarum exoritur; corporaque, quae in terra sunt, sive simplicia, sive mixta, mutuas actiones suas in se exercere ob vim attrahendi, et repellendi, qua pollent.

311. Adde his, quod si res huius aspectabilis mundi nullam vim in sese mutuo exercerent, generatio, per quam species perpetuantur, et alteratio, per quam modis pene infinitis immutantur, *phaenomenicae*, seu apparentes, quemadmodum antiqui Pyrrhonii voluere [2], non vero reales dicendae forent. Atqui generatio, et alteratio, quae in mundo conspiciuntur, non sunt phaenomenicae, sed reales, quippe quod, uti passim diximus, a substantiis viventibus novae substantiae viventes producuntur, et substantiae corporeae ob mutuam, quam in se ipsas exercent, actionem variis modis immutantur. Ergo res, ex quibus hic mundus aspectabilis conflatur, mutuam in sese actionem exercent.

312. Quod si res, ex quibus mundus constat, non solum vi actuosa pollent, sed etiam ipsam in sese invicem exercent, consequens est nexum causarum efficientium, seu dynamicum in mundo inveniri, quia nexus dynamicus in mutua rerum in se actione consistit [3]. At

---

[1]) « Sicut enim, s. Thomas inquit, alia accidentia ex necessitate principiorum essentialium procedunt, ita et actio ex necessitate formae, per quam agens est actu; sic enim agit, ut actu est » (*Contr. Gent.*, lib. II, c. 30). Hanc ob rationem ss. Patres docuere, quidquid est, quemadmodum essentia propria, ita operatione, quae essentiae respondet, gaudere, et duntaxat id, quod non est, seu nihil, esse omnis operationis expers. Ne longiores, quam par est, simus, satis erit laudare s. Ioan. Damascenum, qui Areopagitae, s. Gregorii Nysseni, aliorumque veterum dicta paucis pro more suo complexus est. « Fieri quidem, ait, non potest, ut substantia ulla actu, seu operatione naturali careat. Iterumque actus naturalis est illa vis, qua cuiusque natura declaratur . . . Vel actus est vis, motioque cuiusque substantiae, qua caret illud solum, quod non est »; *De Fid. Orth.*, lib. II, c. 23. Cf Lequien in h. l., t. I, p. 190, not. 3.

[2]) Horum fallacias, quae apud Sextum Emp. (*Pyrrh. Hypot.*, lib. III, c. 13, et 14) leguntur, breviter confutavit Ploucquetus in *Commentt.* cit., *Comment. de rerum ortu, duratione, alteratione, et interitu*, § 80-86, p. 410 sqq.

[3]) Si haec cum illis, quae p. 290 diximus, contuleris, facile intelliges posse ab

vero ad nexum cosmicum mundi efficiendum non sufficit nexus causarum efficientium, sed requiritur etiam nexus causarum finalium. Qua de re, postquam nexum dynamicum in mundo existere vidimus, necesse est, ut teleologicum in ipso etiam inveniri demonstremus.

313. Nexus, qui per causas finales efficitur, a Democrito[1], Epicuro, aliisque atomorum defensoribus admitti non potuit, quippe quod, si omnia, quae in hoc mundo conspicimus, ex fortuita coalitione atomorum, non vero ab aliqua causa intelligente affecta sunt, ipsa ad ullum finem natura sua destinari haud possibile fuit. Celebris est hac de re Epicuri opinio. Is enim contendit res non ideo extitisse, ut alicui fini assequendo inservirent, sed, postquam extiterunt, ad finem, cui assequendo accommodatae videbantur, fuisse destinatas[2]. Ne a Spinosa quidem, aliisque Pantheistis idem nexus admitti potuit; quia, cum finis operantis electionem expostulet, nullum finem rebus mundanis praestitutum fuisse dicendum est, si ipsae a Deo naturae necessitate promanant, sive, ut aiunt, sunt naturalis, et necessaria evolutio Absoluti[3]. Causis finalibus infensi quoque fuere Robine-

---

existentia nexus dynamici deduci existentiam causarum efficientium, atque e contrario ab existentia causarum efficientium existentiam nexus dynamici. Nam contra illos, qui concedunt ordinem in mundo esse, sed negant esse in eo ullas causas efficientes, aut saltem transeuntes, demonstratur non posse dari in mundo ullum ordinem, nisi in eo causae efficientes non solum immanentes, sed transeuntes quoque existant (vid. p. cit.) Contra illos vero, qui fatentur causas efficientes in mundo inveniri non modo immanentes, sed etiam transeuntes, demonstratur, hisce causis positis, admittendum esse nexum dynamicum, quippe quod hic a mutua harum causarum actione efficitur.

[1]) Vid. Arist., *De generat. anim.*, lib. V, c. 8, ed. Didot.

[2]) Audiatur Lactantius: «Dixit enim Epicurus neque oculos ad videndum esse natos, neque pedes ad ambulandum, quoniam haec membra prius nata sunt, quam esset usus videndi, et ambulandi, sed horum omnia officia ex natis extitisse» (*De opificio Dei*, c. 6, p. 844, ed. Gallaeus). Absurdam hanc, impiamque Epicuri opinionem Lamarkius sub initium huius saeculi instauravit, lateque explicuit, *Philosophie zoologique*, t. II, p. 2, Paris 1830.

[3]) Satis est nominare Spinosam. Hic enim inter opiniones praeiudicatas recenset, « quod scilicet communiter supponunt homines, omnes res naturales, ut ipsos, propter finem agere; imo ipsum Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere ». Subdit « naturam finem nullum sibi praefixum habere, et omnes causas finales nihil, nisi humana esse figmenta », idque vel ex eo patescere dixit, quod ab eo iam ostensum fuerat, « omnia naturae aeterna quadam necessitate, summaque perfectione procedere » (*Ethic.* Pars I, Prop. XXXVI, App., *Opp.* t. II, p. 69-76, ed. cit.). Pantheistae Transcendentales nexum finium inter res verbo admittunt, re autem tollunt. Ipsi enim tuentur nexum quidem inter res mundanas existere, sed ipsum non esse repetendum a causa, quae extra mundum est, sed ab ipsa evolutione Absoluti, sive Ideae, quia Absolutum, sive Idea, dum per evolutionem sui res producit, quasdam relationes inter ipsas constituit (vid. Hegel, *Encyclop.* § 200-210). Nexum finium hoc modo explicatum *teleologiam immanentem* vocant, quia fines ad causam extra mun-

tus[1], aliique Materialistae, atque Athei saec. XVII, et saec. XVIII. Cuius rei causa ex eo repetenda est, quod si causas finales in mundo esse concedatur, existentia Causae Supremae necessario admittenda est; quare, cum ipsi Deum tollere vellent, causas finales a mundo exterminare coacti sunt. Piget nos his duos celeberrimos naturae scrutatores Buffonum [2], et Laplaceum [3] accensere. Huic opinioni, ni fallimur, viam stravisse videntur Baco [4], et Cartesius [5], quippe qui, etsi causas finales in mundo dari non negassent, illarum tamen investigationem progressui scientiarum naturalium valde noxiam esse contenderunt. Et sane, Buffonus, dum inquisitionem causarum finalium in scientiis naturalibus damnavit, paulatim eo progressus est, ut illas e natura prorsus tolleret; siquidem interdum asseruit « naturam non esse adeo lippientibus oculis, ut per rationes morales operetur [6] ». Eandem theoriam hodie tuentur in Gallia, et in Anglia *philosophiae positivae*, seu materialisticae propugnatores, *Positivistae* appellati [7], quorum antesignanus fuit Augustus Comteus [8], necnon Büchnerus [9], aliique Materialistae Germaniae [10].

---

dum positam non assurgunt, sed in ipso mundo manent. Quo id clarius fiat, memoria revocandum est *Absolutum*, seu *Ideam*, sententia Hegelii, non prius *cogitare*, seu se ipsum, resque cognoscere, quam in tertio, et postremo momento evolutionis suae *spiritus* fiat, proindeque Ipsum *typos*, seu *ideas*, quae in evolutione exurgunt, non *cogitare*, nisi postquam in *spiritu humano* ad ultimum terminum suae evolutionis pervenit. Iam, si evolutio Absoluti est coeca tum in primo momento, in quo se ipsum ponit, tum in secundo, in quo in rebus mundanis se ipsum manifestat, nec positio Absoluti, nec res mundanae ullum finem habere possunt, quia finis causam intellectu praeditam expostulat. Nec iuvat quod Absolutum in tertio, et postremo momento conscientiam sui adquirit, quia per conscientiam non producit res, sed conscium fit operationum, per quas res produxit.

[1]) *Op. cit.*, part. V, c. 54, ed. cit.

[2]) *Oeuvr.*, t. V, p. 106, ed. cit.

[3]) *Essai philos. sur les probabilités*, Paris 1816.

[4]) *N. O.* lib. II, *Aph.* 2, 133, et *De augm. scient.*, lib. III, c. 5, p. 501, ed. cit. Sunt, qui putant Baconem causarum finalium non modo usum in naturae investigatione, sed etiam existentiam negasse, sed falso. Vid. quae diximus in nostra Dissert. *Il Positivismo*, in Ephem. *La Scienza e La Fede*, vol. XLII, p. 232, not. 1, Napoli 1861.

[5]) *Les princip. de la phil.*, Part. I, art. 28, *Oeuvr. phil.*, p. 242, et 243, et *Mèdit.* IV, § 5, t. cit., p. 138, ed. cit.

[6]) *Loc. cit.*

[7]) Cf Littrè, qui breviter, et dilucide hoc systema exposuit, et defendit in opella, *Conservation, Révolution, et Positivisme*, p. 39 sqq, Paris 1859.

[8]) A. Comte, *Cours de philosophie positive*, 6 voll. in 8°, Paris 1830-1842, aliis que omissis, *Catèchisme positiviste*, Paris 1852. Caeteros, qui et in eadem Gallia et in Anglia *positivismum* propugnant, videsis in cit. Dissert. *Il Positivismo*, i n Ephem. cit., vol. XLI, p. 191 sqq.

[9]) *Op. cit.*, p. 90 sqq, ed. cit.

[10]) Vid. de his Janet, *Le matérialisme contemporain*, n. VIII, p. 131 sqq, Paris 1864.

314. E contrario nexum teleologicum mundi, a Platone [1], in primisque ab Aristotele [2] inter veteres luculenter inculcatum, atque a ss. Patribus eleganter descriptum, Doctores mediae aetatis copiose, subtiliterque explicarunt. In recenti aetate nemo fortasse vehementius, et frequentius, quam Leibnitius, patrocinium causarum finalium suscepit, atque earum usum non modo in scientiis naturalibus, sed etiam in physico-mathematicis commendavit [3]. Leibnitio frequentissima Apologetarum cohors tum in ipsa Germania, tum in Anglia, et in Gallia usque ad nostram aetatem adstipulata est. Sed, his missis, quos enumerare longum foret, adnotandum censemus Bernouillium [4], Newtonum [5], aliosque politiores naturae scrutatores, usque ad Cuvierium [6], et Blainvilleum [7], in eo conspirasse, ut nexum teleologicum in mundo agnoscerent, et principium causarum finalium in suis investigationibus utiliter usurparent.

315. Ex hac brevi historia quisquis facile intelligit controversiam, de qua agimus, esse maximi momenti, cum ipsa ad Dei existentiam demonstrandam spectet [8].

---

[1]) *Phaed. Dial.*, Part. 2, vol. III, p. 85 sqq, ed. Bekker, H. S., p. 96 sqq; *De legib.*, lib. XII, Part. 3, vol. III, p. 315, ed. cit., H. S. p. 960.

[2]) *Natur. Auscult.*, lib. II, c. 9, et *Met.*, lib. I, c. 4.

[3]) Vid. *Extrait d'une lettre à Mr Bayle*, *Opp. phil.*, p. 106, *De ipsa natura, sive de vi insita, actionibusque creaturarum*, ibid., p. 155; *Epist. ad Bierlingium*, ibid., p. 676 etc., ed. cit.

[4]) Bernouilli, *Opp.* t. IV, n. 177, § 23, p. 271, Lausannae 1742.

[5]) *Optic.*, q. XXVIII. Cf Maclaurin, *Exposition des decouvertes phil. de Newton*, lib. I, c. 11.

[6]) Vid. Flourens, *Cuvier*, *Histoire* etc., p. 302, et 303, ed. cit.

[7]) Blainville, *Dictionnaire des sciences naturelles*, Suppl., t. I, art. *Animal*. Cf Flourens, *Éloges historiques*, ser. I, p. 303, Paris 1856.

[8]) Apposite Sam. Parkerus, Baconem de reiecto usu causarum finalium in physica redarguens, scribit: « Quod cum fuerit, nescire non potuit (*Baco*) omnem inter eos (*veteres*) de Numinis existentia controversiam hac quaestione primum versari. Qui enim nullum Numen esse dicerent, omnino quoque causam finalem e rerum natura ablegari oportere dixerunt. Primo enim intuitu intellexere omnes, si naturalia omnia finis causa aut fiant, aut agant, quemdam esse omnium Opificem, cuius consilio ad suum finem quodque dirigatur, atque adeo Deum esse, seu (quod eodem redit) Universi Dominum, et Rectorem. Atque igitur Democritus, Epicurus, aliique omnes, qui nullum Numen esse voluerunt, ea solum ratione fines in rerum natura videre nollent, ne, si vidissent, Numen quoque, cuius consilio constituti sunt, fateri cogantur. Dum qui contrariam causam tueri in se susceperant, cuiusmodi praecipue fuere primi tum ex *Academia*, tum e *Stoa* Philosophi, de rerum finibus praecipuam contentionem fecerunt » (*Op. cit.*, disput. III, sect. 17, p. 288, et 289, ed. c.). Idem in ipsa Anglia inculcavit Cudwortus, quia, eius iudicio, omnes osores causarum finalium « eorum certe adiuvant, et fovent amentiam, qui religionibus, et Deo struunt insidias » (*Op. cit.*, c. V, sect. I, p. 822, ed. cit.). Hisce addere lubet Newtonum et ipsum anglum. Is enim (*Op. cit.*, ibid.) advertit ei, qui causas finales tollit, fatalismum, aut pantheismum admittendum esse. « Deus, ait, sine dominio, providentia, et causis finalibus nihil aliud est, quam fatum, et natura ».

316. Iamvero mirabilem nexum causarum finalium in mundo existere ea evidentia probatur, qua nulla maior desiderari potest. Atque in primis praeclara argumenta cum *a priori*, tum *a posteriori* nobis suppetunt, quae causas finales in mundo existere probant. Argumenta *a posteriori* afferre infinitum foret; oporteret enim recensere innumera phaenomena, quae in tota hac rerum universitate cernuntur. Enimvero sive in coelum, sive in terram, sive in mare oculos coniiciamus, in phaenomena incidimus, quae rerum alias aliarum finibus, commodisque inservire luculenter commonstrant. Quis non videt ex viventibus plantas ad nutrimentum belluarum, et hominum adhiberi, et belluas in usum, commodumque hominum cedere? [1] Quemnam fugit res vitae expertes, puta aquam, aerem, aliasque eiusmodi, ad plantarum, belluarum, et hominum bonum comparatas esse? [2] Atmosphaera respirationi, et sustentandis vaporibus, qui ex aquis oriuntur, deservit; venti vapores in nubes cogunt, et noxias exhalationes dissipant; aquae ex montibus decurrunt, ut plantae, bruta, et homines ad vitae conservationem ipsis utantur. Quis non perspicit totam terram, corporaque caelestia in sese invicem gravitare, et gravitatione sui concentum illum, sive harmoniam efficere, quae astronomos incredibili stupore percellit? Hic vero concentus non modo inter diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, sed etiam inter partes organicas cuiuslibet viventis conspicitur. In his enim, uti a Blainvilleo demonstratum est [3], singula organa ad easdem operationes in eadem specie destinantur, atque ita inter se connectuntur, ut integer, perfectusque organismus inde existat [4]. Quae quidem omnia causas finales in mundo inveniri adeo evincunt, ut argumentum, quod a Dei existentiam demonstrandam a causis finalibus petitur, sit, ipsomet Franckio observante [5], cuiusque hominis vel plebei captui maxime accommodatum [6].

---

[1]) « Ea, quae sunt imperfecta in natura, ordinantur ad perfecta, sicut ad finem; unde cum animalia habeant vitam imperfectam respectu vitae humanae, quae simpliciter perfecta est, et plantae respectu animalium, plantae sunt propter animalia, praeparatae eis in cibum a natura, animalia vero propter hominem necessaria ei ad cibum, et ad alia auxilia »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 9 c.

[2]) « Inferiores creaturae corporales in usum hominis cedere videntur »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 55. — [3]) Loc. cit.

[4]) Id exemplo corporis humani s. Thomas declaravit: « In partibus corporis animati quaedam ordinantur ad operationes animae exequendas, sicut cor, hepar, manus, et pes; quaedam autem ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum, ita etiam capilli, et ungues sunt in homine ad custodiam aliarum partium » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. I, a. 2, *sol.* 2 c.; cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 112). Ei praeiverat s. Augustinus, ubi scribit: « Membra corporis suis distinguuntur officiis, et concordissima differentia in unitatem suae pacis mirabili ordinatione consentiunt »; *Contr. Advers. Legis, et Proph.* lib. I, c. 6, n. 9.

[5]) *Dict. phil.*, art. *Causes finales*, t. I, p. 467 et 468.

[6]) Cf prae ceteris Desdouits, *Théorie des causes finales*, Paris 1840.

317. Argumentatio autem *a priori* aliter contra illos, qui Deum esse auctorem mundi fatentur, aliter contra illos, qui mundum a Deo effectum esse inficiantur, concinnanda est. Et sane, si illi, qui causas finales e mundo tollunt, Deum esse auctorem mundi non negant, refelli possunt hac argumentatione s. Thomae: Quandoquidem Deus mundum non ex necessitate, sed liberrime creavit, procul dubio in ipso creando aliquem finem summa sua sapientia, et bonitate dignum sibi proposuit. Nam si omnis intellectus, qui aliquid agit, ad illud agendum ab aliquo fine movetur, id, ut suo loco videbimus, maxime Intellectui Deo convenit. Atqui, quoniam Deus mundum ob aliquem finem creavit, Eum singulis naturis rerum speciales fines praestituisse pro certo habendum est, quia quodlibet opus sive naturale, sive artificiosum non potest finem, ob quem institutum est, assequi, nisi singulae partes eius specialibus finibus destinentur, et fines speciales omnium partium inter se conspirent [1]. Ergo tenendum est cunctas res naturales speciales fines a Deo sibi praestitutos habere, atque hos speciales fines fini universali, cuius gratia Deus mundum creavit, assequendo inservire [2].

318. Contra illos autem, qui ex eo, quod Deum non esse auctorem mundi tuentur, causas finales in mundo negant, plura argumenta ab eodem Aquinate mutuari nobis licet. Principio dubitari nequit, quin quidquid in mundo aliquid agit, propter aliquem finem illud agat. Nam naturale est omni causae actione sua in effectum illam formam inducere, quam in se habet, sive forma in causa existat secundum *esse naturale*, uti forma filii in patre, sive secundum *esse intelligibile*, uti typus, sive idea domus in mente architecti [3]. Atqui productio formae in re producta dicitur finis producentis [4]. Ergo cuilibet causae propter finem agere naturale est. Praeterea omnis causa ad determinatum effectum producendum spectat. Nam si ad plures effectus producendos indifferens esset, nulla ratio foret, cur potius unum, quam aliud ageret. Atqui illud certum, et determinatum, ad quod causa spectat, finis eius dicitur [5]. Ergo quidquid causa agit, propter aliquem finem agit [6].

---

[1]) Hinc s. Thomas ait « finem universalem esse *effectum* aliarum causarum »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 10.

[2]) Vid. s. Thom., *Contr. Gent.*, Prooem., et lib. III, c. 16-22. Cf *Il Positivismo* in Ephem. cit., vol. cit., p. 241.

[3]) « Illud, quod est in effectu, ut forma dans esse, est in agente, in quantum huiusmodi, ut virtus activa »; *In lib. IV Sent.*, Dist. I, q. I, art. 4, *sol.* 4 c.

[4]) I, q. XV, a. 1 c.

[5]) « In his enim, quae manifeste propter finem agunt, hoc dicimus esse finem, in quod tendit impetus agentis; hoc enim adipiscens, dicitur adipisci finem . . . Omnis autem agentis impetus ad aliquid certum tendit; non enim ex quacumque virtute quaevis actio procedit, sed a calore quidem calefactio, a frigore autem infrigidatio »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 2. Cf *Ontol.*, c. V, art. 2, p. 152-153.

[6]) *Op. cit.*, ibid. « Si agens, alibi subdit, non esset determinatum ad aliquem effe-

319. His duobus argumentis tertium a mutua subiectione causarum petitum addi potest contra illos, qui saltem causas efficientes in mundo dari non negant. Namque in ordine causarum, quarum una alii subiicitur, una sublata, ceterae tolluntur [1]. Atqui causa finalis primum inter causas locum tenet [2]. Ergo, si nullae causae finales in mundo essent, ne ullae quidem causae efficientes in ipso darentur.

320. Postquam causas finales in mundo esse novimus, pronum nobis est inde colligere existentiam nexus teleologici. Et sane, perspicuum cuique est diversos esse fines, ad quos res mundanae spectant. Namque, cum omnis causa ex virtute sibi naturaliter insita effectum producat, finis, quem quaelibet creata causa actione sua assequitur, naturae ipsius causae respondere debet. Atqui virtutes rerum, ex quibus mundus conflatur, diversae sunt, quippe quod diversae sunt illarum naturae. Ergo rerum creatarum fines diversi esse debent [3]. Iam, si in mundo plures, diversique fines rerum sunt, dubitari nullo modo potest, quin nexus finium inter res mundanas existat. Enimvero certum omnibus est res mundanas quemdam ordinem inter se habere, alioquin unicum ens compositum, quod mundus dicitur, efficere non possent [4]. Sed ordo inter plures res, quae, veluti partes, unicum ens compositum efficiunt, constitui non potest, nisi ex eo quod finis unius rei ad consecutionem finis alterius concurrit, atque, si finis unius rei ad finem alterius concurrit, connexio inter ipsarum rerum fines inde constituitur [5]. Ergo nemini dubitandum est, quin inter res mundanas nexus finium existat.

321. Quandoquidem nexus finium inter res mundanas existit, necesse est, ut res mundanae ad unicam causam finalem, quae extra mundum est, referantur. Sane, res mundanae nexu finium suorum inter se connectuntur ex eo quod sunt partes unius entis compositi, nempe mundi. Atqui omnes partes entis compositi ad finem eiusdem entis compositi, qui nonnisi unus esse potest, assequendum concurrunt. Ergo res mundanae ex eo quod per nexum finium suorum inter se continentur, ad unicam causam finalem mundi referuntur. Haec

---

ctum, non magis ageret hoc, quam illud. Ad hoc ergo, quod determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis »; 1ª 2ªe, q. 1, a. 2 c.

1) « Causarum ad invicem ordinatarum, si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi »; 1ª 2ªe, *loc. cit.*

2) Cf *Ontol.*, ibid., p. 153. « Finis, inquit etiam s. Thomas, inter alias causas primatum obtinet, et ab ipso omnes aliae causae habent, quod sint causae in actu; agens enim non agit, nisi propter finem »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 17.

3) « Omne, scribit s. Thomas, quod ordinatur ad finem, oportet esse proportionatum fini »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XVI, q. III, a. 1, *sol.* 1 c.

4) Apposite idem Aquinas: « Forma universi consistit in distinctione, et ordine partium eius »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 39, n. 5. Cf p. 348.

5) Audiatur idem sanctus Doctor: « Partes universi ordinantur ad invicem, sicut

autem extra ipsum mundum existere debet, quia in rebus creatis finis extra rem, cuius est finis, invenitur [1].

322. Ex quibus concludendum est omnes res, ex quibus mundus constat, 1° speciales fines praestitutos sibi habere; 2° inter sese nexu suorum finium colligari; 3° propter specialium suorum finium colligationem ad universalem finem, quem Deus in molitione mundi sibi proposuit, efficiendum concurrere [2].

323. Argumenta, quibus existentia causarum efficientium, et finalium impugnari solet, in *Ontologia* iam a nobis excussa fuere, ubi notiones causae efficientis, et causae finalis non esse absurdas ostendimus [3]. Namque Philosophi, et Physici, quos antea commemoravimus, probare conati sunt non posse dari ullas causas efficientes, et finales, indeque nullum nexum dynamicum, vel teleologicum in ipso existere concluserunt; quocirca illorum argumenta potius ad possibilitatem, quam ad existentiam causarum efficientium, et finalium impugnandam spectant, et fere omnia illa sunt, quae in Ontologia confu-

---

et partes exercitus ad invicem » (*Op. cit.*, lib. I, c. 78, n. 3). Atque alibi: « Res naturales coordinatae sunt ad invicem, et etiam omnes creaturae » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. I, a. 2 ad 1). Ei praeiverat s. Augustinus, in hoc loco: « Sic insinuatur prudentibus rerum examinatoribus ordo quid valeat, cum scilicet sua cuique adhibentur, atque redduntur, quantumque hoc bonum sit ab imis usque ad summa, a corporalibus usque ad spiritalia »; *Contr. Faust.*, lib. XXI, c. 13.

[1]) « Ordo, inquit s. Thomas, qui est partium universi ad invicem, est per ordinem, qui est totius universi ad Deum; sicut ordo, qui est inter partes exercitus, est propter ordinem exercitus ad ducem » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 9 c.). Et rursus: « Bonum in rebus surgit ex duplici ordine, quorum primus ordo est rerum omnium ad finem ultimum, qui Deus est; secundus ordo est unius rei ad aliam rem. Et primus ordo est causa secundi, quia secundus ordo est propter primum. Ex hoc enim, quod res sunt ordinatae ad invicem, iuvant se mutuo, ut ad finem ultimum debite ordinentur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLVII, q. I, a. 4 sol. Cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 98.

[2]) Lubet hic exscribere aureum locum s. Thomae, in quo tria pronuntiata superius statuta, diserte, ni fallimur, continentur. Considerandum est, ait sanctus Doctor, quod ex omnibus creaturis constituitur totum universum, sicut totum ex partibus. Si autem alicuius totius, et partium eius velimus finem assignare, inveniemus primo quidem, quod singulae partes sunt propter suos actus; sicut oculus ad videndum. Secundo vero, quod pars ignobilior est propter nobiliorem; sicut sensus propter intellectum, et pulmo propter cor. Tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius; sicut et materia propter formam. Partes enim sunt quasi materia totius. Ulterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum; puta, ut fruatur Deo. Sic igitur et in partibus universi unaquaeque creatura est propter suum proprium actum, et perfectionem. Secundo autem, creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores; sicut creaturae, quae sunt infra hominem, sunt propter hominem. Ulterius autem singulae creaturae sunt propter perfectionem totius universi. Ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem »; I, q. LXV, a. 2 c.

[3]) Cap. V, art. 2, p. 154-155; art. 3, p. 156-159; art. 4, p. 160-162.

tavimus. His igitur omissis, e re esse putamus breviter expendere, num causae efficientes, et finales rerum a nobis re ipsa cognosci nequeant, et num illarum inquisitio progressui scientiarum naturalium noxia sit [1].

324. Principio causas efficientes, et finales rerum nos non latere ii tantum negare queunt, qui mentem humanam ultra *factorum*, sive, ut aiunt, phaenomenorum observationem non posse assurgere sentiunt. Hi sunt, ut saepe vidimus, omnes, qui vel scepticismum aperte profitentur, vel ipsi certe favent. Ast ii, qui a quovis scepticismo abhorrentes docent mentem humanam posse non modo *facta* naturae cognoscere, sed etiam ope ratiocinationis connexiones ipsorum deprehendere, atque ab iis, quae sub sensus cadunt, progredi ad alia, quae potestatem sensuum effugiunt, fateri coguntur ipsam posse causas efficientes, et finales rerum detegere [2], quippe quod res mundanae, ut modo ostendimus, non aliis vinculis, quam activitatis, et finalitatis, connectuntur.

325. Iam nos causas efficientes, et finales posse re ipsa cognoscere certo certius est. Enimvero, quod ad efficientes attinet, politiores Physici varia indicia assignarunt, ex quibus vinculum causalitatis inter duo facta, seu phaenomena naturae dari tuto intelligi potest. Haec Herschelius ad quatuor revocavit. Statuit enim unum phaenomenum causam alterius habendum esse, 1° cum unum alteri constanter praecedit, dummodo aliquid non sit, quod productioni eius obstet [3]; 2° si, prout unum augetur, aut diminuitus, simul diminuatur, aut augeatur alterum; 3° si, quoties deest unum, semper desit quoque alterum, dummodo ipsum ab alio produci non posse exploratum sit; 4° si, uno evanescente, statim evanescat alterum, nisi hoc sine alterius ope durare queat [4].

326. Nec plus difficultatis in investigatione finium invenitur. Finis enim cuiusque actionis est ultimus terminus, ad quem actio pervenit [5].

---

[1]) Hae quaestiones ad Cosmologiam proprie non spectant; at quandoquidem duae sententiae, quas non pauci post Baconem, et Cartesium tuentur, minuendis, tollendisque, ut diximus, causis efficientibus, et finalibus viam sternunt, ad examen breviter hic revocandas nobis esse duximus.

[2]) « Tunc opinamur nos scire, cum principia possumus in causas resolvere »; I, q. LXXXV, a. 8 ad 1.

[3]) « Causa, ait s. Bonaventura, est, ad cuius esse sequitur aliud »; *In lib. I Sent.*, Dist. XX, a. II, q. 2 *resol.*

[4]) « Manifestum est, quod omnis actio, quae non potest permanere, cessante impressione alicuius agentis, est ab illo agente, sicut manifestatio colorum non posset esse, cessante actione solis, quae aerem illustrat; unde non est dubium, quin sol sit causa manifestationis colorum; et similiter patet de motu violento, qui cessat, cessante violentia impellentis »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 67. Cf *Ontol.*, c. V, art. 3, p. 158.

[5]) « Finis cuiuslibet rei est operatio propria, vel per operationem propriam ad fi-

Atqui non modo non est impossibile in cunctis naturae phaenomenis, sed in multis obvium cuique est terminum deprehendere, ad quem actio causae effectricis pervenit. Puta cuinam compertum non est visionem esse terminum, ad quem actio oculorum desinit, aut digestionem ciborum esse terminum actionis, quam stomachus in corpore exercet, aliaque huiusmodi sexcenta? Ergo cognitio finium, per quos res mundanae colligantur, mentis humanae vires non praetergreditur.

327. Idem facilius demonstrare nobis licet adversus illos, qui Deum esse omnium auctorem non negant. Etenim nullus dubitare potest, quin usus multarum rerum cognoscamus. Iam ii, qui omnia casui, aut fato tribuunt, ex usu rei finem eius inferre non possunt; at contra qui Deum omnium auctorem agnoscunt, ex usu finem patere inficiari nequeunt, quia Deus, utpote sapientissimus rerum conditor, res ita comparare debuit, ut usui suo aptae sint. « Ex usu igitur, concludit Baldinottius, finis fabricationis, seu status cuiusque rei colligitur, imo ipse usus est finis [1] ».

328. Hisce argumentis historia scientiarum naturalium manifeste suffragatur. Quis enim adeo hospes in scientiis physicis est, ut complurium phaenomenorum maximi momenti causas efficientes, et finales detectas esse ignoret? Quisnam ex ipso vulgo se quorumdam phaenomenorum causas, finesque assignare posse non gloriatur?

329. A veritate etiam aberrat opinio illorum investigationem causarum efficientium, et finalium progressui scientiarum naturalium obesse volunt; quia, si res probe consideretur, cognitio causarum, et finium ad leges phaenomenorum inveniendas magno praesidio est, tantum abest, ut sit impedimento. Et sane, quod ad causas efficientes spectat, res adeo manifesta est, ut pene non egeat demonstratione. Compertum enim est, 1° operationes naturales cuiusque entis esse naturae suae consentaneas, quia natura rei, uti ante vidimus, est essentia rei, prout haec est principium operationum eius; 2°, cum de causis naturalibus agitur, naturam effectus naturae causae respondere. Iam, si operationes rei sunt consentaneae naturae ipsius rei, et natura effectus naturae causae, certe cognitio causae ad cognoscendas operationes sui effectus valde utilis esse debet; quia cognitio causae, dum scrutatorem naturae adiuvat ad cognoscendam naturam effectus, ipsum quoque adiuvat ad cognoscendas operationes eiusdem, cum operationes rei a natura eius promanent. Atqui leges phaenomenorum non aliud sunt, nisi leges, secundum quas naturae corporeae operantur. Ergo cognitio causae, ex qua phaenomenum producitur,

---

nem venit »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. I, a. 1, *sol.* 1 c. Cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 67, n. 6, et 1ª 2ae, q. LVI, a. 1 c.

[1]) *Op. cit.*, c. 16, § 869, p. 373. « Usus, aiebat s. Bonaventura, est actus elicitus a potentia ad eum finem, ad quem est »; *In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. 1, a. 11, q. 2 *resol.*

maximo adiumento est ad cognoscendas leges, secundum quas phaenomenum evenit [1].

330. Hoc de causis finalibus etiam tenendum est. Nam, quoniam omnis res per operationes suas finem sibi praestitutum assequitur, natura finis cuiuslibet rei cum natura operationum eius consentire debet. Quapropter, cognito fine cuiusque rei, facile est operationes cognoscere, quae sunt propriae eius. Atqui operationes naturae sunt semper uniusmodi, quia, uti est necessarius finis cuiuslibet naturae, ita necessariae sunt eius operationes; leges autem phaenomenorum, ut modo diximus, sunt ipsae leges, secundum quas res necessario operantur. Ergo, cognitis finibus rerum, nullo negotio possunt cognosci leges phaenomenorum, quae circa ipsas versantur [2].

331. Omnia, quae hactenus exposuimus, possunt cogi hoc uno argumento: Physici, qui omnes causas efficientes, et finales a scientiis physicis longe amotas volunt, Baconem secuti, docent physicum unis legibus phaenomenorum observandis, et describendis contentum esse debere. Atqui cognoscere causas efficientes, et finales phaenomenorum ad detegendas leges, secundum quas ipsa eveniunt, plurimum confert; quia inter operationes rerum naturalium, ex quibus phaenomena efficiuntur, atque inter causas, finesque ipsarum consensus esse debet. Ergo cognitio causarum efficientium, et finalium in scientiis physicis maximi momenti est.

332. Reliquum est, ut praecipua momenta expendamus, quibus usus causarum finalium impugnatur.

Obiic. 1° cum Cartesio, et Bacone: Phaenomena naturae ex suis causis proximis, et immediatis explicanda sunt. Atqui causae proximae, et immediatae phaenomenorum non sunt fines peculiares, qui Deo in creatione rerum tribuuntur, sed leges, et principia mechanica, secundum quae illa eveniunt. Ergo ex principiis mechanicis, non vero ex causis finalibus phaenomena naturae explicanda sunt.

333. Resp. *Conc. totum argumentum.* Nos enim haud contendimus phaenomena naturae ex eo tantum explicari posse, quod fines illorum cognoscuntur; is certe non usus, sed abusus causarum finalium es-

---

[1]) Cf prae caeteris Welwell, *Philos. scientiarum inductivarum* (angl.) lib. XI, c. 7, et lib. XII, c. 16, ed. 2. Adde, quod cognitio causae, ex qua aliquod phaenomenum efficitur, non modo ad eiusdem phaenomeni explicationem valet, sed etiam aliis multis detegendis adytum reserat. Ut unicum exemplum adducamus, postquam perspectum fuit causam, cur aqua in antliis nonnisi ad triginta duo pedum altitudinem ascendit, in sola circumfusi, subiectaque corpora prementis aeris gravitate agnoscendam esse, inventum est barometrum, quod in scientiis physicis maximum usum habet.

[2]) Duo exempla, ne plura afferamus, ab Harveio, et Leibnitio matuari lubet. Harveius enim, ut Boyleus eum sibi narrasse testatur (*Specimen de causis finalibus*, angl., Londini 1688), ex venarum valvulis ad circulationem sanguinis detegendam adductus fuit. Nam, cum illas non sine aliquo fine in corpore esse pro certo haberet, hunc finem non alium, nisi circulationem sanguinis esse posse feliciter ostendit.

set, qui e scientiis physicis omnino ablegandus est [1]. Verum contendimus cognitionem finium, ob quos phaenomena eveniunt, magno auxilio esse ad inveniendas leges, et principia mechanica, ex quibus ipsa fiunt, neque aliud sibi voluisse summos Physicos antiquae, et mediae aetatis, quos, neglectis causis physicis, investigationi finalium tantum incubuisse Baco, et quamplurimi post eum per summam iniuriam asserunt [2].

334. Obiic. 2° cum eodem Cartesio: Physicus non debet quaerere, cur res sit, sed *quomodo* sit; atqui ipse investigatione finium cognoscit, *cur* res sit, non *quomodo* sit; ergo etc.

335. Resp. *Neg. mai.*; *dist. min.*: cognoscit, *cur* res sit, atque inde ad cognoscendum *quomodo* sit, adiuvatur, *conc. min.*; secus, *neg. min. Neg. cons.* Physicus procul dubio ad id spectare debet, ut cognoscat, *quomodo* res sit, sive principia, ex quibus res fiunt, et leges, secundum quas fiunt. Ast eum iuvat quoque inquirere, *cur* res sit, quippe quod ex cognitione finis interdum adducitur ad inveniendum, vel certe ad penitus intelligendum, quomodo sit.

336. Obiic. 3° Cartesius: Temerarium est fines investigare, ob quos Deus singulas res creavit. Atqui hoc aggrediuntur ii, qui phaenomena per causas finales explicare volunt. Ergo etc.

337. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Temerarium certe non est, uti Gassendus Cartesio obiecit, fines Dei investigare, *si ab*

Leibnitius vero observavit, quaecumque lucis causa esse dicatur, ex sola eius causa finali, quae non alia est, nisi ab uno ad aliud punctum per faciliorem viam progredi, omnes leges posse cognosci, quas ipsa sequitur (*Réponse aux réflexions* etc., p. 143 et 144, ed. Erdm.). Idem Leibnitius, ut Baldinotius inquit, « advertit de oeconomia animali, et praxi medica multa detegi posse, spectando usus partium, et fines naturae. Etsi enim omnia, quae in corpore animali peraguntur, ex eius structura, et motibus internis oriantur, cum haec interius explorari, et plane cognosci saepe non possint, ad illos fines, et usus confugiendum est; quod si recte, etiam utiliter suscipietur »: *Op. cit.*, p. 372. Cf *Log.*, p. III, c. 5, art. 1, p. 213-215, et 216 vol. I.

[1]) Contra abusum causarum finalium quaedam non spernenda adnotarunt Boyle in *Spec.* cit., et Le-Sage apud Prevost, *Mémoire sur la vie, et les écrites de Le-Sage*, Genève 1805.

[2]) Baco scripsit philosophiam democriticam praestantiorem fuisse platonica, atque aristotelica, quia Democritus causas physicas, Plato autem, et Aristoteles finales quaesivere (*De augm. scient.*, lib. III, c. 4, ed. cit.). Sed falso; nam quisquis in lectione librorum Platonis, et Aristotelis hospes non est, certe novit eos, si causas finales commendarunt, easque in phaenomenorum explicatione utiliter adhibuerunt, causas physicas non neglexisse, immo maximi fecisse. Ceterum quid reponeres homini, qui Democritum Platoni, atque Aristoteli anteferre audet? Audiatur Leibnitius, qui, secundum Platonis, et Aristotelis placita, hanc rem praeclare explicu it. « Ego quidem, inquit, concedo effectus particulares naturae posse, immo oportere ex legibus mechanicae explicari, dummodo eorum fines, mirabilesque usus, ad quos Deus ipsos destinavit, minime negligantur. Nam principia generalia non modo physicae, sed etiam mechanicae, cum a ratione, qua Deus mundum gubernat, pendeant, explicari non possunt, nisi ea ratio prae oculis habeatur » (*Extrait d'une lettre à Mr Bay-*

ipso sint in propatulo positi [1]. Iam fines, ob quos Deus res creavit, ut iam vidimus, interdum in propatulo sunt, atque ex usu ipsarum rerum non difficulter cognosci possunt.

338. Obiic. 4° Baco: Quisquis in phaenomenorum legibus explicandis non consulit *facta*, sed fines inquirit, ad hypotheses confugere debet [2]. Atqui methodus hypothetica progressui scientiarum naturalium infensa est. Ergo. etc.

339. Resp. *Neg. mai.*; *trans. min. Neg. cons.* Falsum est ei, qui fines rerum inquirit, confugiendum esse ad hypotheses, propterea quod diligens scrutator naturae ab observatione factorum proficiscitur, ut fines rerum inquirat, detectisque finibus rerum, ad harum causas physicas, seu *intrinsecas* investigandas progreditur. Diximus autem, *transeat minor*, quia quid de usu hypothesium in scientiis censendum sit, in *Logica* statuimus.

340. Obiic. 5° Buffonus: Iis, qui in phaenomenorum explicatione ad causas finales confugiunt, persuasum esse debet naturam, quidquid agit, per causas morales agere. Atqui hoc est ridiculum. Ergo ridiculum est etc.

341. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Quamvis verum sit quasque res naturales, quidquid agunt, agere propter aliquem finem; tamen dici nequit naturam agere per causas morales. Nam causae morales illae dicuntur, quae non modo id, quod agunt, gratia alicuius finis agunt, sed etiam finem cognoscunt, cuius gratia agunt, atque ex se ipsis ad illum assequendum moventur; at res naturales, cum omni vi cognoscendi destituantur, certe non cognoscunt finem, ob quem agunt, ideoque ad finem assequendum nequeunt moveri ex se ipsis, sed necesse est, ut ab aliqua causa intelligente moveantur [3]. Ergo res naturales effectuum suorum non sunt causae morales, sed physicae. Porro liquet causam, quae res naturales ad finem suum assequendum movet, non esse aliam, nisi Deum, quia Deus rebus vim operandi largitus est, per quam finem suum consequuntur.

342. Obiic. 6° Baconiani: Investigatio causarum finalium atheismo

---

le etc., p. 106, ed. cit.). Alibi autem: « Puto enim determinatis sapientiae, atque ordinis rationibus ad eas, quae in natura observantur, ferendas leges venisse Deum; et vel hinc apparere . . . finalem causam non tantum prodesse ad virtutem, et pietatem in Ethica, et Theologia naturali, sed etiam in ipsa Physica ad inveniendum, et detegendum abditas veritates »; *De ipsa natura*, p. 155.

[1]) *Dub.* 1 etc.

[2]) Hac ex parte Baco usum causarum finalium saepe, acriterque improbavit, easque, cum scientias pervadunt, harum *provinciam depopulari, et vastare* dixit (*De augm. scient.*, lib. IV, c. 4, passim). Cf opus posthumum Comitis De Maistre, *Examen de la phil. de Bacon*, t. II, c. 6, § 1, p. 196 sqq, Lyon 1853.

[3]) « Ea, quae non habent cognitionem, non tendunt ad finem, nisi directa ab aliquo cognoscente, et intelligente »; I, q. II, a. 3 c.

saepe favit; ergo vel ex hoc capite e studio scientiarum naturalium exterminanda est.

343. Resp. *Neg. antec.* Deluc, qui contendit investigationem causarum finalium atheismo saepe favisse, atque hanc ob causam a Bacone damnatam esse [1], nulla exempla ex historia adduxit, quibus hoc suum commentum probaret. Contra ea, nobis certum est investigationem finium ad Deum maxime ducere, atque argumentum, quod inde ab Apologetis sumitur, esse, uti ex Frankio vidimus [2], captui vulgi accommodatissimum. Sed de hac re in Theologia [3].

CAPVT SEXTVM

De ordine, ex quo nexus rerum naturalium efficitur, eiusque legibus disseritur

344. Omnes res mundanae, ut modo vidimus, tum mutua, quam in sese exercent, actione, tum subiectione finium, ad quos spectant, systema mundi constituunt, atque ad huius finem assequendum concurrunt. Iam haec apta rerum mundanarum ad eumdem finem dispositio illum, quem vocant *ordinem naturae*, et modi constantes, atque uniformes agendi in ipsis conspicui illas, quas vocant *leges naturae*, constituunt. Necesse igitur est, ut, postquam rerum mundanarum differentias, earumque nexus exposuimus, de ordine naturae, et de legibus, quibus ille ordo continetur, disseramus.

ARTICVLVS PRIMVS

Quaedam notiones circa ordinem naturae praestituuntur

345. In antecessum e re est explicare, quid in hoc loco nomine *naturae* intelligamus. Nomen *naturae*, si stricte accipiatur, denotat ipsam essentiam, consideratam prout est principium suarum operationum [4]. « Nomen autem naturae, s. Thomas ait, hoc modo sumtae (*secundum quod omnis substantia natura est*) videtur significare essentiam rei, secundum quod habet ordinem, vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria destituatur operatione [5] ». Ex quo facile est discrimen intelligere, quod inter essentiam,

---

[1]) *Prècis de la philosophie de Bacon*, t. II, p. 164, Genève 1801.

[2]) P. 375.

[3]) De hac quaest. vid. nostram Dissert. cit. *Il Positivismo*, § 3, in Eph. *La Scienza e La Fede*, vol. XLI, p. 229 sqq, Napoli 1861, et § 4, ibid., vol. XLIV, p. 31 sqq, 1862.

[4]) Cf *Ontol.*, p. 42.

[5]) *De Ente, et Ess.*, c. 1. Cf *In lib. II Phys.*, lect. I. Hanc definitionem s. Thomas

et naturam intercedit. Nomen enim essentiae denotat *rationem specificam* rei, nempe id, per quod res est id, quod est, atque in sua specie constituitur, puta humanitatem; et nomen naturae *rationem dynamicam* eius, nempe eamdem essentiam rei, prout essentia est principium operationum rei, puta *hominem*, seu humanitatem, prout est in homine principium intelligendi, volendi, et sentiendi [1]. Quandoquidem autem essentia, prout in individuo existit, ingenitum sibi principium operationum suarum necessario includit, et natura essentiam expostulat, sine qua ne concipi quidem potest, factum est, ut ab Aristotele [2], et post eum a Scriptoribus Ecclesiasticis cum graecis [3], tum latinis [4] voces *essentiae*, et *naturae* promiscue usurparentur.

346. Haec est prima, et propria notio *naturae*; sed huic voci duae aliae significationes subiiciuntur, quae illi principi, et potiori adfines sunt. Enimvero nomen naturae, ut s. Thomas advertit [5], interdum adhibetur non ad significandam proprie essentiam rei, prout est principium operationum, sed ad significandum ipsum operationum principium, quod rebus naturalibus insitum est [6]. Interdum etiam frequentius ad significandas causas naturales, prout hae per propensionem sibi insitam aliquid agunt [7]. Praeter has speciales naturae significationes alia est, quae hic ad rem nostram facit, eaque est, qua vox naturae ad totam universitatem rerum creatarum significandam adhibetur.

347. Ex postrema hac vocis *naturae* acceptione ortum duxit illa distinctio *naturalis*, et *supernaturalis*, quae magni momenti in rebus theologicis est. Naturale enim illud dicitur, quod naturam vel con-

---

tradidit post Aristotelem (*Met.*, lib. IV, c. 4), pluresque ss. Patres, quorum doctrinam breviter expositam videre licet apud Damascenum (*Dialect.*, c. XXX), et Theorianum, *Dialog. adv. Armenios*, apud Labigne, *Magna Bibl. vett. PP.*, t. XI, p. 443.

[1]) Cf *Ontol.* p. 43, not. 3.

[2]) *Phys.*, lib. II, c. 1, § 2, et 3, et *Met.*, lib. IV, c. 4, § 1, ed. Didot.

[3]) Cf s. Greg. Nazianz., *Carm.* XXXIV, 3; s. Cyrill., *Caten. in Ioann.* c. 4; s. Damasc., *De haeres.*, lib. I, c. 7; Theorian., *Dial. advers. Armenios*, p. 441 sqq, ed. cit.; Leontium, *De sectis*, not. 1, ibid., p. 493 sqq.

[4]) Praeter s. Aug. (vid. *Ontol.* p. 43, not. 2), consule s. Anselm., *Monol.*, c. 78, et Gerberon.

[5]) I, q. CXV, a. 2 c.

[6]) Medici, ni fallimur, hoc sensu vocem *naturae* adhibent, cum docent medicinam non efficere sanitatem in animali *per se*, sed ex eo quod *adiuvat naturam* eius, quia ipsa, uti s. Thomas ait, « non operatur, sicut principale agens, sed sicut coadiuvans agens principale, quod est principium interius, confortando ipsum » Vid. sanctum Doctorem, I, q. CXVII, a. 1 c.

[7]) Hoc sensu nomen *naturae* ab Aristotele usurpatur, cum dicitur: *Natura nihil frustra molitur* (*De coelo*, lib. I, c. 4, et *De Anim.*, lib. III, c. 9 et 12; cf s. Aug., *De Ord.*, lib. I, c. 4, n. 11), vel *Natura refugit superflua* (*De coelo* lib II, c. 5) et *non denegat necessaria* (*De Gener. animal.*, lib. II, c. 4).

stituit ipsam, vel constitutam ex se concomitatur, et sequitur sive necessario, sive contingenter. Ita naturale est homini esse *rationale*, quia ratio est pars, seu elementum essentiale homini; tum naturale ipsi est esse libertate praeditum, quia ex eo, quod est rationalis, necesse est eum libertate voluntatis pollere; naturale denique, ut alia plura omittamus, ei est esse *medicum*, aut *iurisperitum*, quia cum sit ratione, et voluntate praeditus, studio medicinae, aut iurisprudentiae incumbere potest. Supernaturale autem dicitur illud, quod totius naturae creatae proprietates, viresque praetergreditur. Huiusmodi, e. g., sunt virtutes theologales, et cardinales, quibus nonnulli homines gratuita Dei largitione donantur, atque, ut exemplum e mysteriis sumamus, huiusmodi est elevatio naturae humanae ad unionem hypostaticam cum Verbo Dei. Haec, aliaque supernaturalia Theologis Catholicis explicanda relinquentes [1], hic nobis in memoriam revocemus oportet omnem naturam rerum ornatam a Deo fuisse potentia *obedientiali*, sive, ut Suaresius ait, illa potentia, ratione cuius « ens creatum ex vi suae entitatis aptum est obedire Deo in recipiendo, vel agendo quemcumque effectum possibilem, et non repugnantem, etiamsi naturalem virtutem, vel capacitatem talis entis excedat [2] ». Quare non repugnat rebus creatis in se recipere, vel agere aliquid, quod naturam, viresque earum superat [3].

348. Ex his vides 1° *naturale* dicendum esse, quidquid Deus, prout creator est, tribuit naturae, prout creata est, nempe prout in suo genere constituitur, et intra genus suum sese explicat, et perficit; atque e contrario *supernaturale* proprie, et stricte esse dicendum quidquid istam conditionem, rationemque naturae praetergreditur; 2° supernaturale, prout naturali opponitur, non esse accipiendum *relative*, hoc est pro eo ut una natura creata est altera superior, sed *omnino absolute*, hoc est, prout omnem naturam creatam excedit. Ita, quamvis natura angelica sit humana maior, excellentiorque, non tamen inde

---

[1]) S. Thomas notionem *supernaturalis* multis loquendi modis expressit, qui ipsam mirifice declarant. Supernaturale enim esse dixit modo id, quod naturalem facultatem excedit (*Contr. Gent.*, lib. III, c. 147, n. 1); modo, quod transcendit facultatem naturalium potentiarum (*ibid.* n. 3); modo, quod excedit proportionem naturalis virtutis (I^{a} 2^{ae}, q. CIX, a. 3 ad 2); modo, quod est supra naturam cuiuslibet creaturae (*ibid.*, q. CXII, a. 1 c.); modo, quod est ex Dei virtute (*Contr. Gent.*, lib. III, c. 147, n. 3); modo, quod est creatae naturae superadditum (I^{a} 2^{ae}, q. CXIV, a. 2 c.); modo, quod exterius accedit, apponitur, et superadditur (*ibid.*, q. CIX, a. 1 ad 1; cf *ibid.* q. LXVIII, a. 1 ad 1). Plura apud Schrader, *De triplic. ordine* etc., Pars ult., c. 3, § 100, p. 93 sqq, ed. cit.

[2]) *Dispp. met.*, disp. XXXI, sect. XIV, n. 7.

[3]) Cf ea, quae ad hanc rem disseruimus vol. I, *Dynam.*, c. I, a. 4, p. 236-237 hisque adde s. Petr. Damian., *Orat. de Abraham*, *Opp.* ed. Saxelli, t. V, p. 43. Legenda sunt, quae Schrader adnotavit in nott. ad Petavium, lib. V, c. 7, n. 12, p. 438 sqq, Romae 1858.

ipsa est dicenda supernaturalis, quia Angeli, si naturam habent humana superiorem, ambitu rerum creatarum, perinde ac homines, continentur [1].

349. Haec praemonuimus, ut patesceret nos hoc in loco, in quo de naturae ordine agimus, naturam pro universitate rerum accipere, atque in universitate rerum considerare illa, quae natura rerum expostulat, non vere illa, quae naturam rerum excedunt. In praesentia ad aliquam notionem *ordinis* tradendam progrediamur.

350. Ordo duobus modis considerari potest, scilicet *in abstracto*, et *in concreto*. Si consideretur priori modo, nomine ordinis designatur forma, seu ratio, propter quam ordo inter res existit; sin posteriori modo, nomine ordinis designantur ipsae res, prout ordinem inter se habent. S. Thomas, a quo hanc theoriam ordinis mutuati sumus, breviter statuit nos posse ordinem universalem considerare « dupliciter, scilicet quantum ad res, quae subduntur ordini, et quantum ad ordinis rationem [2] ». Iam, si ratio ordinis spectetur, notione eius, praeter plurium dispositionem [3], finis quoque continetur [4]. Namque ordo sine aliqua norma concipi nequit, cum norma sit principium ordinis; norma autem a fine pendet, ob quem ordo existit, quia, prout diversus est finis ordinis, diversa esse debet norma, secundum quam ordo instituendus est. Audiatur rursus s. Thomas: « Omnium autem gubernandorum, et ordinandorum ad finem gubernationis, et ordinis, regulam ex fine sumi necesse est; tunc enim unaquaeque res optime disponitur, cum ad suum finem convenienter ordinatur. Finis enim uniuscuiusque est bonum [5] ». Itaque ordo, si ratio, quae ipsum constituit, spectetur, optime definiri potest: *apta dispositio plurium ad finem*.

351. Sin res ipsae, quibus ratio ordinis inest, considerentur, diversi ordines numerantur, prout diversae sunt res, in quibus, veluti in materia sui, ordo versatur. Enimvero *physicus* vocatur ordo, qui inter naturas mundi, vel inter partes, seu elementa uniuscuiusque naturae existit; *logicus* autem ille, quem intellectus inter suas concep-

---

[1]) Vid. Schrader, *De triplici ordine* etc., Pars altera, c. 3, § 2, p. 63.

[2]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 98.

[3]) « Ordo, aiente s. Augustino, est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio »; *De Civ. Dei*, lib. XIX, c. 13, n. 2.

[4]) Id s. Bonaventura breviter innuit, insuperque advertit ordinem hoc priori modo sumptum praecedere ordini posteriori modo sumto, hoc est, rebus, in quibus ordo existit. « Est, inquit, ordo ante factum esse, qui est ex intentione facientis »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXV, a. II, q. 2 *ad arg.*

[5]) *Contr. Gent.*, lib. I, Prooem. Alibi scribit: « Ordo ad finem est propinquior fini, quam ordo partium ad invicem, et est quodammodo causa eius » (*Qq. dispp., De Ver.*, q. V, a. 1 ad 9. Cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 24, n. 3). Idem tradidit s. Bonaventura hisce paucis: « Est ordo rerum in universo, et est ordo rerum in finem »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. 1, dub. 4.

tiones ponit; *moralis*, qui circa humanas actiones versatur, prout hae ad finem hominis spectant; denique, ne cunctos enumeremus, *politicus*, in quo gubernatio civitatis fundatur. Normae, secundum quas ordo efficitur, *leges* ordinis dicuntur. Hoc nomen proprium est normarum ordinis moralis, sed ad normas reliquorum ordinum designandas translatum est, unde non solum leges *morales*, sed etiam *physicae, logicae*, et *politicae* existunt.

352. Ordines, quos ex parte materiae enumeravimus, ad rerum creatarum naturas, earumque naturales vires pertinent. Verum, quoniam res creatae ad ea, quae naturas, viresque suas praetergrediuntur, agenda a Deo elevantur, solemnis inde exurgit divisio ordinis in *naturalem*, et *supernaturalem*. Ordo naturalis in iis omnibus versatur, quae ambitu naturae continentur, sive hae sint substantiae, sive vires, quibus substantiae intra genus suum sese explicant, et perficiunt. Ordo autem supernaturalis ea omnia complectitur, quae omnem vim naturarum creatarum praetergrediuntur, naturasque ipsas ultra genus suum perficiunt. Ordo supernaturalis, ut cuique hanc rem vel leviter consideranti patescit, a naturali ex duplici capite maxime differt; scilicet *secundum substantiam* (οὐσιωδῶς), quia nec ordo naturalis a supernaturali, nec hic ab illo constituitur; et secundum vim, seu energiam (δυναμικῶς), quia nec vis infinita potest inesse ordini naturali, nec vis finita ordini supernaturali convenire potest.

ARTICVLVS SECVNDVS

Ordinis naturalis existentia, et ordinis supernaturalis possibilitas adstruuntur

353. Ordinem naturalem in mundo existere, praeter Scepticos, quibus omnia incerta sunt, non negant, nisi veteres novique Manichaei. Hi enim, ut alias dicemus, cum mundum ex duobus principiis, uno Bono, altero Malo, effectum fuisse effutiant, naturalem, assiduamque pugnam bonorum, malorumque, quae omnem ordinem tollit, in eo inveniri obganniunt.

354. Sed ordinem supernaturalem permulti recentes Philosophi vel omnino tollunt, vel ita explicant, ut ipsum verbo fateantur, re autem tollant. Enimvero ipsum in primis tollunt Pantheistae. Namque, si non existunt realiter duae naturae, quarum una est increata, altera creata, sed unica tantum est natura, seu substantia, cuius, quaecumque contingunt, et conspiciuntur, veluti phaenomena sunt, nihil esse, cogitarique potest, quod sit *supersubstantiale*, vel *supernaturale*, quia supernaturale, uti ex ipsa vi vocis patet, denotat aliquid, quod supra aliquam naturam est, atque ab hac discriminatur [1]. Tollunt ip-

[1]) Re vera Spinosa in suis libris, maxime in *Tractatu theologico politico*, atque

sum quoque Deistae, quippe qui, quamvis mundum a Deo discriminent, tamen, ut inferius dicemus, autumant Deum in mundo vel non agere quidquam omnino, vel certe nihil, quod non est secundum vires naturae [1]. Tollunt denique recentes, nuperique Materialistae, qui, cum causam mundi extra ipsum positam, sive, ut idem aliis verbis dicamus, Deum non agnoscant, quidquid in mundo fit, vel ex atomorum concursu, vel ab evolutione virium materiae insitarum pedetentim oriri obganniunt [2].

355. Verbo autem fatentur, sed re tollunt Fatalistae, qui pertendunt Deum ex vi sibi insita, et necessitate naturae suae mundum creare, ita ut creatio sit actio Dei omnino necessaria [3]. Etenim, si res creatae sunt necessarius terminus actionis naturalis Entis increati, ip-

---

in *Epistolis* ad Oldenburgium *supernaturale* verbo quidem retinet, sed re omnino tollit, atque persuasionem de existentia ordinis supernaturalis inter exitiales superstitiones recenset. Qua de re omnes veritates superintelligibiles, quae in SS. Litteris continentur, ad *veritates* intelligibiles, atque omnia *facta* supernaturalia, quae in ipsis narrantur, ad facta naturalia revocare conatus est. Eius scrinia compilarunt omnes nuperi Rationalistae Germaniae, atque e Philosophis in primis Kantius, Schellinghius, atque Heghelius (vid. nostram Dissert. *Spinosa e i moderni Razionalisti*, in Ephem. *La Scienza e La Fede*, art. 2, 3, et 4, vol. X, p. 241 sqq, et vol. XI, p. 100 sqq, et 401 sqq, Napoli 1845, et 1846). In Gallia satis est nominare unum Lamennaeseum, qui, postquam in castra Pantheistarum migravit, contendit « non modo non esse ullum ordinem supernaturalem, sed ipsam eius notionem sibi repugnare » ; *De la religion*, p. 170 sqq, Paris 1841. Cf eundem, *Du passè, et de l'avenir du peuple*, p. 43, Parisiis 1841, ceterisque opellis missis, *Esquisse d'une Philosophie*, passim, Paris 1840-1846.

[1]) Hoc, post Deistas saec. XVII, et XVIII, tuentur Jul. Simon (*La religion naturelle*, 2 part. p. 251 sqq, Paris 1857; Emil. Saisset (*Critique, et histoire de la philosophie*, n. III, *De l'origine, et de la formation du Christianisme*, p. 39 sqq, Paris 1865), necnon Rèmusat, Frank, Garnier, et nuperrime Caro, Lemoine, Levêque aliique, de quibus passim dicemus. Hi omnes, eo quod atheismum philosophiae positivae impugnant, nomen *spiritualistarum* sibi vindicant.

[2]) Hanc impiam theoriam diversis modis pro virili parte propugnant in Gallia sectatores *philosophiae positivae*, atque in Germania Moleschott, eiusque discipuli, de quibus partim iam diximus, partim inferius dicemus. Ern. Renan, qui philosophiam positivam quibusdam Heghelii placitis temperatam defendit (vid. Poitu, *Les philosophes français contemporains* etc., c. 5, p. 182 sqq, Paris 1864), dixit « essentiam criticae esse negationem supernaturalis »; *Études d'histoire religieuse, Les historiens critiques de Jésus*, § 1, p. 137, not. 1, 5e edit., Paris 1862.

[3]) Inter hos satis est commemorare unum Vict. Cousin, qui, ut paulo post videbimus, tum necessitatem creationis tradidit (*Fragm. phil.*, *Avertis.* à la 3e edit., p. 19, Bruxelles 1840; cf Bonavent. Athanasio, deinde Episcopum Liparensem, in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. IV, p. 161 sqq, Napoli 1842), tum omnem ordinem supernaturalem sustulit (*Op. cit.*, Prèf. à la 2e edit., p. 67 sqq, ed. cit., et *Cours d'hist. de la phil.*, etc., leç. 1, et 2). Vid. notulas, quas de Cousini, eiusque discipulorum errore scripsimus in cit. Ephem., vol. III, p. 409-416, 419, et 420, Napoli 1842.

sae eiusdem, ac Ens increatum, naturae dicendae sunt [1]. Verbo etiam retinent Rationalistae; hi enim autumant mysteria Fidei, quae omnem creatam vim intelligendi praetergredi Catholici docent, non esse aliud, nisi veritates naturales, et intelligibiles quibusdam mythis ad usum vulgi obvolutas, eventusque supernaturales esse effectus mere naturales, quos Scriptores sacri miris, nullaque fide dignis adiunctis exornarunt [2]. Verbo denique retinent omnes ii, qui non id, quod *absolute*, sed id tantum, quod *relative* supernaturale est, admittunt. Ut de uno Giobertio dicamus, hic pertendit quamlibet naturam esse naturalem, si ad naturam ipsa superiorem, et supernaturalem, si ad aliam naturam ipsa inferiorem referatur [3]. Ipse errori Deistarum, seu Naturalistarum adhaerens scripsit quoque persuasionem de existentia supernaturalis ab ignoratione causarum oriri; quocirca, prout cognitio causarum progreditur, ambitus ordinis supernaturalis coarctatur [4].

356. Iamvero ordinem naturalem in mundo existere indubium est. Manichaei, aliique recentes Increduli, mala, quae in mundo conspiciuntur, diserte describentes, atque exaggerantes, ex his confecerunt ordinem in mundo desiderari, quia, si inter ea, ex quibus mundus componitur, ordo existeret, procul dubio omnia ad perfectionem mundi concurrerent, omniaque idcirco bona essent. Quandoquidem manicheismus alibi confutandus nobis erit, hic dumtaxat advertimus controversiam de ordine mundi non tam *a posteriori*, quam *a priori* dirimendam esse. Nam, cum nulli hominum datum sit universarum rerum causas, connexionesque perspectas habere, non semper nobis contingit perspicere, quomodo videntur mala in mundo, re ipsa non sint mala [5], et si quae mala ob libertatis humanae abusum sunt, a Deo sapientissimo mundi gubernatore, ad ipsius mundi perfectionem convertantur [6]. Quare hic, omissa omnino demonstratione *a poste-*

---

[1]) Re vera Cousin, eiusque discipuli, cum necessitatem creationis propugnarent, pantheismi, quemadmodum suo loco videbimus, a multis cordatis viris non iniuria accusati sunt.

[2]) Vid. vol. I, *Epitome* etc. *ad totam* huius *Operis ration. intellig.*, p. 17, not. 8; nec non *Introd.*, p. 33, not. 3; *Idealog.*, c. I, art. 4, p. 487, not. 5; *Criteriol.*, c. II, art. 1, p. 587, et 592.

[3]) *Teorica del sovrannaturale*, not. XLV, p. 384, et 385, ed. 2ª, Torino 1849. Notionem supernaturalis, quam in hoc primo suo opere tradidit, constanter retinuit; ea enim in ipsis eius libris posthumis invenitur, puta *Filosofia della Rivelazione*, § 2, p. 6, et 18, Torino 1856. Quin etiam, cum infinitam seriem mundorum sibi succedentium admitteret, censuit quemlibet mundum, si cum praecedenti comparetur, esse naturalem, sin cum sequenti, esse supernaturalem. Vid. *Teorica* etc., loc. cit., et *Filosofia della Rivelaz.*, § 3, p. 13.

[4]) *Filos. della Rivel.*, ibid. Qui de his Giobertii erroribus plura nosse velit, legere potest nostrum opus, *I principali sistemi* etc., c. III, § 11, p. 577 sqq.

[5]) Hinc s. Augustinus aiebat: « Ordo penes ipsum sit, qui novit ordinare, quod creavit »; *Serm.* CCXCVI, *In Natali Apost.*, c. 5, n. 6.

[6]) Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 22, et *De Gen. ad litt.*, lib. II, c. 17. Om-

riori, de qua nonnihil in *Theologia naturali* agemus, demonstrationem *a priori* dumtaxat innuemus.

357. Iam, si haec res cum iis agatur, qui Deum esse auctorem mundi non negant, ipsa facilis expeditu est. Etenim Deus mundum ita debuit, et scivit creare, ut fini, ad quem ipsum destinavit, adamussim responderet. Atqui mundus non potest finem assequi, ad quem Deus illum destinavit, nisi ordo in ipso existat, quia ordo, ut diximus, est apta partium ad finem assequendum dispositio. Ergo, si Deus est auctor mundi, ordinem in mundo esse pro certo habendum est [1]. Sin res cum atheis agatur, argumentari adversus eos licet hoc modo: Ea, quae in mundo sunt, ipsis Atheis non diffitentibus, unicum systema efficiunt. Atqui ex pluribus, diversisque rebus, cuiusmodi sunt mundanae, aliquod systema exurgere non potest, nisi speciales, diversique earum fines ad finem unicum totius systematis concurrant [2]; concurrere autem ad hunc unicum finem non possunt, nisi res ipsae inter se colligatae sint, nempe, nisi ordine inter se contineantur [3]. Ergo, si cunctae res, ex quibus mundus conflatur, unicum systema efformant, ordo procul dubio in mundo existit [4].

358. Sed advertendum etiam est in mundo non solum existere oportere hunc ordinem universalem, quo res omnes unicum mundi systema efformant, sed etiam multos ordines particulares, qui ita inter se connectuntur, ut illum ordinem universalem efficiant. Nam cum omnia, quae in mundo sunt, per causas efficientes, et finales inter sese diversis modis colligentur [5], oportet 1° tot existere ordines in eo, quot sunt diversae causarum species, diversique modi, quibus inter se connectuntur; 2° omnes ordines inter se connecti, quia causae, ex quibus efficiuntur, inter se connectuntur; 3° denique

---

nium instar sint haec pauca: « Et bona, et mala in ordine sunt »; *De Ord.*, lib. I, c. 5, n. 14.

1) Hinc sapienter s. Augustinus: « Ordo est, per quem aguntur omnia, quae Deus constituit » (*De Ord.*, lib. I, c. 10, n. 28). « Dicendum, inquit s. Thomas, quod cum sapientis sit ordinare, secundum Philos. *In I Met.*, ca, quae ex Divina Sapientia procedunt, oportet esse ordinata . . . Ad hoc autem quod aliqua sint ordinata, duo requiruntur. Primo quidem, quod aliqua ordinentur ad debitum finem, qui est principium totius ordinis in rebus agendis . . . Secundo oportet, quod id, quod est ad finem, sit proportionatum fini »; 1ª 2ªe, q. CII, a. 1 c.

2) « Sicut ea, quae sunt unius generis, communicant in uno principio proprio illius generis, ita communicant in uno fine »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVIII, q. 1, a. 2 *sol.* Cf p. 376.

3) « Ordo, inquit s. Bonaventura, respicit dispositionem ordinatorum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, dub. 3.

4) Advertant adolescentuli nos alibi (p. 377-378) demonstrasse existentiam nexus rerum ab existentia ordinis contra illos, qui ordinem in mundo admittunt, atque hoc in loco contra illos, qui nexum rerum in mundo agnoscunt, ab existentia nexus existentiam ordinis.

5) Cf p. 371 sqq.

unum ordinem alteri, omnesque ordini universali subiici, quia causarum, quae in mundo sunt, aliae aliis subiiciuntur, omnesque unica suprema causa moderatur. E re est audire s. Thomam, qui, postquam statuit ordinem vel esse universalem, nempe qui a Prima Causa, seu Deo pendet, vel particularem, nempe qui pendet ab aliqua causa secunda, seu creata, subdit ordines particulares esse plures, atque hos ita secum colligari, ut omnes, quoquot sunt, ordini universali, a quo promanant, subiiciantur. « Ex praemissis, inquit, accipi potest duplicis ordinis consideratio. Quorum unus quidem dependet ex prima omnium causa, unde et omnia complectitur; alius particularis, qui ex aliqua causa creata dependet, et continet illa, quae causae illi subduntur: et hic quidem multiplex est, secundum diversitatem causarum, quae inter creaturas inveniuntur; unus tamen eorum sub altero continetur, sicut et causarum una sub altera existit: unde oportet quod omnes particulares ordines sub illo universali ordine contineantur, et ab illo descendant, qui inveniuntur in rebus, secundum quod a prima Causa dependent. Huiusmodi exemplum in politicis considerari potest. Nam omnes domestici unius patrisfamilias ordinem quemdam ad invicem habent, secundum quod ei subduntur. Rursus autem tam ipse paterfamilias, quam omnes alii, qui sunt suae civitatis, ordinem quemdam ad invicem habent, et ad principem civitatis, qui iterum cum omnibus, qui sunt in regno, aliquem ordinem habet ad regem [1] ».

359. Atque de existentia ordinis naturalis, quantum ad hunc locum spectat, satis. Quod vero ad ordinem supernaturalem attinet, non Philosophorum, sed Theologorum est inquirere, utrum, necne aliquis ordo supernaturalis a Deo in mundo constitutus sit. Nihilominus Philosophus demonstrare potest, et debet nihil prohibere, quominus ordo naturalis in mundo cum supernaturali coniungatur, atque ab hoc perficiatur. Certe id non repugnat *a parte Dei*, namque, ut inferius dicemus, cum sapientia, et potentia Dei creatione naturae non exhauriantur, sane Deus rebus a se creatis maiorem, quam qua in creatione ab Eo ornatae sunt, perfectionem largiri potest [2], ita ut actiones nativis suis viribus superiores exercere queant. Nec repugnat *a parte rerum creatarum*; hae enim, uti ostendimus, *potentiam obedientiae* a Deo acceperunt, ut valeant ea in se recipere, vel agere, quas facultates suas naturales praetergrediuntur [3]. Nec demum *ex*

---

[1]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 98. Cf *Qq. dispp., De Potent.*, q. VII, a. 2 ad 10.

[2]) « Licet iste cursus rerum sit determinatus istis rebus, quae nunc sunt, non tamen ad hunc cursum limitatur Divina Sapientia, et Potestas »; I, q. XXV, a. 5 ad 3. Cf ibid. ad 1, et *Contr. Gent.*, loc. cit.

[3]) Cf p. 386. « In tota creatura, ait etiam s. Thomas, est quaedam obedientialis potentia, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit »; *Qq. dispp., De Virtut.*, q. I, a. 10 ad 13.

parte ordinis a Deo creati. Etenim ordo supernaturalis ordini naturali repugnaret, si ipsum destrueret, aut immutaret, aut secum commisceret. Iamvero res e contrario se habet. Etenim ordo supernaturalis naturalem 1° non destruit, sed magis, magisque stabilit, quia inferior natura, si cum superiori copuletur, ab ea maiorem vim accipit, tantum abest, ut destruatur [1]; 2° non perturbat, sed perficit, quia naturas rerum ad actiones superioris ordinis exercendas aptas reddit [2]; 3° non commiscet, et absorbet in se, sed distinctum servat [3], quia, cum maximo intervallo ab eo distet, confundi inter se, et commisceri non possunt. Statuendum igitur est ne a parte quidem ordinis a Deo creati quidquam prohibere, quin ordo supernaturalis cum naturali in mundo coniungatur [4].

ARTICVLVS TERTIVS

De natura legum physicarum

360. Postquam ordinem in mundo existere vidimus, de natura legum, quibus cursus [5] mundanarum rerum gubernatur, disseramus necesse est [6]. Iam, quoniam leges, quae mundanas res moderantur, naturis rerum respondere debent, in primis quaerendum nobis est, cuiusmodi sint naturae rerum, quia inde ad naturam legum perspiciendam planior via patefit.

361. Naturae rerum, in quibus leges physicae fundantur, suntne contingentes, et mutabiles, an necessariae, atque immutabiles? Haec quaestio de naturis rerum solvenda nobis est, ut vim, naturamque legum physicarum perspiciamus. Contingentes, et mutabiles esse vo-

---

[1]) Hinc s. Thomas de *gratia* disserens, ait: « Gratia non tollit naturam, sed perficit »; I, q. I, a. 8 ad 2; cf *ibid.*, q. LXII, a. 7 c.

[2]) « Perfectio ergo rationalis creaturae non solum consistit in eo, quod ei competit secundum suam naturam, sed in eo etiam, quod ei attribuitur ex quadam supernaturali participatione Divinae Bonitatis »; $2^a\ 2^{ae}$, q. II, a. 3 c.

[3]) « In anima est aliquid in potentia, quod natum est reduci in actum ab agente connaturali . . . ; alio modo aliquid est in potentia in anima, quod non est natum duci in actum, nisi per virtutem Divinam »; *Qq. dispp., De Virtut.*, q. I, a. 10 ad 13.

[4]) « In omnibus naturis ordinatis invenitur, quod ad perfectionem naturae inferioris duo concurrunt: Unum quidem, quod est secundum proprium motum; aliud autem, quod est secundum motum superioris naturae »; $2^a.2^{ae}$, loc. cit.

[5]) Nomine *cursus naturae* designatur consecutio eventuum secundum ordinem naturae.

[6]) *De natura legum* inquimus; nam Philosophi non est leges, secundum quas phaenomena mundana fiunt, singillatim recensere, atque explicare, sed tantum illarum naturam declarare, ut notiones mundi metaphysicas scrutatoribus naturalium rerum suppeditet.

luere non solum Cartesiani, quibus, ut diximus, persuasum fuit essentias rerum a voluntate Dei omnino pendere [1], sed etiam omnes ii, qui vel cum Humio ratiocinationi inductivae in rerum naturalium cognitione fidendum non esse dixerunt [2], vel post Ioan. Sarisberiensem [3] conclusiones inductionis esse tantum probabiles docuere. Hi enim has opiniones de vi inductionis tuentur, eo quod putant nobis certis esse non licere, num *similes causae similes effectus producant*, hoc est, num *futurum erit praeterito simile* [4]; ast haec dubitatio nonnisi in eorum mentes cadere potest, qui naturas rerum esse mutabiles volunt. E contrario naturas rerum esse omnino necessarias, atque immutabiles pertendunt cum Pantheistae, quippe qui illas esse naturales emanationes, vel manifestationes entis necessarii, atque immutabilis tenent; tum Fatalistae, qui, etsi res naturales a Deo discriminent, immo illas a Deo creatas esse non negent, tamen Deum in rebus creandis cuidam *fato*, seu congenitae sibi necessitati obnoxium fuisse autumant; tum veteres illi, recentesque Materialistae, qui omnia, quotquot sunt, ex evolutione naturali, et necessaria materiae orta esse obganniunt [5].

362. Verum, missis Humio, eiusque asseclis, quorum manifestus error iam refutatus a nobis fuit [6], illud dumtaxat hic observamus, falli tum illos, qui naturas rerum esse omnino contingentes, et mutabiles, tum illos, qui ipsas esse omnino necessarias, ac immutabiles volunt, quippe quod naturae rerum, prout duobus diversis modis considerantur, sunt mutabiles, et immutabiles. Enimvero, si naturae rerum ad Deum, qui illas creavit, relatae considerentur, nulla necessitas in ipsis invenitur, quia, cum productio rerum sit effectus liberrimae voluntatis Divinae, Deus poterat res non producere [7]. Quare naturae rerum, si ad Deum, primam sui causam, relatae considerentur, contingentes sunt, et dici non possunt necessariae, nisi ex *necessitate divinae dispositionis*, hoc est, ex eo quod, quoniam Deus natu-

---

[1]) Cf *Ontol.*, c. 2, art. 5, p. 51-52.

[2]) Cf vol. I, *Criteriol.*, c. I, art. 3, p. 576.

[3]) *Policraticus*, lib. II, c. 21, Lugduni Batavorum 1639.

[4]) De his vid. *Criteriol.*, ibid., p. 575-576.

[5]) Et sane, si cunctae res sunt emanationes, vel manifestationes naturales Dei, seu Absoluti, ipsae debent esse, perinde ac Deus, absolute necessariae. Item, si Deus in creando mundo necessitati, seu fato paruit, non alias naturas rerum condere potuit, quam quas condidit, et non aliter, ac condidit. Denique, si materia per vim, quae ipsi inest, necessario evolvitur, necessarias esse oportet res, quae ab eius evolutione oriuntur. Exemplo sit Büchnerus; hic enim, aliis saepe a se laudatis speculatoribus naturae plaudens, materiam, ex qua per vim sibi insitam omnia orta esse putat, « necessitati absolutae, et flecti nesciae », subiici autumat. Vid, *Op. cit.*, p. 33, et passim.

[6]) Cf *Criteriol.*, ibid., p. 578.

[7]) Cf *Ontol.*, loc. cit., p. 52-53.

ras rerum creare disposuit, hae aliter, ac Deus ipsas esse disposuit, esse non possunt [1]. Contra ea, si naturae rerum ad causas, seu principia proxima sui relatae spectentur, in ipsis absoluta necessitas agnoscenda est. Et sane, si liberrimum fuit Deo, res producere, sane non potuit, quin ipsis largiretur principia proxima, ex quibus constituuntur. Cuius rei ratio est, quod Deus efficere non potest ea, quae sibi repugnant, sive impossibilia sunt [2]; iam certe repugnat aliquam rem ponere sine principiis proximis, quae eius naturam constituunt, quia, cum natura ex suis principiis proximis constituatur, ea simul poneretur, et non poneretur. Ex quo s. Thomas iure collegit Deum *ex suppositione* debitorem esse rebus a se creatis, quia, si certas res creare statuit, debuit eis largiri naturas, ex quibus constituuntur, et proprietates, quae naturas consequuntur. E. g., « supposito, concludit sanctus Doctor, quod Deus hominem facere vellet, debitum ex hac suppositione fuit, ut animam, et corpus in eo coniungeret, et sensus, et alia huiusmodi adiumenta tam intrinseca, quam extrinseca ei praeberet: in quibus omnibus, si recte attenditur, Deus creaturae debitor non dicitur, sed suae dispositioni implendae [3] ».

363. Quod cum sit, liquet naturas rerum, si spectentur *secundum essentiam*, hoc est, prout essentiam denotant, per quam in suo genere, et specie constituuntur, esse necessarias, atque immutabiles, quia ne virtute quidem divina fieri potest, ut res principiis suis essentialibus destituantur. Ast observandum praeterea est naturas rerum esse quoque necessarias, et immutabiles, si considerentur *secundum energiam*, seu *dynamice*, hoc est, prout principium operationum denotant. Nam quaelibet essentia, seu natura, secus ac Malebranchio, eiusque asseclis visum est, congenitum habet suum operandi principium, ita ut nulla essentia, prout est in *actu*, aliter mente concipi possit, quam veluti substantia, quae ratione operandi sui propriam manifestat, eamque intra speciei suae fines explicat, evolvitque. Iam si cuilibet essentiae congenitum est suum principium operandi, procul dubio quaelibet essentia ratam, fixamque vim expostulat, qua principium agendi pro sua specie idoneum existit, quia quaelibet res id, quod congenitum ei est, necessario requirit. Hinc vides 1°, quoniam naturae rerum sunt *secundum essentiam* necessariae, et immutabiles, inde fieri, ut ipsae etiam *secundum energiam*, seu *dynamice* necessariae, et immutabiles sint; 2° Deum, sicut non potest res essentia expoliare, qua ipsas donavit, ita non posse ipsis facultatem agendi

---

[1]) Cf *Ontol.*, ibid.

[2]) Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. I, c. 84, n. 1, in quo ita concludit: « Si igitur necessario vult ea, quae requiruntur ad hoc, quod supponitur velle, impossibile est Eum velle ea, quae eis repugnant; et sic impossibile est Eum velle ea, quae sunt impossibilia simpliciter ».

[3]) *Op. cit.*, lib. II, c. 29.

detrahere, quia facultates cuiuslibet rei ab eius essentia, ut in *Dynamilogia* vidimus, *resultant*; 3° quandoquidem natura rei est principium operationum eius, cuilibet speciei rerum operationes convenire, quae ipsi consentaneae sunt [1]; 4° quoniam natura cuiuslibet rei est determinata, inde necessario fieri, ut cuiuslibet naturae aliquae operationes sint determinatae [2].

364. Quoniam novimus, cuiusmodi sint rerum naturae cum in seipsis, tum ad Deum sui auctorem relatae, haud difficile nobis erit investigare naturam legum, quibus aspectabilis haec universitas rerum gubernatur. Leges naturae, sive physicae sunt, ut diximus, rationes constantes, atque uniusmodi, secundum quas diversae rerum species operantur. Iamvero, quoniam et quibusque naturis rerum propriae sunt operandi rationes, et cunctae diversae operationes diversarum naturarum ad mundi systema efficiendum colligantur, necesse est, ut leges naturae aliae sint particulares, aliae generales. Particulares eae sunt, secundum quas singulae naturae rerum operantur, et generales eae, quibus operationes diversarum naturarum connectuntur, et mundi systema efformant [3].

365. Mundum legibus cum particularibus, tum generalibus contineri res adeo explorata est, ut uni Sceptici, quibus omnia incerta sunt, de ea dubitare possint. Enimvero hoc in primis vel ex ordine tantum, quem in mundo existere ostendimus, aperte perspicitur [4]. Nam, quoniam ordo in mundo invenitur, oportet diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, ita dispositas esse, ut aliquid ad finem mundi assequendum conferant; ordo enim, ut vidimus, est apta plurium dispositio ad consecutionem finis. Atqui manifestum est diversas naturas rerum non posse ad unicum finem mundi concurrere,

---

[1]) « Res autem naturalis per formam, qua perficitur in sua specie, habet inclinationem in proprias operationes, et proprium finem, quem per operationes consequitur; quale enim est unumquodque, talia operatur, et in sibi convenientia tendit »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 19.

[2]) Cf *Criteriol.*, loc. cit., p. 576-578. Hinc scitum illud vetustis Patribus post nobiliores ethnicos Philosophos fuit, *motionem* esse cuiuslibet *naturae* propriam, ita ut ex diversitate operationum diversitas naturarum iure, meritoque inferatur. Quare ipsi argumentabantur 1° adversus Tritheitas, nempe illos haereticos, qui plures naturas in Deo admittebant, unam esse naturam Trium Personarum, quia una est Illarum operatio; 2° adversus Eutichianos, nempe illos, qui autumabant unam naturam esse in Christo, duas naturas in Eo esse agnoscendas, quia duplicis generis operationes exerit; 3° adversus illos, qui, cum duas naturas in Christo admitterent, contendebant unam esse Eius operationem, duplicis generis operationes in Eo admittendas esse, eo quod duae naturae in eo sunt. Cf Lequien in Not. ad sanctum Damasc., *De Fide Orthodoxa*, lib. II, c. 23, *Opp.*, t. I, p. 190, Parisiis 1712.

[3]) « Est lex universitatis Divina Sapientia »; *Qq. Octoginta tres*, q. 79.

[4]) Hinc s. Augustinus aiebat: « Modus pater est ordinis »; *De Ord.*, lib. II, c. 19, n. 50.

nisi actiones suas secundum quasdam leges sibi communes exerant. Manifestum igitur etiam est res mundanas legibus generalibus gubernari. Leges autem generales in mundo sine particularibus intelligi nequeunt. Etenim finis totius mundi non potest obtineri, nisi per fines proprios singularum naturarum, ex quibus mundus componitur; singulae autem naturae non possunt ad fines suos pervenire, nisi secundum leges sui proprias operentur, quae leges particulares dicuntur. Itaque, si ordo in mundo existit, mundum legibus tum generalibus, tum particularibus contineri pro re explorata habendum est [1].

366. Praeterea idem observatio naturae patefacit. Etenim cuique vel plebeio certum est 1° triplex naturae regnum, nempe minerale, vegetabile, atque animale, immo singulas horum classes, familias, et species peculiaribus, fixisque legibus gubernari; 2° singula organa in quolibet genere viventium ex similibus elementis constare, similibus qualitatibus ornari, similesque relationes cum ceteris corporibus habere; 3° generationem viventium, eorum ortum, et interitum eodem modo constanter fieri [2]. Speculatores vero naturae, quo magis in causarum cognitione progrediuntur, eo clarius perspiciunt, firmiusque sibi persuadent nullas vires, nullasque eventuum series in natura inveniri, quae certis, atque invariabilibus normis non subiiciuntur.

367. His, veluti cumulus, communis hominum opinio accedit. Homines enim, quoniam de existentia legum physicarum persuasum eis est rebus futuris provident, de agendis consilia ineunt, artes, rationemque vitae suae instituendae decernunt [3]. Huic persuasioni debentur omnes artes, et scientiae, quae ad tuendam, ornandamque vitam ab hominibus institutae fuere. Ex quo vides existentiam legum naturalium esse sapientiae, et bonitati Dei omnino consentaneam, quia, si Deus res mundanas certis legibus non coërcuisset, humano generi defuisset in rebus necessariis, hoc est in iis, quibus ei ad vitam conservandam, tuendamque opus est.

368. At, si mundum quibusdam legibus contineri certum est, a Philosophis disputatur, cuiusnam naturae illae leges sint, scilicet, utrum necessariae, an contingentes.

---

[1]) « Aut aliquid sine causa fieri docear, aut nihil fieri nisi certo causarum ordine credite »; *De Ord.*, lib. I, c. 4, n. 11.

[2]) « Principia naturalia, inquit s. Thomas, sunt ad determinatos effectus, ultra quos se extendere non possunt » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, q. I, n. 1 *sol.* 3 c.). Et rursus: « Videmus in operibus naturae vel semper, vel frequentius, quod melius est; sicut in plantis folia sic esse disposita, ut producant fructus, et partes animalium sic disponi, ut animal salvari possit »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 3, n. 8.

[3]) « Naturali cognitione aliqua futura praenoscimus per causas, quae praesentes videmus, ex quibus futuros expectamus effectus, vel per certitudinem scientiae, si sint causae, quas de necessitate sequitur effectus; vel per coniecturam, si sint causae, ad quas sequitur effectus ut in pluribus, sicut astrologus praescit eclypsim futuram, et medicus mortem futuram »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, a. 6 c.

Pantheistae, quorum agmen inter recentes Spinosa ducit [1], volunt omnes mundi leges esse necessarias, quippe quod, cum ipsi censeant cunctas res esse necessarias emanationes, vel manifestationes Dei, seu Ideae, cohaerenter blaterant leges naturae non esse aliud, nisi modos constantes, atque uniformes, quibus Deus se necessario effundit, et evolvit. Cum Pantheistis hac in re consentiunt Fatalistae, quippe quod, si Deus in mundo condendo necessitati subiectus est, non aliis certe legibus, quam quas ei dedit, coagmentare ipsum potuit [2]. Idem tuentur Deistae, quippe qui Deum mundum a se conditum sibi ipsi reliquisse [3], aut legibus universalibus dumtaxat gubernare [4] obganniunt. Nec aliter, ac hi omnes, volunt nuperi Materialistae, quos saepe nominavimus ; si enim necessaria est materia, ex qua omnia oriuntur, non solum naturae rerum, quae fiunt, sed etiam leges, secundum quas fiunt, necessariae esse debent [5]. Contra ea veteres, recentesque Atomistae, utpote qui mundum ex fortuito atomorum concursu effectum fuisse putant, leges, quibus res mundanae continentur, nonnisi fortuitas, ideoque contingentes esse contendunt. Eadem opinio a permultis aliis recentibus defenditur, qui, etsi a theoria atomorum abhorreant, tamen secundum Cartesium, et Lockium essentias rerum esse necessarias, ac immutabiles negant. Nam si essentiae rerum sunt contingentes, et mutabiles, leges, secundum quas phaenomena naturae eveniunt, necessariae, ac immutabiles nullo modo esse possunt.

369. Sed hae duae sententiae, quae sibi e regione opponuntur, perinde e vero deflectunt, quippe quod leges naturae, prout diversis modis spectantur, sunt necessariae, aut contingentes. Et sane ipsae, si ad Deum relatae spectentur, sunt contingentes, quippe quod, quemadmodum ex liberrima sua voluntate naturas rerum condidit, ita ex eadem liberrima voluntate diversos modos, quibus ipsae mutuam

---

[1]) *Tract. theol. polit.*, c. IV, t. I, p. 234 sqq, ed. Paulus.

[2]) Hos Schrader merito *Semi-pantheistas* vocat, quia, si Deus mundum ex vi sibi insita creavit, mundus non aliter intelligi potest, quam veluti necessarius terminus explicationis naturalis Dei. Vid. *Comment. cit.*, pars I, c. 2, § 24, p. 13.

[3]) Haec impia, absurdaque opinio ab iis propugnata est, qui, ut suo loco dicemus, Providentiam divinam omnino negarunt, et, teste Wagnero (*Science, et Foi*, apud Büchnerum, (*Op. cit.*, p. 42), plurium scrutatorum naturae suffragio hodie gloriantur.

[4]) In hunc censum veniunt Simon, Saisset, aliique, de quibus paulo inferius.

[5]) Ut nonnullos hodiernos nominemus, Moleschott scripsit « legem naturae esse manifestationem omnium maximam necessitatis » (apud Büchnerum, *Op. cit.*, p. 33). Vogt effutivit « leges naturae esse vires barbaras, flecti nescias, et moralitatis, benevolentiaeque expertes » (apud eumdem, p. 35). Büchnerus, qui horum, aliorumque dicta retulit, confidenter inquit: « Experientia saeculorum plus, quam decem, scrutatorem naturae adeo certum effecit de immutabilitate legum physicarum, ut haec in dubitationem nullo pacto adduci queat ». Vid. *ibid.*, p. 32, et 33.

actionem in sese exercent, diversasque leges, quibus mundus gubernatur, constituit. Hinc leges naturae, si ad Deum relatae considerantur, eiusmodi sunt, ut aliter esse potuerint, nempe contingentes [1]. At vero, si ad res ipsas relatae spectentur, procul dubio necessariae sunt. Nam, cum leges naturae sint modi constantes, atque uniformes, quibus res naturales operantur, liquet ipsas oportere esse operationibus rerum naturalium consentaneas. Atqui operationes rerum naturalium sunt necessariae, quia naturae rerum, quae sunt illarum principium, et subiectum, sunt, ut vidimus, necessariae, ideoque ad unum determinatae. Ergo leges, quibus mundus gubernatur, si in se spectentur, necessariae, et determinatae sunt dicendae. Haec sententia, quae s. Augustini [2], aliorumque Doctorum placitis innititur, duos, ut s. Thomas advertit, oppositos scopulos *fati*, et *casus* vitat. Etenim, dum cunctas leges naturae, secus ac ii, qui Deum *fato* subiiciunt, e liberrima voluntate Dei repetit, in ipsis rebus aliter, ac defensores *casus* obganniunt, rationem legum naturalium quaerendam esse decernit [3].

370. Reliquum hic foret, ut, num de constantia legum naturalium certis nobis esse liceat, investigaremus. Verum hac de re iam a nobis in *Criteriologia* actum est tum contra Humium, aliosque Pyrrhonios, tum adversus quosdam nobiles Philosophos, qui hac ex parte scepticismo Humii imprudenter faverunt [4]. Hic addimus de constantia legum naturalium dubitandum nobis non esse, sive naturas rerum in seipsis, sive ad Deum relatas consideremus. Nam si priori modo, ip-

---

[1]) « Deus, inquit s. Augustinus, supra omnem creaturae modum est, supra omnem speciem, supra omnem ordinem: nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo « (*De natura boni contra Manichaeos*, c. 3). Et alibi: « Super hunc motum, cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id, quod non in eis posuit, ut de his fieri vel ab ipso possit. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiae virtute omnipotens est; et hoc de unaquaque re in tempore suo facit, quod ante in ea fecit, ut possit »; *De Gen. ad litt.*, lib. IX, c. 17, n. 32.

[2]) « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti . . . , secundum quod mensura omni rei modum praefigit, et numerus omni rei speciem praebet, et pondus omnem rem ad quietem, ac stabilitatem trahit »; *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 3, n. 7. Et *ibid.* (lib. IX, c. 17, n. 32): « Omnis iste naturae usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas et spiritus vitae, qui creatura est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere »; Cf vol. I, *Criteriol.*, c. I, art. 3, p. 577, not. 1.

[3]) « Sic igitur, ait s. Thomas, per praedicta excluditur duplex error: eorum scilicet, qui Divinam Potentiam limitantes dicebant Deum non posse facere, nisi quae fecit, quia sic facere debet; et eorum, qui dicunt, quod omnia sequuntur simplicem voluntatem absque alia ratione vel quaerenda in rebus, vel assignanda »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 29.

[4]) Cap. I, art. 3, p. 576-579 vol. I.

sae ab essentialibus rerum proprietatibus, ut Scholae loqui solent, *resultant*, dummodo nulla causa exterior obicem eis ponat. Atqui proprietates essentiales rerum sunt necessariae, quia natura rerum, uti antea vidimus, sunt necessariae, et causae necessariae, positis omnibus ad agendum requisitis, amotisque impedimentis, necessario agunt. Ergo leges, quae ab ipsis resultant, sunt necessariae. Sin posteriori modo, pro certo habendum est Deum leges, secundum quas res condidit, sartas, tectasque servare, quia « si Ipse non subtrahit, ut s. Thomas ait, rebus, quod est proprium naturis earum[1] », leges mundi, quae a naturis rerum resultant, destruere nequit[2]. Illud dumtaxat, ut mox dicemus, admittendum est, Deum posse illas suspendere, sive, ut strictius loquamur, illarum effectus impedire, quoties hoc ratio suae sapientiae expostulat.

ARTICVLVS QVARTVS

De miraculis, et primum de eorum notione, et diversis speciebus

371. Principio quid nomine *miraculi* secundum ss. Patres, et Scholasticos venit, declarandum nobis est [3]. Nomen miraculi, si quae ab eis passim dicta fuere, considerentur, effectum denotat *supernaturalem, insolitum*, et *sensibilem*; *supernaturalem*, hoc est, qui vires totius naturae creatae praetergreditur, ita ut nulla creatura ipsum efficere valeat [4]; *insolitum*, hoc est eiusmodi, ut non modo vires cuiuslibet naturae creatae excedat, sed etiam praeter, aut contra consuetum naturae cursum efficiatur [5]; *sensibile*, nempe cuiusmodi, ut manifestum

---

[1]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 55, n. 13.

[2]) Conferre de hac re iuvabit ea, quae Campbell disseruit adversus Humium in Dissert. *Sur les miracles contre l'examen des principes posès par Hume*, trad. de l'angl., Utrecht 1765.

[3]) Si vim etymologicam nominis spectes, miraculum a *mirando* dictum est. Nos enim ea miracula dicimus, quorum causam ignoramus; causa autem effectuum, quos miracula appellamus, occultissima, ut mox dicemus, nobis est. Cf s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 2 c.

[4]) « Miraculum, s. Thomas ait, dicitur, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae, sub quo ordine continetur omnis virtus creata » (I, q. CXIV, a. 4 c.; cf ibid., q. CV, a. 7 ad 2; q. CX, a. 4, et *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 2, et 10). Ei praeiverat s. Augustinus (*De util. cred.*, c. 16; *De Trinit.*, lib. III, c. 5; *Tract., in Ioan. c. II*, tract. VIII, n. 1). Ex quo patet, quidquid Angeli contra leges naturae ex viribus suis naturalibus agunt, non esse miraculum *stricte*, et *proprie* dicendum, quia non superat vires naturae angelicae, quae et ipsa est creata. Nihilominus, quoniam huiusmodi extraordinarii effectus ab Angelis ex iussu Dei eduntur, miracula *latiori sensu* vocari possunt. Hinc, si quis definitione etiam miracula late sumta complecti velit, miraculum definire potest: *effectum insolitum, qui immediate a Deo, vel a creatura ex speciali iussu ac voluntate Dei producitur.*

[5]) « Insolitum, scribit s. Thomas, quod in definitione miraculi ponitur, non dicit

omnibus sit[1]. Cur vero effectum miraculosum tribus hisce notis exornari necesse sit, ex fine, ob quem Deus miracula patrat, facile intelligi potest. Namque ii, qui Deum miracula posse patrare tenent, asserunt Deum in ipsis patrandis in illud intendere, ut testimonium veritati, aut virtuti reddat[2]. Atqui effectus testimonium Dei ad veritatem confirmandam, virtutemque probandam esse non potest, nisi tribus illis notis, quas diximus, exornetur. Necesse enim est, 1° ut a sola divina virtute effici possit, alioquin non constaret, utrum a Deo, an ab aliqua creatura testimonium reddatur; 2° ut a Deo fiat praeter consuetum ordinem, quo mundum conservat, et moderatur, alioquin rationem generalem divinae gubernationis testaretur, sed testi-

---

raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturae: unde, si quotidie coeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret » (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 3 ad 2; cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 2, et I, q. CV, a. 7 ad 2). « Miraculum, subdit etiam s. Bonaventura, fit praeter solitum cursum naturae, ita quod supra cursum naturae» (*In lib. II Sent.* Dist. XXXVII, a. 11, q. 2 *ad arg.*). Hoc a s. Augustino didicerunt, qui docuit Deum servasse « sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum, ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant » (*Tract. XXIV in Ioann. c. VI*, n. 1; cf *De Gen. ad litt.*, lib. IX, c. 17, et 18, n. 32, et 33). Hinc creatio animae humanae miraculum dici non potest, quippe quod, quamvis vires totius naturae superet, tamen « non est, ut Benedictus XIV ait, praeter ordinem naturae, cum fiat iuxta rerum conditionem » (*De Beatif. et Canon. Sanctorum*, lib. IV, c. 1). Nec quemquam moveat, quod animam humanam nonnisi Deus creare potest; siquidem, etsi creatio animae humanae sit opus proprium Dei, ipsa miraculum dici nequit, cum id, quod praeter ordinem naturae non contingit, miraculum non sit. Apposite s. Thomas: « creatio, et iustificatio impii, etsi a solo Deo fiant, non tamen, proprie loquendo, miracula dicuntur, quia non sunt nata fieri per alias causas; et ita non contingunt praeter ordinem naturae; cum haec ad ordinem naturae non pertineant » (I, q. CV, a. 7 ad 1; cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 2 c.). Quare vocem miraculi late, non proprie, et stricte accepisse dicendus est s. Augustinus, ubi ait: « Miracula omnia, quae fiunt, minora sunt, quam hic mundus, quem fecit Deus » (*De Civ. Dei*, lib. X, c. 12); necnon ubi inquit: « Maius miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus »; *Tract.* XXIV *in Ioan. c. IV*, n. 1.

1) Ob hanc causam unio hypostatica Verbi cum natura humana, transubstantiatio eucharistica, iustificatio impii, et glorificatio iusti, etsi vires totius naturae creatae excedant, uniusque omnipotentiae Dei opus sint, inter ea, quae vulgo dicuntur miracula, non recensentur. Bene monuit s. Thomas notionem miraculi non requirere omnino, ut opus sit manifestum per se, sed satis esse, ut per effectus manifestetur. Hinc dixit scientiam Apostolorum fuisse miraculum, quia, « quamvis secundum se non fuerit manifesta, manifestabatur tamen in effectibus, ex quibus mirabilis apparebat »; I, q. CV, a. 7 ad 3.

2) « Hoc enim, ait s. Thomas, ipsum (*agere praeter ordinem naturaliter inditum rebus a Deo*) ad suae virtutis manifestationem facit interdum. Nullo enim modo melius manifestatur, quod tota natura Divinae subiecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operatur »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 99.

monium alicuius veritatis, aut virtutis non esset; 3° ut manifestetur hominibus, quia testimonium nullum est, si ignoretur [1].

372. Quo autem haec definitio, seu notio miraculi clarior fiat, praecipua divisio miraculorum, quae a Philosophis, atque ab Apologetis Christianis traditur, exponenda nobis est. Haec divisio diversitati graduum innititur, quos miracula inter se tenent [2].

373. Iamvero tres gradus, ut s. Thomas sapienter observavit [3], in serie miraculorum designari possunt, quorum *supremum* tenent miracula *quoad substantiam*, seu in eo, in quod fiunt; *medium* miracula *quoad subiectum*, seu in eo, in quo fiunt; et *infimum* miracula *quoad modum*, seu in modo, quo fiunt. Hinc miraculum prima, et potiori ratione ita dividitur, ut sit vel *quoad substantiam*, vel *quoad subiectum*, vel *quoad modum*.

374. Miraculum quoad substantiam dicitur opus, quod vires totius naturae creatae essentia sua superat, ita ut nulla ratione ab aliqua causa creata effici possit; unde *simpliciter miraculum* vocatur. Huiusmodi est, e. g., compenetratio duorum corporum, quae in resurrectione I. Christi ex sepulcro non aperto, atque in Eius ingressu ad discipulos suos, ianuis clausis, evenit, quippe quod, cum omne corpus sit naturaliter impenetrabile, compenetrationem duorum corporum

---

[1]) Rousseavius (Rousseau, *Lettres de la montagne*, Lett. III, *Oeuvr.* ed. Bipont., vol. XII, p. 71 sqq), aliique contendunt nos nunquam posse cognoscere, an aliquod opus sit miraculosum, quia, cum non sint nobis omnes leges naturae perspectae, cognoscere haud possumus, utrum, necne aliquis effectus vires naturae praetergrediatur. Ast ii omnino falluntur. Et sane, quamvis non omnes leges naturae nobis sint exploratae, inde inferri nequit nobis exploratum esse non posse, utrum, necne aliquis effectus vires naturae praetergrediatur. Nam nos miracula dicimus illa opera, quae exploratis naturae legibus adversantur. Atqui, si non omnes, certe plures naturae leges, eodem Rousseavio, eiusque asseclis fatentibus, compertae nobis sunt. Ergo cognoscere nobis licet, num aliqua opera sint miraculosa. Frustra regereres posse fieri, ut aliquis effectus, qui cum legibus notis non concordat, legibus nondum exploratis sit consentaneus; repugnat enim dari in rerum natura leges duplicis generis secum pugnantes, ideoque duos ordines, quorum unus alterum tollit. Cetera in re adeo absurda omittimus. Cf Bergier, *Traité historique, et dogmatique de la vraie religion*, part. V, c. I, art. 1, Paris 1784.

[2]) Clarke illos reprehendit, qui in miraculis gradus distinguunt, hac ratione permotus, quod, cum omnia miracula sint supra vires cuiuslibet naturae creatae, atque ad Dei potentiam referantur, aequalia esse debent (*Traité de l'exist., et des attributs de Dieu*, etc., *Traitè de la veritè de la religion chrèt.*, c. 19, trad. par Recotier, t. III, p. 119 sqq, ed. 2, Amsterdam 1756). Ast advertendum cum s. Thoma est, « quod nihil potest dici miraculum ex comparatione Potentiae Divinae; quia quodcumque factum Divinae Potentiae comparatum est minimum . . . Sed dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturae, quam excedit. Et ideo, secundum quod magis excedit facultatem naturae, secundum hoc maius miraculum dicitur »; I, q. CV, a. 8 c.

[3]) I, q. CV, a. 8 c., et *Contr. Gent.*, lib. III, c. 101.

omnis creata vis nullo modo efficere potest [1]. Miraculum vero *quoad subiectum* dicitur opus, quod vires totius naturae creatae superat non essentia sua, sed propter conditionem subiecti, in quo fit, ita ut causae creatae similia illi efficere valeant, sed non in subiecto, in quo illud efficitur. Ita certum nobis est causas creatas vitam, et visionem in rebus producere, quia vivens a vivente gignitur, atque visio in animali perfecto ab alio animali per generationem producitur. At certe vitam in mortuo exsuscitare, aut visionem coeco restituere nulla alia causa potest, sed solus Deus, qui viventia e nihilo eduxit, animaliaque perfecta visione ornavit [2]. Miraculum *quoad modum* est opus, quod nec propter essentiam, nec propter subiectum, sed propter modum, quo fit, vires totius naturae creatae supergreditur. Huiusmodi miracula existunt, cum aegrotus sine praeviis remediis, et sine ulla crisi convalescit, viresque corporis subito resumit [3], vel cum tempestas in tranquillitatem subito mutatur [4].

375. Miracula primi, et secundi gradus vocantur quoque miracula *secundum rem*; quia, statim ac visa, aut audita sunt, operationem Dei manifestant, cum in miraculis tertii gradus necesse sit expendere, num eo modo facta sint, quo naturaliter contingere nequeunt. E. g., si compertum fuerit aliquam sanationem esse miraculosam secundum rem [5], supervacaneum est inquirere, num in instanti, an progressu temporis, et utrum arte medica, an sine hac evenerit; contra ea necesse est haec duo inquirere, si sanationem esse miraculum secundum modum constet [6].

376. Miracula trium graduum, quae modo recensuimus, *supra*, vel *contra*, vel *praeter* naturam cum eodem Aquinate dici possunt.

Miraculum *supra naturam* fieri dicitur, cum patet illud superare

---

[1]) Huius generis quoque sunt splendor a vultu Mosis egrediens, nativitas I. Christi ex Virgine ante partum et in partu, multiplicationes rerum, uti panum, et piscium, et conversiones unius rei in aliam, ut aquae in vinum. Cf Benedictum XIV, *Op. cit.*, lib. IV, part I, c. 4.

[2]) Multa miracula huius secundi generis diserte narravit s. Augustinus in lib. III *De Trinit.*, c. V, n. 11.

[3]) Id intelligendum est de morbis, quos progressu temporis, artisque medicae auxilio depellendi spes adhuc est. Nam, si de morbo agatur, qui nec ullis viribus naturae, nec ulla vel exquisita arte medica depelli quit, sanationes sunt miracula secundi gradus, seu *quoad subiectum*, quia ipsis sanitas restituitur subiecto, quod non est eius capax. Cf Card. Brancatum de Laurea, *In lib. III Sent.*, Disp. XX *De miraculis*.

[4]) Quod I. Christus praestitit, cum *imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna*; Matth., VIII, 26.

[5]) Nempe, ex eo quod subiectum, cui sanitas restituitur, per se capax sanitatis non est. Vid. not. 3.

[6]) Cf Card. Brancatum, *Op. cit.*, ibid., et Benedict. XIV, *Op. cit.*, lib. IV, pars I, cap. 8.

vires totius naturae creatae, eo quod quaevis natura illum effectum vel omnino producere non potest, vel illum producere non potest in eo subiecto, in quo productum conspicitur [1]. Miraculum vero *contra naturam* patrari dicitur, si in rebus, in quibus fit, « remanet, ut s. Thomas ait, dispositio contraria ad effectum, quem Deus facit [2] ». Huiusmodi miraculum factum est, cum ignis pueros Babylonis non combussit, remanente in eo virtute, qua ministros regis incendit [3]. Denique dicitur miraculum esse *praeter naturam*, cum notum est illud esse effectum, quem natura quidem potest producere, sed non illo modo, quo re vera producitur, vel non in illo subiecto, in quo producitur. Puta ranas existere, manum arescere, et ventrem ex aliqua potione putrescere miracula per se non sunt, quia huiusmodi eventus per se vires naturae non superant. Ast Aegyptum repente ranis ubique scatere, manum Ieroboami, quae ad mortem Prophetae inferendam extendebatur, subito arescere, et ventrem adulterae ex aqua zelotypiae epota putrefieri, sunt miracula praeter naturam, quia ista iis, quibus effecta sunt, modis nulla causa creata praestare poterat [4]. Perspicuum vero est non solum miracula, quae supra naturam, sed etiam ea, quae contra, et praeter naturam sunt, ordinem totius naturae supergredi, quia nulla vis creata potest ullum effectum producere in re, in qua dispositio contraria ad effectum producendum naturaliter inest, atque omnis res naturalis, cum necessario operetur, non modo determinatum effectum producit, sed determinatos modos illum producendi sectatur. Haec est ratio, ob quam miracula aut *supra*, aut *contra*, aut *praeter* naturam fieri promiscue dicantur.

377. Ex omnibus, quae de diversis speciebus miraculi statuimus, facile intelligi potest, quid *mirabile* a *miraculo* differat. En brevem, luculentamque theoriam s. Thomae: Ad efficiendum mirabile duo requiruntur: 1° ut causa eius sit occulta; 2° ut in re, in qua fit, aliquid ipsi repugnans esse putetur. Iam utrumque duobus modis con-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 2 ad 3, et *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. 1 a. 3.

[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, loc. cit.

[3]) Haec duo genera miraculorum illis respondent, quae *secundum substantiam*, vel *secundum subiectum* appellantur. Nemo existimet, cum Deus miraculum in re patrat, non posse in ea manere dispositionem contrariam ad effectum miraculosum, quia naturalis est cuilibet rei potentia obedientiae iam a nobis explicata. Etenim actio immediata Dei, ad quam in se recipiendam quaelibet res, propter potentiam obedientiae, comparata est, non destruit dispositiones eius naturales ad producendos effectus sui proprios, sed dumtaxat aliquem eorum effectum impedit. Quare, cum aliqua res ex virtute Dei effectum dispositioni suae proprium non producit, dispositio ad illum producendum in ipsa non cessat. Ita ignis in fornace Babylonis, dum pueros non combussit, vim comburendi non amisit, quia simul ministros regis combussit.

[4]) Cf s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, ibid. Quae *praeter naturam* vocantur miracula, ad miracula *quoad subiectum*, vel *quoad modum* facile revocantur.

tingere potest. Etenim causa eventus, quem admiramur, vel est occulta *secundum se*, hoc est, eiusmodi, ut omnes homines lateat, vel occulta *quoad nos*, hoc est, eiusmodi, ut quosdam solum lateat. Item eventui, quem admiramur, vel vere est aliquid repugnans in re, ad quam eventus pertinet, vel apparet esse, dum vere non est [1]. Si causa eventus, quem admiramur, est simpliciter, seu *secundum* se occulta, atque in re, circa quam ipsa versatur, est contraria dispositio ad ipsum producendum, eventus est illud, *quod miraculum* vocatur, quia Deus, quippe qui *in rebus* omnibus *secretissime operatur*, est causa *occultissima*, *et remotissima a nostris sensibus*, atque Ipse tantum in rebus operari potest aliquid, ad quod res non sunt comparatae. Sin causa eventus non omnibus, sed quibusdam dumtaxat sit occulta, neque in re sit aliquid, quod ei vere repugnat, sed solum secundum *opinionem*, seu apparenter, effectus *mirabilis* vocatur [2].

378. Quo autem miracula veri nominis a mirabilibus discernantur, quemadmodum doctissimus Pontifex Benedictus XIV scite monuit, oportet non solum eventus naturales cum exploratis naturae legibus comparare, sed etiam inspicere 1° ingenium, indolemque eius, qui miraculum operatur, num sit pietate, animique demissione insignis, necne; 2° modum operandi, scilicet num omnia, quae miraculum concomitantur, redoleant religionem, gravitatem, et modestiam, nihilque superstitiosi, et ridiculi prae se ferant; 3° finem cum operis, tum operantis, hoc est, num opus ad cultum Dei promovendum, hominumque corda amore Dei inflammanda spectet, et num operans gloriam Dei unice quaerat, an propriam gloriam, et lucrum aucupetur; 4° praestantiam, durationemque effectus, quia opera Dei sunt firma, praestigiaque cito evanescunt [3].

379. Quoniam miraculi notionem, diversasque species novimus, haud difficile nobis erit quasdam falsas eius definitiones refellere. Hae

---

[1]) Res miraculo, quod in ipsa fit, uti ex dictis patescit, repugnat vel *quoad substantiam*, vel *quoad subiectum*, vel *quoad modum*. Miracula autem *contra naturam* a caeteris distinguuntur eo quod contraria in rebus, dum in ipsis fiunt, dispositio ad effectus sibi proprios producendos remanet.

[2]) « Et ideo, ita sanctus Doctor concludit, illa, quae sola virtute Divina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula; ea vero, quae natura facit, nobis tamen, vel alicui nostrum occulta, vel etiam quae Deus facit, nec aliter nata sunt fieri, nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira, vel mirabilia » (*Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 2 c.). Idem Aquinas advertit mirabile esse miraculum *quoad nos*, sed *non simpliciter*. « Nobis non est, ait, omnis virtus naturae creatae nota; ideo cum aliquid fit praeter ordinem naturae creatae nobis notae per virtutem creatam nobis ignotam, est miraculum quoad nos... *sed* non simpliciter » (I, q. CX, a. 4 ad 2; cf s. August., *De Trinit.*, lib. III, c. 7, 8, et 10). Consulendus est de hac re Gabriel Biel, *In Sent.* lib. II, Dist. VIII, q. 2.

[3]) *Op. cit.*, lib. IV, c. 4.

duplicis generis sunt. Aliae enim ab Incredulis confictae sunt, ut veram notionem miraculi perverterent, atque illa, quae a Christianis enarrantur, miracula esse meros effectus naturales evincerent; aliae vero ab Apologetis Christianis excogitatae sunt, quia ipsis difficultates Incredulorum facilius exsufflare posse sibi persuaserunt.

380. Inter definitiones primi generis maxime commemoranda est definitio Spinosae, quippe quam omnes Increduli, et Deistae probarunt. Spinosa docuit miraculum « nihil aliud significare, quam opus, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit, aut narrat [1] ». Hinc cohaerenter statuit « nomen miraculi nonnisi *respective* ad hominum opiniones posse intelligi [2] ». Omissis Hobbesio [3], aliisque multis, maxime nuperis [4], quorum definitiones in idem, ac spinosistica, redeunt, adnotamus Lockium quoque a definitione Spinosae parum, aut nihil abhorruisse, quia miraculum ab eo definitum est: «operatio in sensus incurrens, quae, cum captum spectatoris superet, eiusque iudicio cursui naturae constituto repugnet, ab eo divina existimatur [5] ».

381. Iam, quod ad Spinosam attinet, hic illud, quod est mirabile *per se*, et *absolute* cum eo confudit, quod est mirabile *respective*, hoc est, cum eo, quod, qui causam eius ignorat, admiratur. At miraculum, uti diximus, a Theologis, et Philosophis Christianis vocatur illud, quod est mirabile *per se*, et *absolute*, non vero illud, quod est mirabile *respective*. Spinosa igitur ea, quam tradidit, notione miraculi miraculum re ipsa sustulit. Definitio Lockii, cum sit spinosisticae affinis, in idem, ac ista, vitium incidit. Namque, Lockii sententia, 1° vera miracula pro falsis habenda sunt, si spectatorum opinione consueto cursui naturae non adversentur, atque e contrario ficta, et falsa miracula pro veris habenda sunt, si spectatores causas naturales illorum detegere non valeant, eaque consueto cursui naturae contraire opinentur; 2° eadem miracula simul vera, et falsa existimanda sunt, si a diversis spectatoribus diversa de illis iudicia fiant. Atqui, si haec duo admittantur, dicendum est miraculum esse aliquid mirabile *respective*, non vero, quemadmodum Theologi, et Philosophi Christiani do-

---

[1]) *Tractatus theologico-politicus*, c. VI, *De miraculis*, *Opp.* t. I, p. 237, ed. Paulus. Ubi etiam inquit: « Sicut scientiam illam, quae captum hominis superat, divinam, sic opus, cuius causa vulgo ignoratur, divinum, sive Dei opus vocare consueverunt homines » (p. 233); atque *ibid.*: «Vulgus itaque opera Dei insolita vocat miracula, sive Dei opera »; *ibid.*

[2]) *Op. cit.*, ibid..

[3]) *Leviathan*, c. 37, ed cit.

[4]) Hos recensuit Bretschneider, *Enodatio systematica notionis dogmaticae*, p. 254 sqq, ed. 3, Lipsiae 1825, et *Enchirid. dogmaticae*, 1, p. 183 sqq, Lipsiae 1828.

[5]) *Sermo de miraculis, Opp. posth.* (angl.), p. 217, Lond. 1706.

cent, mirabile *absolute*. Ergo definitio lockiana, perinde ac spinosistica, veram notionem miraculi non complectitur.

382. Multae sunt definitiones secundi generis; sed, reliquis omissis, quorum vitia facile est detegere, definitio Houtevillei [1] expendenda nobis est; haec enim gravi quidem, sed occulto vitio laborat; ex quo factum est, ut diutina, vehemensque de ipsa lis inter Philosophos existeret. Itaque Houtevilleus in ea sententia versatus est, Deum ipsa creatione mundi generales quasdam leges statuisse, et secundum ipsas ita disposuisse causas naturales, ut ex primaeva constitutione mundi non solum phaenomena ordinaria, sed etiam extraordinaria, quae miracula dicuntur, certis temporibus necessario dimanarent [2].

383. Ast haec notio miraculi, quam fere omnes Philosophi Christiani, atque Apologetae impugnarunt [3], et falsa est, et ad negationem ipsius miraculi ducit. Falsa quidem est, quia non modo non est credibile, sed omnino impossibile ex legibus generalibus mundi effectus dimanare non modo contrarios effectibus, qui ab illis constanter dimanant, sed etiam naturis rerum, ad quas illae leges pertinent, superiores. Quisnam sibi unquam persuadebit eventus, qui omnem vim naturae, eodem Houtevilleo fatente, longe superant, esse effectus, qui actionem naturae necessario consequuntur? Praeterea ad ipsam miraculi negationem ducit. Nam, si miracula sunt effectus legum generalium mundi, quae, cum sint cursui naturae contrariae, homines

---

[1]) Houteville, *La religione cristiana provata da' fatti*, trad. dal franc., lib. I, c. 6, t. II, p. 37 sqq, Napoli 1780. Cl. Auctor in altera editione, quam versio italica secuta est, sententiam suam emollivit, atque in *Epist.*, quam ei praemisit (t. I, p. 36 sqq ed. cit.), aperte declaravit se non proposuisse, quid ipse sentiret, sed eo spectasse, ut absurdam theoriam Spinosae de miraculis ex ipsis eius principiis, seu, quemadmodum aiunt, *ad hominem* confutaret.

[2]) Houtevilleo praecesserat Malebranchius, quippe qui autumavit « miracula saepe esse consecutiones quarumdam legum generalium, quae nobis latent » (*Entretiens sur la métaph.*, Entr. VIII, § 3, p. 120, et 121, ed. cit.). Ipse alibi statuit Deum neque in ordine naturae, neque in ordine gratiae posse quidquam operari, nisi secundum voluntatem generalem, hoc est, secundum quasdam leges generales, quas ipse sibi constituit, cum Eum dedeceat secundum leges particulares operari (*Traité de la nat. et de la grace*, Eclairc. I, n. 6, Amsterdam 1680). Sed Malebranchius non sibi constitit, quia alibi (*De inquir. ver.*, Illustr. ad lib. VI, c. 3, part. 2, t. II, p. 322, ed. cit.) duo miraculorum genera recensuit: unum, quod ex legibus generalibus, alterum, quod ex legibus particularibus naturae evenit, sed hoc secundum sapientiam Dei fere dedecere dixit. Alibi (*Traité de la nat. et de la grace*, disc. I, art. 59, ed. cit.) miracula non fieri secundum leges generales asseruit. Malebranchio, et Houtevilleo successit Bonnetus, qui « miracula ambitu legum naturae contineri, nihilque aliud esse, nisi modificationes earumdem legum » contendit; *Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme*, c. 5, ed. 2, Genève 1771.

[3]) Vid. prae multis De Corvelles, *Dissert. sur la nature, les charactères distinctifs, et la fin des vrais miracles*, Cabilone 1777, et Ant. Valsecchi, *De' fondamenti della Religione* etc., lib. II, c. 16, § 9, t. II, p. 241, Padova 1768.

latent, omnino dicendum est secundum Spinosam miracula non esse eventus contra, vel supra, vel praeter leges naturae; sed eventus mere naturales, quos miracula existimamus, et dicimus, quia illorum causas ignoramus. Certe, si quis e Spinosae schola ita contra Houtevillei sententiam argumentaretur, nihil ei responderi posset. Etenim 1° nemo negare potest illud, quod ex legibus generalibus dimanat, esse naturale, proindeque, si miracula ex legibus generalibus dimanant, ea esse effectus naturales; 2° inter hosce effectus, quos miracula dicimus, non aliud discrimen, Houtevillei sententia, statui posse, quam quod illorum causae sunt nobis occultae, horum autem notae [1].

ARTICVLVS QVINTVS

De miraculorum possibilitate

384. Quae de miraculi notione, diversisque speciebus hactenus disseruimus, Deum posse efficere miracula pro re certa sumunt. Ast id negant, post Spinosum, omnes Pantheistae; hi enim, cum teneant leges naturae esse necessarias, immutabilesque modos, quibus Deus, seu Absolutum se evolvit, inde cohaerenter colligunt nullum phaenomenum posse existere, quod consueto cursui naturae adversetur [2]. Consentiunt cum Pantheistis post Hobbesium [3], et Lockium [4] omnes

---

[1]) Houtevilleus contendit miraculum, etsi ex legibus generalibus naturae profluat, esse tamen opus supernaturale, propterea quod, cum leges generales, ex quibus illud profluit, sint non solum nobis ignotae, sed etiam contrariae legibus, quas inter nos observamus, haud possibile est ullum hominem posse tempus cognoscere, in quo illud evenire debet; unde, cum thaumaturgi miraculum enuntiant, effectum naturae humanae viribus superiorem efficiunt. At 1° ipse pro concesso sumit miraculum esse effectum, qui vires naturae humanae, non vero totius naturae creatae superat; 2° si ipsius sententia vera esset, thaumaturgus non efficeret opus, quod vires naturae humanae, vel totius naturae creatae superat, sed dumtaxat praevideret tempus, in quo aliquis effectus naturalis insuetus evenire deberet; quod et miraculum cum prophetia confundit, et communi omnium persuasioni de natura miraculi adversatur. Hinc vapulat quoque Seiler, qui post Ioan. Clericum (*Opp. phil.*, t. II, p. 136 sqq, Lipsiae 1710) essentiam miraculi non in suspensione alicuius legis naturae, sed in praevisione thaumaturgi ponendam esse docuit. Vid. eius opus, ***Rationabilis assensus veritati Religionis Christianae*** (germ.), Erlang. 1813.

[2]) «Cum autem, scribit Spinosa, nihil, nisi ex solo divino decreto necessario verum sit, hinc clarissime sequitur leges naturae universales mera esse decreta Dei, quae ex necessitate, et perfectione divinae naturae sequuntur. Si quid igitur in natura contingeret, quod eius universalibus legibus repugnaret, id decreto et intellectui et naturae divinae necessario etiam repugnaret; aut si quis statueret Deum aliquid contra leges naturae agere, id simul cogeretur statuere, Deum contra suam naturam agere, quo nihil absurdius»; *Tract. theol.* etc., c. cit., p. 235. Idem saepe inculcavit in toto capite, maxime, p. 233-240, ed. cit.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) *Op. cit.*, ibid.

Deistae, atque Increduli saec. XVII, et XVIII, quippe qui, ut suo loco dicemus, vel omnem Providentiam Deo denegant, vel generalem dumtaxat Ei concedunt. Et sane ab illis, qui Deum rebus mundanis vel omnino non providere, vel saltem nullam eventuum particularium curationem habere sentiunt, nulla miracula admitti possunt, quia miracula sunt effectus particulares, quos Deus in mundo aspectabili immediate producit [1]. His hodie adstipulantur Simonus [2], Saissetus [3], aliique *Spiritualistae* appellati, qui, sublata speciali Providentia Dei, miracula haud possibilia esse concludunt. Nec alia est opinio Rationalistarum; namque hi omnia miracula, quae Sacrae Litterae narrant, veluti mythos interpretantur, non aliam ob causam, quam quod notionem miraculi esse prorsus absurdam rentur [4]. Ut unum Straussium nominemus, qui cuncta commenta Rationalistarum in unum collegit, hic pro primo canone critices statuit historicas non esse, sed mythicas illas narrationes Evangeliorum, quae cum legibus experientia universim exploratis non concordant, quia facta experientiae legibus adversantia contingere haud possibile est [5]. Denique Positivistae Galliae [6], et Germaniae [7], eo quod, ut vidimus, omnes eventus mundi esse effectus necessarios evolutionis materiae primitivae volunt, contra possibilitatem miraculorum vehementer debacchantur.

---

[1]) Increduli in possibilitate miraculorum impugnanda vehementer adlaborarunt, quia miraculum illustre et firmum argumentum est veritatis Religionis Christianae, quam ipsi ex mundo exterminandam impio conatu susceperant. Longum Apologetarum indicem, qui argumento a miraculis petito ad veritatem Religionis Christianae comprobandam usi sunt, videsis, ut multos antiquiores omittamus, apud Stäudlin, *Dogmatica, et hist. dogmat.*, t. I, p. 319 sqq, Gottingae 1800, et Tschirners, *Historia apologetic.* etc. t. I, Lipsiae 1805.

[2]) *Op. cit.*, Part. II, p. 247-252, ed. cit.

[3]) *Essai de phil. relig.*, Part. II, Medit. IX, t. II, p. 201, ed. cit.

[4]) Vid. Ammon, *Opusc. theol.*, Comm. VIII, *De notione miraculi*, p. 139 sqq, Gott. 1803, et *Summa theol. Christ.*, Particula II, § 24, et 25, p. 48 51, ed. 4, Lipsiae 1830, et qui eius *Summam theol.* auxit, dilatavitque, Wegscheider, *Instit. theol. Christ. Dogmat.*, c. 2, § 49, p. 204, ed. 7, Halae 1833. Multas, diversasque methodos interpretandi miracula, quae a Rationalistis adhibitae sunt, videre licet apud Bretschneider, *Enod. system.* etc., p. 255 sqq, ed. 2, Lipsiae 1819, et Hase, *Vita Iesu* (germ)., p. 69 sqq, Lipsiae 1829.

[5]) Strauss, *Vie de Jèsus*, trad. par Littrè, art. I, § 14, t. I, p. 88, Paris 1839.

[6]) E. g., Littrè, *Prèf. à la* Vie de Jésus de Strauss, 2 ed., Paris 1853, et *Revue des deux mondes*, 15 févr. 1856, et Renan, *Les historiens critiques* etc., § 5; *Études d'hist. religieuse*, p. 200 sqq, ed. 5, Paris 1862.

[7]) Audiatur Büchner: « Optimo iure licet nobis firmitate scientiae, quoad excogitari potest, maxima asserere, nullam dari miraculum, sed quidquid fit, quidquid factum est, et quidquid fiet, fieri, factum esse, et factum iri non alio modo, quam naturali » (*Op. cit.*, p. 34). Pro eadem sententia Vogt, Feuerbach, Cotta, Giebel, aliique ab eo laudantur; vid. p. 33-43.

385. Contra hos omnes Deum efficere posse miracula hic ostendamus oportet. Quod ut luculenter praestemus, advertendum nobis est cum s. Thoma [1], miraculum, uti ex dictis patet, existere, vel cum Deus in rebus aliquid novi facit, quod natura efficere non potest, vel cum effectum impedit, qui ab actione alicuius causae naturalis consequi deberet. Puta, exempla ab eodem Doctore mutuemur, si Deus coeco visionem restituit, aliquid novi in coeco efficit, quod natura efficere non potest, quia coecus visionem, quam amisit, naturaliter rursus acquirere non potest; si autem efficit, ut ignis non comburat, impedit combustionem, quae est effectus proprius ignis.

386. Iam Deus in rebus utrumque posse efficere certo certius est. Quod ad primum attinet, quoniam Deus omnes res condidit, easque conservat, et gubernat, dubitari non potest, quin Deus possit quosdam effectus in mundo operari, quos causae naturales producere nequeunt [2]. E. g., si Deus corpus humanum organo visionis donavit, nonne potest in coeco ipsum a vitio, quo laborat, cuiusque causa visioni ineptum est, liberare, atque hoc pacto efficere, ut coecus vim videndi rursus adquirat? Si Deus omnia viventia creavit, nonne potest vitam largiri vel plantae, ut rursus floreat, fructusque edat, vel cadaveri, ut homo reviviscat? Si Deus triticum creavit, hominesque artem conficiendi panis edocuit, nonne potest quinque panes ita multiplicare, ut non modo quinque millia hominum nutriant, sed etiam multa illorum fragmenta supersint? Quod ad alterum spectat, id quoque facile expediri potest. Nam, si Deus res naturales ita inter se colligavit, ut actio unius actionem alterius quandoque impediret, quisnam sibi persuadere potest Eum non posse actione sua prohibere, quominus actiones rerum naturalium effectu suo interdum frustrentur? Enimvero nemo non experitur se non raro impedire, quin corpus deorsum cadens terram, ad quam vi gravitatis tendit, tangat, aut saepe motui corporis obicem ponere, ut corpus vel quiescat, vel alio cursum suum convertat. At, si homo haec, aliaque huiusmodi praestare potest, nemo certe negabit Deum, qui ubique est, et operatur, cuiusque virtus humanam infinite excedit, potuisse hominem e tecto praecipitem in aere suspendere, ut eum a mortis periculo liberaret, aut cursum diurnum Solis retardare, ne lux ad hostem exterminandum Iosue deficeret [3]. Illud quidem inter actiones rerum creatarum, et actiones Dei, a quibus effectus causarum naturalium impediuntur,

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 1 c., et a. 2 ad 3.

[2]) « Deus aliquid, aiente s. Bonaventura, habet de nobilitate causae universalis, quia potest in plurimos effectus, similiter aliquid de causa particulari, quia immediate, et sufficienter potest in effectum quemlibet »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV, a. 1, q. 2 *ad arg.* Cf *ibid.*, lib. II, Dist. I, p. I, a. II, q. 2 *ad arg.*

[3]) Apposite s. Thomas: « Quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem potest perducere in altiorem effectum »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 1 ad 18.

interest, quod illae ordine naturali continentur, hae autem vel *quoad substantiam*, vel *quoad modum* vires naturae praetergrediuntur, prout effectus causae naturalis vel a nulla re creata absolute impediri potest, vel impediri absolute potest, sed non in iis adiunctis, in quibus a Deo miraculum efficitur.

387. Huic argumento ab ipsa natura operationum miraculosarum petito aliud adiicere nobis licet, quo potentia patrandi miracula in Deo luculenter adstruitur. Et sane Deus, ut in *Theod.* ostendemus, non ex necessitate, sed ex liberrima voluntate ordinem, qui in mundo conspicitur, constituit. Iam, si ordo mundi non ex necessitate sui, sed ex liberrima Dei voluntate existit, nihil prohibet, quin Deus aliquid praeter ordinem naturae operari, seu, quod idem valet, miracula patrare possit [1].

388. Ut res clarior fiat, iuvat argumenta expendere, quae post Spinosam [2] recentes Increduli congesserunt, et hodierni Rationalistae adhuc inculcant.

1° Obii. Leges naturae generales sunt mera decreta Dei; atqui haud possibile est aliquid fieri, quod decretis Dei adversatur; ergo nihil contra leges generales fieri potest.

389. Resp. *Dist. mai.*: si considerentur relatae ad Deum, qui auctor illarum est, *conc. mai.*; sin relatae ad ipsas res, quae illis legibus continentur, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Leges naturae, si relatae ad Deum considerentur, procul dubio mera decreta Dei sunt, quia Deus mundum illis regi decrevit; sin ad ipsas res, quae illis reguntur, non sunt proprie decreta Dei, sed potius effectus decretorum Dei, quia mundus illis legibus regitur, ex eo quod Deus ipsum illis regi decrevit. Hinc, si leges naturae considerentur, prout in Deo sunt, hoc est, prout sunt decreta Dei, nihil certe fieri potest, quod illis adversatur, quia leges mundi hoc modo consideratae sunt ipsa essentia Dei; at vero, si considerentur, prout sunt in ipsis rebus, hoc est, prout sunt effectus decretorum Dei, non repugnat aliquid fieri, quod ipsis adversatur, quia Deus eadem voluntate, qua leges in mundo esse decrevit, quidquam praeter illas agere potest [3].

390. Inst. Atqui, etiamsi dicatur leges mundi generales, prout ad res referuntur, esse effectus decretorum Dei, non vero ipsa decreta, haud inde fluit posse aliquid contra ipsas fieri. Ergo etc.

---

[1]) Cf s. Thom., I, q. CV, a. 6 c.; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 99; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VI, a. 1 c.

[2]) *Tract. theol. polit.*, c. cit.

[3]) « Hanc, s. Augustinus ait, etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum, solitumque naturae, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. Contra illam vero summam naturae legem, a notitia remotam, sive impiorum, sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra se ipsum non facit »; *Contr. Faust.*, lib. XXVI, c. 3.

391. Resp. *Neg. min. subs. Prob. min. subs.* Effectus decretorum sunt necessarii, quippe quod cuncta decreta Dei sunt necessaria; atqui contra ea, quae necessario eveniunt, nihil fieri potest; ergo contra leges ex illa etiam parte consideratas, quatenus effectus decretorum Dei sunt, nihil fieri potest.

392. Resp. *Neg. mai. Prob. mai.* Quoniam in Deo voluntas ab intellectu non distinguitur, consequens est Deum, quemadmodum res, uti sunt, intelligit, ita ipsas, uti sunt, velle, sive, quemadmodum obiectum intellectus est necessarium, ita necessarium quoque esse obiectum voluntatis. Atqui, si Deus vult res, uti sunt, decreta, quibus leges illarum statuit, sunt necessaria, proindeque necessariae leges, quae illorum effectus sunt. Ergo etc.

393. Resp. *Neg. mai., et paritatem.* Haec obiectio fundamentum secundae argumentationis impugnat. Nos enim ex eo, quod Deus hunc ordinem rerum libere constituit, facile deduximus Eum posse interdum aliquid praeter ipsum operari. Contra ea, Spinosa, ut Deum non posse quidquam agere praeter ordinem mundi evinceret, statuit Eum non libere, sed necessario hunc ordinem mundi constituisse. Sed argumentum, quo ad id probandum usus est, s. Thomas iam sibi proposuerat [1], et luculenter confutaverat. Sanctus Doctor advertit intelligere, et velle non distingui inter se, si considerentur in Deo, quippe quod, prout in Deo sunt, unum, idemque sunt cum Essentia Divina; sed, si relata ad res considerentur, unum ab altero distingui. Etenim, quoniam cognitio, ut vidimus [2], in ipso subiecto cognoscente perficitur, perspicuum est res a Deo sciri, prout ipsae in Eo sunt; atqui quidquid in Deo est, ab Eius essentia realiter non distinguitur; ergo res, prout a Deo sciuntur, ab Essentia Dei non discriminantur. Unde *divinum scire* idem est, ac *divinum esse*. E contrario, cum voluntas ad res referatur, prout hae in se ipsis sunt, patet Deum velle res, non prout hae in Eo sunt, sed prout sunt in se ipsis. Atqui res, prout in se ipsis sunt, a Deo realiter distinguuntur. Ergo res spectatae, prout in se sunt, realiter distinguuntur ab Essentia Dei. Quare *divinum velle* ad res relatum idem non est, ac *divinum esse*. Ex quo fa-

---

[1]) Vid. I, q. XIX, a. 3. Ibi, cum sexto loco hanc obiectionem proposuisset: « Quidquid Deus scit, ex necessitate scit. Sed, sicut Scientia Divina est Eius Essentia, ita Voluntas Divina. Ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult », ipsam ita solvit: « Dicendum, quod sicut Divinum Esse in se est necessarium, ita et Divinum velle, et Divinum scire. Sed Divinum scire habet necessariam habitudinem ad scita, non autem divinum velle ad volita; quod ideo est, quia scientia habetur de rebus, secundum quod sunt in sciente; voluntas autem comparatur ad res, secundum quod sunt in seipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse, secundum quod sunt in Deo, non autem secundum quod sunt in seipsis habent necessitatem absolutam, ita quod sint per seipsa necessaria; propter hoc Deus quaecumque scit, ex necessitate scit; non autem quaecumque vult, ex necessitate vult ».

[2]) Vol. I, *Dynamil.*, c. II, et III passim.

cile conficitur Deum non velle res, quae extra se sunt, eadem necessitate, qua illas scit; quia quidquid est unum cum essentia Dei, est absolute necessarium, sed quidquid existit extra Deum, non est absolute necessarium.

394. Obii. 2° Si miracula fierent, leges naturae essent mutabiles. Atqui leges naturae esse mutabiles repugnat tum ex parte Dei, quia repugnat voluntatem Dei, qui illas constituit, esse mutabilem; tum ex parte ipsius naturae, quia, cum naturae rerum sint fixae, et determinatae, determinatae etiam, proindeque immutabiles esse debent leges, quibus ipsae gubernantur. Ergo miracula fieri haud possibile est.

395. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Et sane neque ex parte Dei, neque ex parte ipsius naturae quidquam prohibet, quin leges particulares aliquando mutentur. Non quidem ex parte Dei. Etenim Deus, cum leges naturae liberrime statuisset, illas eadem voluntate, qua constituit, quoties ordo Providentiae id expostulat [1], mutare, aut suspendere potest. Neque idcirco mutari Deus dicendus est. Nam « Deus, ait s. Thomas, ab aeterno praevidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo constituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus esset [2] ». Neque ex parte ipsius naturae. Nam quoniam omnes res a Deo creatae sunt, ab Eoque conservantur, et reguntur, non repugnat, immo consentaneum eis est nutui Dei obedire [3]. Atqui, cum leges mundi ob immediatam, sensibilemque actionem Dei mutantur, res creatae nutui Dei ipsas creantis, conservantis, gubernantisque obediunt. Ergo ex parte naturae non repugnat leges eius aliquando mutari. Nisi quod, cum leges naturae per miracula mutari dicuntur, putandum non est miraculo laedi ullam legem generalem naturae, sed

---

[1]) « Cursum naturae servari est conveniens secundum quod est a Divina Providentia ordinatus. Unde, si ordo Divinae Providentiae habet, quod aliquid secus agatur, non est inconveniens »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 1 ad 14.

[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, loc. cit. ad 6.

[3]) « Dicendum, inquit s. Bonaventura, quod competit naturae uniuscuiusque rei obedire Creatori, et illud est conveniens suae naturae, quod Creator iusserit, quod si prius non sit conveniens, postea fit conveniens » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XII, p. I, a. 1, q. 2 *ad arg.*). Quandoquidem autem omnes creaturas nutui Creatoris obedire oportere est lex suprema, et necessaria mundi, idcirco idem Seraphicus Doctor advertit nihil unquam posse fieri contra ordinem universalem mundi, sed nihil vetare, quominus aliquid contra ordinem specialem mundi fiat. « Dicendum, scribit, quod est ordo naturae specialis, et generalis. Ordo naturae specialis transmutari potest, et destrui, quia potest in alteram differentiam res relabi, sed generalis non. Sic dicendum quod specialis ordo attenditur secundum potentiam naturae specialis; generalis ordo secundum potentiam obedientiae, quae est generalis: contra hunc ordinem non facit, sed contra alium »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLII, a. 1, q. 3 *ad arg.* Cf *In lib. IV*, Dist. XII, p. I, a. 1, q. 2 *ad arg.*, et eumdem s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 1 ad 1.

dumtaxat suspendi eius effectum relate ad aliquam rem particularem. « Quando Deus, s. Thomas ait, agit contra cursum naturae, non tollitur totus ordo Universi, sed cursus, qui est ex ordine unius rei particularis ad aliam [1] ». Re sane vera Deus, ut diximus, miracula patrat vel quod effectum alicuius causae impedit, vel quod in natura aliquem effectum sensibilem per se, et immediate producit. Iam Deus, cum alterutrum praestat, certe causis naturalibus vim producendi effectus suos non adimit, nec leges, secundum quas suos effectus producunt, destruit. Ita, quod ad primum attinet, si Deus efficit actione sua, ut corpus, quod, ob legem gravitatis, deorsum tendit, in aere suspendatur, certe legem gravitatis non destruit, quia corpus secundum legem gravitatis, si a vi maiori impediatur, ad centrum non pervenit. Qua in re miraculum in eo conspicitur, quod impedimentum descensui gravis a nulla causa creata, sed a Deo immediata actione ponitur. Quod vero ad alterum spectat, cum Deus mortuum ad vitam revocat, destruitne legem naturalem, qua vivens a vivente generatur? non quidem, sed tantum animam cum corpore, a quo seiuncta erat, rursus coniungens, corpori mortuo principium vitae largitur. Unde, cum Deus mortuum exsuscitat, nec legem ad generationem viventium statutam destruit, nec vivens producit sine principiis, ex quibus vita constituitur. Quae cum ita sint, s. Thomas post s. Augustinum miracula contra naturam haud fieri sapienter asseruit, atque inculcavit [2]. E multis eius argumentis hoc seligimus, quod est breve, atque ex se luculentum: « Omnes creaturae comparantur ad Deum, sicut artificiata ad artificem; . . . unde tota natura est sicut quoddam artificiatum Divinae artis. Non est autem contra rationem artificii, si artifex aliquid aliter operetur in suo artificio, etiam postquam ei primam formam dedit. Neque ergo est contra naturam, si Deus in rebus naturalibus aliter operetur aliquid, quam consuetus cursus naturae habet [3] ».

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 1 ad 21.

[2]) Deus, inquit Afer Doctor, creator, et conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit; quia id est naturale cuique rei quod facit, a quo est omnis modus, numerus, et ordo naturae (cf *De nat. boni contr. Manich.*, c. 3.). Cui addi potest hic alius locus: « Quomodo est contra naturam, quod fit Dei voluntate, cum voluntas tanti Conditoris conditae rei cuiusque natura sit »? (*De Civ. Dei*, lib. XXI, c. 8). Nihilominus ipse sanctus Doctor docuit miracula, etsi re ipsa non sint contra naturam, tamen quodammodo dici posse contra naturam, quia sunt iis contraria, quae in rerum natura inveniri quotidie experimur: « Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura »; *Contr. Faust.*, lib. XXVI, c. 3. Cf p. 411, not. 3.

[3]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 100, 1. 5. Hinc, si in miraculorum divisione miracula, quae contra naturam fiunt, secundum Apologetas Christianae Religionis, numeravimus, id de naturis particularibus intelligendum est.

CAPVT SEPTIMVM

De origine mundi

Quoniam naturam mundi exploravimus, necesse est, ut de eius *origine* disseramus, et nonnullas quaestiones, quae de ipsa institui solent, breviter diiudicemus.

ARTICVLVS PRIMVS

Opiniones Philosophorum de origine mundi recensentur

396. Ab historia huius tractationis, prout mos nobis est, ordimur. Veterum sententiae ad quatuor praecipuas revocantur. Prima eorum est, qui pugnabant mundum non esse aeternum, sed aeternum esse materiam, ex qua mundus effectus fuit. Hanc inter Philosophos graecos amplexi sunt in primis Thales, Anaximenes, Anaximander, caeterique Hylozoitae; deinde Leucippus, Democritus, Epicurus, aliique defensores atomorum; denique Plato. Ast hi omnes ipsam diversis modis exposuerunt. Namque Hylozoitae dixerunt materiam aeternam pollere quadam ingenita vi vitali, per quam omnis varietas rerum mundanarum effecta est [1]. Atomici autem senserunt particulas materiae semper extitisse, et deinceps mundum ab illarum fortuita concursione effectum esse, cum atomi corpulentiores infima, et leviusculae suprema loca petiissent [2]. At Plato a rudi hac, manifesteque absurda theoria abhorrens saepe docuit Deum non produxisse materiam neque *indeterminatam*, seu omnis formae expertem, neque *chaoticam*, seu aliqua rudi forma praeditam, sed dumtaxat ordinem in materia chaotica statuisse, eo quod corpora elementaria primo ab se discrevit, dein ita ea secum composuit, ut harmonia mundi inde efficeretur [3].

---

[1]) Cic., *De fin.* lib. I, c. 6, et *De Nat. Deorum*, lib. I, c. 24, ed. cit.; Lucr. *De creat. nat.*, lib. I, vv. 300 sqq; Lact., *De ira div.*, c. 9, ed. Lenglet-Dufrenoy; Cf Meiners, *Hist. de vero Deo*, p. 520 sqq, Lemgo 1780.

[2]) Vid. p. 208.

[3]) *Tim.*, ed. Bekker, part. 3, vol. II, p. 65 sq, p. 53, ed. H. S.; cf *Politic.*, ed. Bekk., part. 2, vol. II, p. 280 sqq, ed. H. S., p. 273. De hac doctrina Platonis dignus est, qui legatur H. Martin, *Le Timée* etc., not. LXIV, t. II, p. 179 sqq, ed. cit. Plato placita Anaxagorae excoluit. Is enim docuit quidquid existit semper extitisse, sed non quidem ita, ut modo sunt. Namque minimae illae particulae, ex quibus tota universitas rerum conflatur, immotae erant, atque adeo inter se permixtae, ut illarum qualitates discerni non possent, usque dum *Mens*, sive *Intellectus* illas motu donaverit, ab se discreverit, certoque ordine coagmentaverit. Vid. Schaubac, *Ana-*

397. Secunda sententia est eorum, qui mundum semper extitisse in eo statu, in quo modo est, ideoque esse aeternum senserunt. Missis Alcmaeone Crotoniate [1], Philolao [2], aliisque antiquioribus, huius sententiae praecipuus auctor fuit Aristoteles, quippe qui docuit Deum nec materiae, ex qua mundus constat, nec ordinis, qui inter res materiales est, auctorem esse, sed in centro mundi ita consistere, ut, dum omnia ab eo moventur, atque ad eum tendunt, ipse sit omnium ignarus [3].

398. Tertia est ss. Patrum, quam Doctores mediae aetatis secuti sunt. Hi, Divina Revelatione freti, tuentur mundum non semper extitisse, sed a Deo *ex nihilo*, hoc est, non ex aliquo, quod ante existebat, cum Ei collibuit, factum esse. Quare statuebant 1° mundum non esse aeternum, sed a Deo factum esse in tempore; 2° tempus non posse dici aeternum ex eo quod assignari non potest ullum determinatum tempus, in quo mundus fuit factus, quia tempus cum productione rerum fluere coepit [4].

399. Quarta a Neoplatonicis conficta fuit, ut doctrinam platonicam de origine mundi cum aristotelica, et christiana componerent. Enimvero Neoplatonici docuerunt secundum Aristotelem mundum esse aeternum [5], et secundum Patres fuisse a Deo creatum, sive, ut haec

---

xagorae Clazomenii Fragmenta, pars II, Lipsiae 1827, et Zevort, *Dissert. sur la vie, et la doctrine d'Anaxagore*, part. 3, § 3, p. 177, Paris 1843.

1) Laert., lib. VIII, segm. 83.

2) *Eclog. physic.*, p. 44, ed. Canter, Aureliae Allobrogum 1609.

3) *Nat. ausc.*, lib. VIII, c. 1, et passim; *De Coelo*, lib. I, c. 10-12; *De Gen.*, lib. II, c. 11; *Met.*, lib. XI, c. 7, § 1 sqq, ed. Didot (cf Pererium, *De communibus omnium rerum naturalium principiis, et affectionibus*, lib. XV, c. 2, p. 465, et 466, Romae 1576, et e nuperis Jul. Simon *De Deo Aristotelis*, Paris 1839). Opinatio de mundi aeternitate, licet e diversis principiis eruta, placuerat Parmenidi (Laert., lib. VIII, segm. 83), et Melisso (Stob., *Eclog. Phys.*, p. 44, ed. Canter), qui, quidquid est, esse unum, idque aeternum, et immutabile autumarunt, et mox arrisit Stoicis, qui, ut saepe innuimus, et fusius alias dicemus, Deum materiam, velut animam corpus, pervadere, seu Deum esse principium formale mundi voluerunt.

4) Cf Clem. Alex., lib. V, c. 14; s. Dionys. Alex., *Advers. Sabell.*, Fragm. III, apud Galland., t. III, p. 449; s. Maxim., *De Materia*, apud Euseb., *Praep. Evang.*, lib. VII, c. 22, p. 337 sqq, ed. Vigerus, Parisiis 1628; s. Basil., *Hexaëm.*, Homil. I, n. 1 et 2; Claud. Mamert., *De statu animae*, lib. II, c. 3, cum nott. Gasp. Barth, Cygneae 1655; s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 15.

5) Xenocrates, Crantor, Eudorus, aliique Platonis discipuli, cum obiectiones Aristotelis adversus theoriam Platonis diluere non valerent, Platonem mundi aeternitatem asseruisse pugnarunt (cf Plut., *De nativit. anim.*, c. 3, et 4). Hos Neoplatonici, duce praesertim Porphyrio (vid. Suidas, v. *Porphyr.*), secuti sunt. At contraria sententia Panetio (apud Cic., *Qq. Tuscul.*, lib. I, c. 23), Ciceroni (*ibid.* c. 28), Plutarcho (*De nativ. anim.*, c. 3-10), Attico (apud Euseb., *Praep. Evang.*, lib. XV, c. 6, p. 801, ed. cit.), Laertio (lib. III, segm. 41), Alexandro Aphrod. (*In Met. Schol.*, ed. Brandis p. 624), aliisque permultis probata est.

duo unica enunciatione complectamur, mundum ab aeternitate esse a Deo creatum [1].

400. Ad recentium opiniones progrediamur. Quandoquidem Religio Christiana, ut vidimus, docet et Deum esse auctorem mundi, et mundum ab Eo esse creatum in tempore, ideo omnes recentes Philosophi, qui veritatem Religionis Christianae professi sunt, mundum a Deo in tempore creatum fuisse pro virili parte pugnarunt. Ast in huius theoriae christianae ratione reddenda non omnino concordarunt. Cartesius, doctrinam christianam de creatione mundi cum doctrina atomorum, quam ab Epicuro hauserat, componere volens, docuit mundum quidem ex concursione atomorum fuisse conflatum, sed Deum esse non modo materiae, sed etiam legum, et communicationis motus auctorem [2].

401. Haec sententia recentibus valde communis est. At, quoniam nonnulli, ut veritatem Religionis Christianae exploderent, varia systemata philosophiae graecae instaurarunt, sententias circa cosmogoniam tuiti sunt, quae a graecanicis iam enumeratis parum, aut nihil abhorrent. Illi, qui atheismum vel manifeste defenderunt, vel occulte insinuare adnisi sunt, mundum, vel qualis nunc est, semper extitisse, vel ex vi ipsi materiae insita evolutum, sensimque efformatum fuisse autumarunt [3]. Prima harum opinionum defensa fuit a multis Incredulis saec. proxime elapsi, quorum antesignanus extitit Auctor *Syste-*

---

[1]) Nisi quod creatio ab eis ita explicatur, ut emanationi similis sit; quocirca inter pantheistas vulgo recensentur. Platonem dogma creationis in *Timaeo* asseruisse inter recentes opinati sunt Ficinus (*Argum.* in Tim., Florentiae 1483), Liv. Galantes (*Comparatio theol. plat. et christ.*, lib. IX, p. 237, Bononiae 1627), Huetius (*Quaestiones alnetanae*, lib. II, c. 5, p. 81, Venetiis 1791), Cudwort, *Systema intell.*, ed. cit., c. V, sect. 2, § 14, t. I, p. 827-829, ed. cit.), Dutens (*Origine des découvertes* etc., Part. 4, c. 4, t. II, p. 303 sqq, Paris 1776), Dacier (*Vie de Platon*, in *Biblioth. des anciens phil.*, Paris 1771), Leclerc (*Pensées de Platon*, p. 472, Paris 1824), et ne cunctos recitemus, Stallbaum (*Prolog. ad Tim.*, c. 5, p. 43, Lipsiae 1839). Verum hanc non esse germanam interpretationem cosmogoniae platonicae valde probabile est. Cf, si lubet, Moshemium (*De creatione ex nihilo*, § 15-17 ad *System. intellect. Cudworti*, loc. cit., p. 973 sqq), aliisque multis omissis, nuperum Henricum Martin., *Étud. sur le Tim.* etc., *Argum.*, § 7, t. I, p. 27, et not. LXIV, t. II, p. 179 sqq.

[2]) *Des principes de la phil.*, 3 part. passim, et *Traitè du monde*, § 8-10, etc. Vid. Bouillier, *Op. cit.*, c. 9, t. I, p. 178 sqq. Quoniam haec theoria cartesiana atomorum ad creationem oppugnandam facile trahi potest, et reipsa, ut mox dicemus, tracta fuit, permulti, cartesiana doctrina atomorum repudiata, diversos alios modos excogitarunt, quibus mundus ex materia effici potuit, ut creationem mundi contra incredulorum conatus lucidius, firmiusque constabilirent. Sed hosce recensere nec ad hanc rem proprie spectat, nec instituti nostri ratio sinit.

[3]) Vid. Malletum, Lamarckium, aliosque, quos passim citavimus.

matis naturae[1]. Altera valde probatur Büchnero[2], aliisque Materialistis[3] Germaniae, quos Büchnerus secutus est. Ipsi enim, cum teneant nullam aliam vim existere, quam quae materiae inhaeret, eamque nonnisi in materia existere posse, inde colligunt notionem creationis, quae a Philosophis Catholicis propugnatur, esse prorsus absurdam, quia creatio vim extra mundum positam, ab omnique materia seiunctam expostulat. Sed his celebriores sunt hac in re Pantheistae, nempe Philosophi, qui mundum esse emanationem, seu evolutionem Dei volunt. Nam, quandoquidem hi tuentur corpora, et spiritus non esse aliud, nisi vel modos infinitae extensionis, et cognitionis Dei, vel duas diversas formas, sub quibus Identitas Absoluta se manifestat, vel duo momenta evolutionis Ideae-Entis, sive Dei, mundus, eorum sententia, non est aliud, nisi Deus, proindeque aeternus, qualis Deus est.

402. Inter duas hasce sententias, quarum una statuit mundum extitisse in tempore, et non vi sua, sed e nihilo a Deo factum, altera vero mundum non fuisse a Deo ex nihilo factum, sed ipsum vel semper extitisse, qualis nunc est, vel ex materia aeterna sensim efformatum, tertia medium locum obtinet, quae statuit mundum a Deo quidem creatum fuisse, sed ab aeternitate, ita ut, perinde ac Deus, aeternus sit. Hanc inter antiquos Origenes[4] propugnavit, illa inductus ratione, quod id omnipotentia, et dominatio divina expostulant. Idem sensisse quoque putandum est omnes illos, qui Deum esse causam necessariam mundi docuerunt; namque, quoniam Deus est aeternus, liquet Eum, si esset causa necessaria mundi, mundum ab aeterno creare debuisse. Enimvero utrumque, scilicet Deum et esse causam necessariam mundi, et mundum ab aeterno creasse, post aliquos a s. Basilio commemoratos[5], atque in media aetate Eckartum[6], inter recentes Robinetus saepe, et vehementer tuitus est. Is enim sensit «Deum non potuisse a creando mundo abstinere[7], nec creationem

---

[1]) *Système de la nature*, Lond. 1770. Impius hic liber tribuitur Paulo Thiry, Baroni d'Holbach (cf vol. I, *Epitome* etc., p. 24, not. 4). Plerique horum impiorum theoriam cartesianam atomorum excoluere, ex quibus lubet unum Helvetium nominare. Hic (*L'Esprit*, Disc. III, c. 9, ed. cit.) effutivit materiam esse aeternam, eique ab aeterno a Deo vim impressam fuisse, ex qua elementa mota, cum per infinitum inane vagata essent, tandem in diversas combinationes temere coaluerunt, atque in hunc, quem videmus, ordinem reducta sunt.

[2]) *Op. cit.*, p. 1 sqq, ed. cit.

[3]) Cf eumdem Büchnerum, passim.

[4]) *De princip.*, lib. I, c. II, n. 10.

[5]) Hi autumabant « causam quidem ipsius (*mundi*) Deum esse . . . sed causam non voluntariam, perinde atque corpus umbrae »; s. Basil., *In Hexaëm.* Homil. I, n. 7.

[6]) Hic creaturam cum Creatore coexistere effutivit. Vid. inter articulos damnatos artt. I-III, apud Raynaldum, an. 1321, n. 7.

[7]) *Op. cit.*, Part. VI, c. 32; cf ibid., c. 28, 42, et 47, t. III, ed. cit.

retardare, aut mundum aliter, quam praestitit, condere », quippe quod « Deus non est causa voluntaria, et libera », sed « est causa essentialiter creatrix, et mundus effectus natura Dei[1] ». In eamdem sententiam, ne de aliis multis dicamus, cencesserunt Voltaireus, qui mundum, utpote aeterni Artificis opus, aeternum esse debere contendit [2], Auctor *Epistolarum Persicarum*, qui cum rationem non inveniret, ex qua Deum mundum in tempore creasse sibi persuaderet, creationem mundi ab aeterno factam fuisse decrevit, et nuper Cousinus, qui, uti ante innuimus, creationem mundi esse necessariam, ac proinde aeternam voluit, quia Deus, cum sit simul substantia, et causa, non potuit esse unquam substantia, quin esset causa [3].

403. Sed nos ad se hodie trahit Em. Saissetus, qui hac de re ex industria tractavit. Is mordicus contendit mundum a Deo quidem creatum fuisse, sed nullis temporis, et spatii limitibus coercitum, ita ut infinita sit eius duratio, infinitaque extensio [4]. A difficultatibus Henr. Martinii [5], aliorumque pressus respondit se infinitam durationem, atque infinitam extensionem mundi cum aeternitate, atque immensitate Dei haud confundere, quia duratio, et extensio mundi nullis limitibus coarctatae habent infinitatem relativam, non vero, uti aeternitas, et immensitas, absolutam [6].

---

[1]) Vide eius diatriben, *Il faut prendre un parti*, § 5; *Oeuvr.* t. XXXII, p. 163, Basil. 1786. Ceterum idem Voltaire alibi (*Traitè de mét.*, c. 2, Rèp. à la 2ᵉ ob., *Oeuvr.*, t. cit.) eis respondens, qui se intelligere non posse docebant, cur Deus mundum in uno potius, quam alio tempore, creaverit, asseruit, atque inculcavit « liberam Dei voluntatem esse rationem sufficientem temporis, in quo Deus mundum creare voluit ».

[2]) *Lettres persannes*, Paris 1721. Auctor huius libelli fuit Carol. de Sodolat, Baro de la Brede, et de Montesquieu, qui in eo inducit quemdam Persam nomine Usbek epistolas scribentem, quae multis contra Religionem absurdis scatent.

[3]) *Fragm. phil.* Avertiss. à la 3ᵉ édit., *Oeuvr.* t. I, p. 18, Bruxelles 1840.

[4]) *Essai de philosophie religieuse*, Meditation 5ᵉ, t. II, p. 113 sqq, ed. 3ᵉ, Paris 1862.

[5]) Martin, *Examen d'un problème de la Thèodicèe*, Paris 1859.

[6]) *Op. cit.*, Eclaircissement 3ᵉ, p. 369. Emm. Kantium praetermisimus, quippe qui, prout ratio sui instituti ferebat, nihil de origine mundi definiri posse docuit. Enimvero ipse in sua *De antinomiis rationis purae* theoria primo argumenta exposuit, quibus *thesis* de infinita duratione mundi fulcitur, deinde argumenta, quibus *antithesis* de non infinita duratione mundi propugnatur, atque ab utrisque confecit non posse ope ratiocinationis decerni, utrum mundus sit aeternus, necne (*Critique de la raison pure*, c. 2, *Dialectique transc.*, § 207, et 208, t. II, p. 134 sqq, ed. cit.). Hanc antinomiam, sive oppositionem inter thesim, atque antithesim non aliter solvi posse advertit, quam si mente reputetur mundum non esse *noumenum*, seu quidquam reale in se, sed esse *phaenomenum*, vel potius quamdam phaenomenorum collectionem. Et sane, si mundus non est aliud, quam collectio phaenomenorum, ipse non est infinitus, quia nos sumus finiti, nec est finitus, quia in nobis sensationum aliae aliis in infinitum sibi succedunt; *ibid.*, § 220, t. II, p. 204 sqq.

ARTICVLVS SECVNDVS

Vera sententia circa mundi originem propugnatur

404. Diversis de hac gravissima quaestione Philosophorum placitis enarratis, theoriam creationis, quam Fides Catholica nos edocet [1], et Scholastici secundum ss. Patres explicuere, esse unice rationi consentaneam demonstremus oportet.

405. Ad hoc evincendum demonstrationem *indirectam* primo loco proferemus, quia ipsa magnam habet perspicuitatem. Quae quidem concinnari potest hunc in modum: Ut origo mundi explicetur, non plures quatuor hypothesibus fingi possunt. Nam vel mundus semper extitit, qualis nunc est, seu est aeternus tum ratione materiae, tum ratione formae; vel materia est aeterna, et Deus formam ei in tempore largitus est; vel mundus omnino est emanatio, aut evolutio substantiae, seu entis-divini, ita ut ab ipso Deo non distinguatur; vel denique a Deo e nihilo eductus, seu creatus fuit, ab eoque ordinem, quem prae se fert, accepit. Enimvero omnes opiniones, ut ex brevi illarum historia, quam expressimus, patet, ad hasce quatuor facile revocantur. Atqui ex his quatuor tres priores sunt absurdae. Ergo, secundum legem syllogismi disiuncti, restat, ut quarta, quae creationem mundi adstruit, sit vera. Assumptio probatione eget. In hac, relicta tertia hypothesi, de qua in *Theodicea* disseremus, primae, et secundae ratio dumtaxat habenda nobis est.

406. Atque in primis utraque hypothesis ex eo absurdam se prodit, quod materiam vel omnis formae expertem, vel sua forma praeditam, qualis est mundus, esse ingenitam, sive infectam omnino repugnat. Plura ad hoc probandum argumenta ab antiquis Patribus contra platonicos, et aristotelicos pugnantibus nobis suppetunt. Primo, si materia esset infecta, ipsa procul dubio existeret ex necessitate suae naturae, ideoque immutabilis, atque ab omni successione immunis foret. Enimvero, quidquid non est ab alio, nempe non est factum, id ex se ipso esse debet, quippe quod inter *esse ex se ipso*, et *esse ab alio*, uti per se patet, nihil est medii [2]; id vero, quod ex se ipso est, existit necessitate naturae suae, ut quod necessitate naturae suae existit, mutationi, et successioni obnoxium esse nequit, alioquin esset necessa-

---

[1] «Si quis, ita a Concilio Vaticano definitum fuit, non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales, et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas . . . , anathema sit»; Sess. III, *Constit. dogm. De Fide Cathol.*, Can. 1, n. 5.

[2] Vide S. Aug., *De Trinit.*, lib. I, c. 6, n. 9, et s. Anselm., *Monol.*, c. 6. Quosdam haereticos, qui medium inter haec extrema obtrudebant, s. Cyrillus Alex. (*De Trinit.*, Dial. VII), aliique Patres confutarunt.

rium, et non necessarium, nempe necessarium, et contingens. Atqui repugnat, docentibus ipsis philosophis, atque haereticis, quos hic refellimus, materiam esse necessariam, immutabilem, atque ab omni successione immunem, sive stricto sensu aeternam. Ergo repugnat materiam, quocumque modo ipsa concipiatur, esse infectam, seu ingenitam [1].

407. Secunda autem hypotheis aliis, iisque validissimis argumentis oppugnare in promptu est. Primo enim, si materia informis non esset a Deo facta, procul dubio Deus non potuisset aliquid in ipsam agere, proinde ipsam illa forma exornare, quam modo habet. Nam Deus non poterat materiae ingenitae largiri formam, quam habet, nisi ipsa ab Eo penderet, Eique subiiceretur. Atqui materiam, quae est ingenita, atque infecta, ab aliqua causa anteriori pendere, ullique causae exteriori subiici repugnat. Ergo, si materia informis esse infecta, atque ingenita dicatur, Deum ex ipsa mundum, quem modo conspicimus, effecisse dici nequit [2].

---

[1]) Ex quo vides antiquos Patres philosophis, haereticisque aeternitatis materiae defensoribus iure, meritoque obiecisse, quod ipsi materiam Deo aequalem facerent, proindeque duos Deos comminiscerentur ; siquidem esse ex se ipso, seu necessitate suae naturae immutabile, et stricto sensu aeternum est proprium solius naturae summae, et perfectae, scilicet Dei. Audiatur s. Theophilus: « Quemadmodum Deus, quatenus ingenitus, etiam immutabilis est, ita et materia, si esset ingenita, immutabilis quoque, et Deo aequalis foret ; quod enim genitum est, verti, et mutari potest, ingenitum autem nec verti potest, nec mutari (*Ad Autolychum*, lib. II, c. 4, ad calc. *Opp.* s. Iustini, ed. Bened., p. 350, Parisiis 1742). Ut Athenagoram (*Leg. pro Christ.*, c. 21, ad calc. *Opp.* s. Iustini, ed. cit.), s. Methodium (*Excerpta ex Libro de creatis*, c. V, apud Galland. *Bibl. PP.*, t. III, p. 801, Venetiis 1767, et *Liber de libero arbitrio*, ibid., p. 765), s. Ambrosium (*Hexaëm.*, lib. I, c. 3, n. 11, ed. Maur.), aliosque plures omittamus, Tertullianus Hermogeni obiecit aeternitatem esse ita propriam Dei, ut, si materia esse aeterna dicatur, alter Deus ipsa dicenda sit. « Quis enim, ait, alius Dei census, quam aeternitas? quis alius aeternitatis status, quam semper fuisse, et futurum esse ex praerogativa nullius initii, et nullius finis? . . . Ita Hermogenes duos Deos infert. Materiam parem Deo infert . . . , adaequabitur autem Deo materia, cum aeterna consetur » (*Op. cit.*, c. 4, t. II, col. 201, ed. cit.). Hinc vides auctorem *System. nat.* (*Op. cit.*, part. 2, c. 2, p. 27, ed. cit.) impudenter mentitum esse, quod Tertulliano tribuit sententiam de aeternitate mundi, cum hic ipsam adversus Hermogenem ex industria impugnasset. Ipsemet Ritter, qui in exponendis hac de re veterum Apologetarum sententiis saepe falsus est, Tertullianum creationem materiae agnovisse non negavit. Vid. *Histoire de la philosophie chrètienne*, trad. par Trullard, lib. III, c. 3, t. I, p. 350 sq, Paris 1843.

[2]) Hocce argumentum a s. Iustino mutuati sumus, quippe qui ait: « Nam materiae vim utpote ingenitam, et ut ipse opinatur Plato, aequalem opifici et coaevam, obluctari par est ipsius voluntati. Ei enim, qui non creavit, nulla est in id, quod est increatum, potestas; unde nec vis ulla ei inferri potest, cum ab omni externa necessitate libera sit » (*Ad Gentes cohortatio*, c. 23, p, 24, ed. cit.). Tertullianus, eadem, ac s. Iustinus, ratione permotus, materiam inducit Hermogeni succensentem his verbis: « Ego prima, et Ego ante omnia, et Ego a quo omnia: pares fuimus, simul fui-

408. Praeterea, si materia esset ingenita, nihil ex ea fieri potuisset. Namque id, quod est ingenitum, nullum, ut modo ostendimus, mutationem admittit. Atqui nihil ex eo, quod non est capax mutationis, fieri potest, quia perspicuum est hoc ipso, quod ex aliquo aliquid fit, mutari id, ex quo fit. « Materia ergo, ita concludit Lactantius, si facta non est, ne fieri ex ea quicquam potest [1] ».

409. Accedit, quod, quoniam Deus infinita potentia pollet, putandum non est Eum, non secus ac homines, non posse efficere quidquam, nisi ex materia iam existente; sed tenendum est Eum, sicut nullo artifice, ita nulla materia eguisse, ut mundum conderet [2].

410. Quod si materiam, quocumque modo concipiatur, ingenitam,

---

mus, ambo sine initio, sine fine: ambo sine auctore, sine Deo. Quis me Deo subiicit contemporali coetaneo? *Op. cit.*, c. 7, col. 203.

[1]) *Op. cit.*, lib. II, c. 8. Ex quo illud quoque Lactantius scite collegit notionem materiae ingenitae sibi ipsi repugnare, quia materia, ex qua nihil fieri potest, re ipsa non est materia. « Si fieri, ait, ex ea non potest, nec materia quidem erit. Materia enim est, ex qua fit aliquid »; *ibid.*

[2]) Apposite s. Athanasius adversus Platonem, eiusque assectatores ait: « Verum qui ita philosophantur, non vident se imbecillitatem Deo adscribere. Si enim ipse non est materiae effector, sed res ex subiecta materia facit, imbecillis sane est, cum nihil sine materia fabricare queat, quemadmodum utique fabri imbecillitatem indicat, nihil eum sine ligno posse facere. Siquidem, ut illi sentiunt, nisi materia fuisset, nihil effecisset Deus » (*De Incarnat. Verbi Dei*, c. 2, t. I, Part. I, p. 39, ed. Bened., Patavii 1777). Idem inculcarunt s. Theophil. (*Op. cit.*, lib. I, n. 72, et lib. II, n. 88); s. Iren. (*Op. cit.*, lib. II, c. 19); s. Greg. Nyssen. (*Lib. Hexaëm.*, *Opp.*, t. I, p. 70, ed. Migne); Tertull. (*Op. cit.*, n. 8); s. Ambros. (*Hexaëm.*, lib. I, c. 2, n. 7, ed. cit.), aliique. Audiamus s. Augustinum, qui secundum horum doctrinam ait: « Cum dicunt esse naturam, quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulcre ordinatum esse concedunt; ita omnipotentem Deum negant, ut non Eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quae iam fuerat, et quam Ipse non fecerat, uteretur; carnali scilicet consuetudine videndi fabros, et domorum structores, et quoslibet opifices, qui, nisi adiuventur parata materia, ad effectum suae artis pervenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse omnipotentem, si mundum fabricare non posset, nisi Eum aliqua non ab illo fabricata natura, tamquam materies, adiuvaret. Aut, si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo Eum fecisse, quae fecit » (Lib. *De Fide, et Symbolo*, c. 2, n. 2). Brevius s. Bernardus: « Frustra Philosophi materiam quaerunt; non eguit materia Deus. Non enim officinam quaesivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? De nihilo; nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia » (*De Consid.*, lib. V, c. 6, n. 14, *Opp.*, t. I, col. 457, ed. Maur.). Illud omittendum non est, quod s. Methodius sapienter advertit, si commune Deo, et rebus ab Eo creatis est ex non extantibus moliri extantia, illud inter increatum Artificem, creatosque interesse oportere, quod hi ex non extantibus qualitatibus qualitates efficiant, Deus vero ex non extantibus substantiis substantias efficere possit, alioquin increata summa potestas creatae, imperfectaeque potestati non excelleret. Vid. eius *Excerpta e lib. De creatis*, c. 5, p. 801, et quae late disseruit in *Lib. de lib. arb.*, p. 754-761, ed. cit.

infectamque esse absurdum est, multo absurdius est mundum ex atomis materiae temere convolantibus esse conflatum. Principio, si repugnat materiam esse ingenitam, repugnat etiam ingenitas esse atomos, quippe quod hae, ipsis Atomicis fatentibus, etsi insecabiles sint [1], tamen partes habent, materialesque sunt. Atqui atomi, ex quarum fortuita concursione mundum effectum esse Epicurus, recentesque increduli comminiscuntur, sunt ingenitae. Mundum igitur ex atomis per aera temere convolantibus effectum fuisse secundum Epicuri, recentiumque Incredulorum sententiam repugnat.

411. Secundo, etiamsi demus posse dari atomos ingenitas, quas antiqui Atomici, et cum eis recentes Increduli comminiscuntur, certe nullo modo evenire potuit, ut ex ipsis et singulae res, ex quibus mundus conflatur, et ipsa mundi compages efficerentur. Quod ut manifestum fiat, in antecessum praemonemus atomos, si sint ingenitae, non posse ad ullius rei productionem praestandam inter se coire. Namque plures atomi non possunt ad aliquam rem efficiendam coalescere, nisi quodammodo immutentur, quia necesse est, ut ipsae aliquid in sese invicem agant. Atqui id, quod est ingenitum, ut modo vidimus, est quoque immutabile. Ergo ex atomis ingenitis Epicuri, recentiumque Incredulorum, nedum universa mundi compages, nulla singularis res effici potuit.

412. His praemonitis pro certo habendum est res corporeas non posse ullo modo ex atomis constitui. Hoc, duce Lactantio, iam ostendimus vel ex eo maxime, quod fieri nequit, ut qualitates, quas in corporibus conspicimus, ex atomis oriantur, varietasque naturarum corporearum ex ipsis efficiatur [2]. Lactantio socium dare possumus s. Augustinum, qui advertit, etiamsi atomos esse concedatur, fieri numquam posse, ut ex ipsis ulla res efformetur. « Si enim, ait, concesseris esse atomos, si concesseris etiam concursu fortuito seipsas pellere, et agitare; num et illud eis fas est concedere, ut inter se atomi fortuito concurrentes, rem aliquam ita conficiant, ut eam forma modificent, figura determinent, aequalitate poliant, colore illustrent, anima vegetent? [3] » .

413. Idem de rebus ratione, aut quavis alia facultate sentiendi, cognoscendique pollentibus potiori iure idem Lactantius diserte adnotavit. Ex quo haec pauca: « Quid ego de animalibus loquar, in quo-

---

[1]) Atomus, ut diximus (p. 208), idem valet ac insecabilis; unde atomi illa corpora dictae sunt, quae adeo sunt exigua, ut in alia secari nequeant. Quod in citato loco ex testimonio ipsorum Graecorum statuimus, comprobare lubet paucis hisce verbis Lactantii: « Tam minuta sunt, inquit, ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari, aut dividi possint. Unde nomen illis imposuit atomorum »; *Liber de ira Dei*, c. IV.

[2]) Cf p. 212-213.

[3]) *Epist. CXVIII ad Dioscorum*, c. 4, n. 31.

rum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine utilitate, sine specie figuratum videmus, adeo ut solertissima, et diligentissima omnium partium, membrorumque descriptio casum, ac fortunam repellat? Sed putemus artus, et ossa, et nervos et sanguinem de atomis posse concrescere. Quid sensus, cognitio, memoria, mens, ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt? . . . Quomodo ergo sine ratione coeuntia possunt aliquid efficere rationale? . . . Quis artifex potuit aut cor hominis, aut vocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisnam igitur sanus existimat, quod homo ratione, et consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohaerentium perfici potuisse? [1] »

414. Quod si nulla species rerum, ex quibus mundus componitur, ex fortuito concursu atomorum fieri potest, anne universa rerum mundanarum coagmentatio? Certe, ne hoc quidem; nam, cum cuncta, quae in mundo sunt, arctissimo finium nexu contineantur, nefas est eorum coagmentationem fortuito caecarum atomorum concursui tribuere. « Quo igitur consilio, pergit Lactantius, qua ratione de confuso acervo se atomi congregaverunt, ut ex aliis inferius terra conglobaretur, caelum desuper tenderetur, tanta siderum varietate distinctum, ut nihil umquam excogitari possit ornatius? Tanta ergo qui videat, et talia, potest existimare nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina; sed ex atomis subtilibus, exiguis concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est aut natum esse hominem, qui haec diceret; aut extitisse, qui crederet? [2] »

415. Quandoquidem hypotheses de aeternitate mundi secundum Aristotelem, et de effectione mundi ex materia praeexistente tum secundum Atomicos, tum secundum Platonem sunt absurdae, absurdusque est, ut suo loco videbimus, pantheismus, cui tertia hypothesis de emanatione mundi e substantia Dei innititur, concludendum est veram esse reliquam hypothesim, qua mundum a Deo ex nihilo eductum, seu creatum fuisse statuitur. Enimvero illa opinio pro vera est habenda, quae, dum nihil absurdi prae se fert, si negetur, aliqua opinio manifeste absurda admittatur oportet. Atqui huiusmodi est theoria christiana creationis rerum, quippe quod, quemadmodum mox videbimus, et nihil absurdi continet, et, si negetur, aliqua absurdarum hypothesium, quas recensuimus, admittenda est. Ergo theoria christiana est unica hypothesis, qua origo mundi explicari potest [3].

---

[1]) *Liber de ira Dei*, c. 10.

[2]) *Ibid.*

[3]) Hac in re fautorem habemus ipsum Bayleum, qui totam nostram argumentationem explicuit hoc modo: « Ut productio rerum probe explicetur, oportet considerare Deum, tanquam auctorem materiae, et primum, atque unicum principium motus. Nisi notio creationis proprie acceptae admittatur, haud possibile est cunctos scopu-

416. Sed, quoniam de controversia maximi momenti agitur, e re valde esse arbitramur indirectae demonstrationi *directam* adiicere.

Haec, quae ab Aquinate ss. Patrum, in primisque s. Anselmi [1] vestigia terente nobis suppetit, huiusmodi se habet: Omnes res, ex quibus mundus constat, quemadmodum vidimus [2], non sunt ex se ipsis, sive, ut Scholae aiunt, non habent *esse ex se*. Atqui id, quod non est ex se, oportet, ut sit *ex alio*, seu, ut habeat *esse ex alio*, quippe quod nihil medii est inter *esse a se ipso*, et *esse ab alio*. Quotquot igitur res sunt, ex quibus mundus componitur, *esse* suum ab alio habent. Iamvero hoc aliud, a quo res mundanae *esse* suum repetunt, nonnisi Deus esse potest. Et sane illud, a quo res *esse* suum sumunt, oportet esse ens, quod est a se ipso, quodque idcirco, ut in *Theodicea* videbimus, est ens *per essentiam*; namque, si esset ens ab alio, non foret, uti ex se patet, principium, ex quo omnes res *esse* suum sumunt [3]. Atqui unus Deus, ut in *Theodicea* ostendemus, est ens a se, et per essentiam suam. Unus igitur Deus est principium, ex quo omnes res *esse* suum habent. Haec prima pars argumentationis reduci potest ad hanc perbrevem formam: Quidquid *esse* in natura rerum habet, est ab alio; quidquid est ab alio, non est ipsum *esse*, sed est particeps τοῦ *esse*, sive, ut Scholae aiunt, habet esse participatum; id, quod habet esse *participatum*, causam sui *esse* in eo agnoscit, quod habet *esse* per essentiam; Deus autem dumtaxat est ens per suam essentiam; quidquid igitur est in natura rerum, *esse* suum a Deo habet [4].

417. Restat, ut demonstremus, quomodo res a Deo *esse* suum habeant. Certe dici nequit Deum dare *esse* rebus ex materia praeexistente. Nam causae naturales materiam expostulant, tamquam subiectum, ex qua effectum producunt, quia non producunt ens simpliciter, sed dumtaxat transmutant ens, quod aliqua ratione iam existit. Atqui Deus non transmutat dumtaxat ens, quod aliqua ratione iam existit, sed producit ens simpliciter, quippe quod, cum totam perfectionem entis in se contineat, ab Eo originem habet *esse* omnium entium, proindeque ipsius materiae, quae et ipsa quoddam ens est. Ergo

---

los vitare; et, quocumque modo res spectetur, necesse est opiniones effundere, quibus nostra ratio nullo pacto acquiescere potest »; *Dict. hist., et crit.*, art. *Ovide*.

[1]) *Monol.*, c. 6, p. 36 sqq, ed. Ubaghs.

[2]) Passim.

[3]) « Summe est, aiebat s. Augustinus, illud bonum, cuius participatione sunt bona cetera »; *Qq. LXXXIII*, q. 24.

[4]) En brevem locum s. Thomae: « Necesse est dicere omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est, quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter convenit. Ostensum est autem supra (q. III, art. 4), cum de divina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum esse per se subsistens. Et iterum ostensum est (q. XI, art. 4), quod esse subsistens non potest esse, nisi unum... Relinquitur ergo, quod omnia alia a Deo non sint suum esse, sed participent esse »; I, q. XLIV, a. 1 c.

Deus, ut extra se operetur, opus non habet, perinde ac quaelibet causa naturalis, materia, tanquam subiecto, ex quo effectum producit, sed res e nihilo educit [1]. Iuvat ad maiorem huius rei intelligentiam idem argumentum proferre hunc in modum: Haud possibile est id, quod efficitur, existere, antequam efficiatur, atque expostulari veluti principium effectionis suae, sive, ut Scholae aiunt, *praesupponi* effectioni suae, cum repugnet dare existentiam rei, quae iam existit. E. g., homo non existit, antequam generetur, et corpori non inest albedo, antequam album fiat, sed ex non homine fit homo, et ex non albo album. Atqui Deus est auctor totius *esse*, quod in rebus est. Ergo haud possibile est aliquod *esse* rei existere, antequam res a Deo efficiatur [2]. Quod cum idem valeat, ac ex *non ente*, seu ex *nihilo* efficere, liquet res esse suum a Deo per creationem accipere.

418. Neque illud s. Augustini contra Platonicos omissum volumus, quod, etiamsi concedatur mundum factum esse ex materia informi, hanc materiam ex nihilo a Deo eductam esse existimandum est [3]. Namque omnium bonorum auctor, ipsis Platonicis docentibus, est Deus; atqui bonum est non modo id, quod iam formam habet, sed etiam id, quod est capax formam in se recipiendi, quia ipsa capacitas est nonnullum ens; ergo, si Deus mundum effecisset ex materia in-

---

[1]) «Hoc, s.Thomas scribit, quod est causa rerum, inquantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec secundum quod sunt haec per formas substantiales, sed etiam secundum omne illud, quod pertinet ad esse illorum quocumque modo. Et sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab universali causa entium » (I, q. XLIV, a. 2 c.). Hanc ob rationem s. Augustinus docuit omnino nihil esse posse, cuius causa Deus non sit. « Non aliquid, inquit, esse potest, cuius creator non esset »; *Lib. de Fide, et Symb.*, c. 2, n. 2, atque alibi: « Solus unus cuiuslibet naturae, seu magnae, seu minimae, creator est Deus »; *De Gen. ad litt.*, lib. IX, c. 15, n. 26.

[2]) S. Anselmus argumentatus est hoc modo: Materia, ex qua Deus mundum effecisse volunt, vel est facta ab alia materia, vel a seipsa, vel a summa Natura, nempe a Deo. Non primum, quia oporteret aliam materiam rursus ab alia esse factam, atque hanc ab alia; quod progressum causarum in infinitum involvit. Non secundum, quia, cum id, quod gignitur ab alio, sit ipso posterius, nulla res potest esse principium, et causa suipsius. Restat igitur ut *esse* habeat ab ipso Deo; quare Deus non solum formae, sed etiam materiae rerum auctor, sive, quod idem valet, creator rerum esse debet (vid. *Monol.*, c. 6, et Card. d'Aguirre, *s. Anselmi theologia* etc., Disp. XIV, sect. 1, § 7 sqq, p. 288, ed. cit). Hocce argumentum s. Anselmi s.Thomas probavit, praeclareque exposuit cum *Contr. Gent.*, lib. II, c. 15, tum *Qq. dispp.*, *De Pot.* q. III, a. 5.

[3]) « Sicut igitur, Aquinas noster ait, generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio, quae est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil »; I, q. XLV, a. 1 c.; cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 15, et 16; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 1. Consulendus est Card. d'Aguirre, qui citatis s. Thomae locis in explicatione theoriae anselmianae mirifice usus est, ut videre licet in *Monol.* c. VI, et VII, Dispp. XIV, et XV, p. 286 sqq.

formi, huius ipsius materiae auctor quoque dicendus foret [1]. Hinc, si dicatur secundum Platonem Deum mundum e materia informi condidisse, Eum ipsam materiam, ex qua mundum condidit, e nihilo eduxisse dicendum est [2].

419. Haec omnia, ex quibus Deum esse causam effectricem mundi probavimus, Eum non esse, nec concipi unquam posse causam *materialem*, aut *formalem* mundi manifeste evincunt. Prioris erroris auctor fuisse perhibetur David de Dinando; hic enim « stultissime, ut est apud s. Thomam, dixit Deum esse materiam primam [3] », nempe causam materialem mundi [4]. Posteriorem errorem in media aetate defendit

---

[1]) « Etiam si de aliqua informi materia factus est mundus, haec ipsa facta est omnino de nihilo. Nam et quod nondum formatum est, tamen aliquo modo ut formari possit inchoatum est, Dei beneficio formabile est; bonum est enim esse formatum. Nonnullum ergo bonum est et capacitas formae; et ideo bonorum omnium auctor, qui praestitit formam, ipse fecit etiam posse formari. Ita omne quod est, in quantum est; et omne, quod nondum est, in quantum esse potest, ex Deo habet. Quod alio modo sic dicitur: omne formatum, in quantum formatum est; et omne, quod nondum formatum est, in quantum formari potest, ex Deo habet »; (*De vera Relig.*, c. 18, n. 36). Unde alibi ait: « Nec ea, quae de aliquibus rebus facta sunt, ab hac excipiuntur origine; quoniam res, quae ita factae sunt, ut ex iis aliae fierent, de nullis exstantibus factae sunt, hoc est, omnino de nihilo » (*Op. Imperf. contr. Iul.*, lib. V, n. XLII). Brevissime in hoc alio loco: « Rectissime credimus omnia Deum fecisse de nihilo; quia etiam si de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est »; *De Fide, et Symb.*, c. 2, n. 2.

[2]) Permulti Protestantes, et Rationalistae Apologetas saec. II, uno excepto s. Theophilo, vehementer redarguunt, quod vel materiam esse ingenitam secundum Platonem docuere, vel certe haesitanter, obscureque hac in re versati sunt. Bruckero, Tennemanno, aliisque omissis, satis est nominare nuperrimos Ritterum (*Phil. chrètienne*, trad. par Trullard, lib. III, c. I, § 1, et 2, t. I, p. 268, 269, 279, ed. cit.), Vacherotum (*Hist. de l'école d' Alexandrie*, Introd. lib. II, c. 5, t. I, p. 223 sqq, ed. cit.), et Ehlers (*Vim, atque potestatem, quam Philosophia antiqua, in primis platonica, et stoica, in doctrina Apologetarum saec. II habuerint*, p. 32, 33, 34, et 65, Gottingae 1859). Verum hi nae oppido falsi sunt. Nam quod ad s. Iustinum, et Athenagoram attinet, satis est loca eorum legere, quae ad hanc rem passim excripsimus, aut solum citavimus, quibus pro Athenagora adde *Legat.*, n. 10, et 19. Tatianus vero materiam *genitam* (γενητον) saepe appellavit, eamque a Deo factam fuisse docuit (*Oratio contra Graecos*, n. 5 et 12; cf n. 6, ad calc. *Opp. s. Iust.*, ed. cit.). Qui plura, penitioraque ad horum apologetarum defensionem cupit, adeat I. B. Savarese, *Apologia delle dottrine filos. de'ss. Padri*, in nostris Ephem. *La Scienza e La Fede*, vol. XXV, p. 237 sqq, et p. 534, nec non vol. XXVIII, p. 294 sqq, Napoli 1853, et 1854.

[3]) I, q. III, a. 8 c. Cf Albert. M., *Physic.*, lib. I, tract. II, c. 10, et *Sum. Theol.*, Pars II, tract. I, q. 4, necnon eumdem s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. I, c. 17, et *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, q. 1. David de Dinant auditor fuit Amalrici Carnotensis, de quo paulo post.

[4]) Hunc errorem a sententia Platonis, aliorumque veterum de aeternitate materiae derivatum esse Card. d'Aguirre scite observavit (*Op. cit.*, Disp. XIV, sect. I, n. 3-5, p. 286, et 287). Nam, cum inter ens productum, et non productum nihil medii sit (cf p. 425), consequitur materiam, si dicatur aeterna, atque infecta, Deum dicendam esse.

Amalricus, seu Almericus Carnotensis, qui, uti est apud eumdem s. Thomam [1], «Deum esse principium formale omnium rerum» effutivit [2]. Iam hos duos errores, immo errorum portenta vel ex eo tantum exploduntur, quod Deus, uti ostendimus, est causa effectrix mundi. Nam causa effectrix, uti a s. Thoma observatum est, si convenit specie cum re, quam efficit, ab ea numero distinguitur, quia aliquid esse causam sui ipsius repugnat. Puta, si homo gignit hominem, certe alius est homo, qui gignit, alius vero, qui gignitur. Cum causa autem materiali causa effectrix ne specie quidem convenit, quia causa materialis denotat aliquid, quod est *in potentia*, et causa effectrix aliquid, quod est *in actu* [3]. Hinc Deus, cum sit causa effectrix mundi, causa materialis, aut formalis, eius esse nequit. A pluribus afferendis abstinemus; errores enim Davidis de Dinando, et Almerici Carnotensis pantheismum omnino redolent [4], cum principia materiale, et formale rei, ut in *Ontologia* vidimus, ipsam essentiam rei constituant. Quare ipsorum confutationem ad *Theodiceam* amandamus [5].

420. Contra ea, quoniam Deus est causa effectrix mundi, consequitur Eum esse quoque causam *exemplarem* eiusdem; quippe quod, cum Deus sit causa effectrix mundi infinite intelligens, res mundanas e nihilo educere non potuit, nisi secundum *ideas*, seu *exemplaria* illarum, quas in se habuit [6]. Apposite s. Irenaeus de Deo rerum crea-

---

[1]) l, loc. cit. Amaury de Chartres floruit vertente saec. XII, atque in Universitate Parisiensi primum auditor, deinde magister fuit. Cf Boulay, *Hist. Universitatis Paris.*, t. III, p. 25, et 48, Parisiis 1670, et Daunou, *Hist. litt. de France*, art. *Amaury de Chartres*, t. XVI.

[2]) Huic errori, eodem d'Aguirre monente, praeluserant Zeno, aliique e Stoa, quippe qui, uti alias dicemus, Deum esse animam mundi opinabantur, atque inter haereticos Carpocrates (cf s. Iren., *Contr. haeres.*, lib. I, c. 24), aliique Gnostici, necnon Manichaei, et Priscillianistae, de quibus vid. s. Aug., *De haeresibus*, c. 46 et 70.

[3]) . . . « Causa efficiens, s. Thomas ait, cum forma rei factae non incidit in idem numero, sed solum in idem specie; homo enim generat hominem. Materia vero cum causa efficiente non incidit in idem numero, nec in idem specie, quia hoc est in potentia, illud vero in actu »; I, q. III, a. 8 c. Cf ibid., q. LI, a. 1 ad 1, et q. XC, a. 1 c.; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 17, et 27; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXI, a. 4 c.

[4]) Errores Amalrici damnati sunt ab Innocentio III, Cap. *Damnamus, De Trinitate, et Fide Catholica*, apud laudatum d'Aguirre, *Op. cit.*, Disput. cit. sect. 2, n. 16, t. I, p. 290.

[5]) Cf interea, si lubet, Card. d'Aguirre, *Op. cit.*, Disp. cit., sect. 1, et 2, p. 286 sqq.

[6]) « Dicendum, quod Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod ad productionem alicuius rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod inspicit, sive illud sit exemplar, ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem, quod ea, quae naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur.

tore ait: « Ipse a semetipso exemplum, et figurationem eorum, quae facta sunt, accipiens [1] ». Qua de re antiqui Patres discrimen inter mundum *intelligibilem*, qui in Intellectu Dei ab aeterno est, et mundum *aspectabilem*, seu *sensibilem*, quem Deus ad mundi intelligibilis instar in tempore condidit, accurate adnotarunt [2]. Ex quo patet rebus a Deo creatis convenire non modo rationem *essendi* (τοῦ ὄντος) temporalem, qua in se, suaque natura constant, sed etiam sempiternam, quam in Deo habent, proindeque, uti s. Anselmus advertit, quamvis e nihilo factae sint, *non tamen nihil* fuisse, antequam fierent, *quantum ad rationem facientis*, hoc est, Dei, qui illas ad aeterni exemplaris instar fecit [3].

421. Postquam mundum a Deo per *creationem*, seu per eductionem e nihilo originem duxisse ostendimus, necesse est, ut obiectionibus satisfaciamus tum illorum, qui, ut vidimus, creationem non esse

---

Haec autem formarum determinatio oportet, quod reducatur, sicut in primum principium, in Divinam Sapientiam, quae ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere, quod in Divina Sapientia sunt rationes omnium rerum, quae supra (q. XV, a. 1) diximus ideas, idest formas exemplares in Mente Divina existentes »; I, q. XLIV, a. 3 c. Cf s. Bonavent., *In lib. I Sent.*, Dist. I, Pars I, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[1]) *Op. cit.*, lib. II, c, 16, n. 3, ed. cit. Explicatius s. Augustinus: « Una sapientia est, in qua sunt immensi quidam, atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium, et mutabilium, quae per ipsam factae sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro, si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quae noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset »; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 10, n. 3; cf eumdem s. Doctorem, *De Gen. ad litt.*, lib. V, c. 13-14, n. 28-31; Auctorem *Lib. Areop.*, *de Div. Nom.*, c. 2, 3 et 5; s. Anselmum, *Monol.*, c. 8, aliosque, quos videre licet apud d'Aguirre, Dispp. XX, sect. 1, et Petav., *Op. cit.*, lib. IV, c. 11. S. Dionysius (*Op. cit.*, c. 5) ideas vocavit τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς, *substantiarum effectrices*, et post eum Maximus (in l. cit. s. Dionys.) ἀρχικὰ αἴτια, *principia originem dantia*, et Zacharias Mytilenaeus (*De opific. mund.* in *Bibl. Maxima Patrum*, t. IX) δημιουργικοὺς λόγους, *rationes efficientes*.

[2]) Vid. prae ceteris Clem. Alex., *Strom.*, lib. VI, c. 14, in quo Barbaros, Graecosque duplicis huius mundi assertores enumerat; s. Iustin., *Cohort. ad Gent.*, n. 30; Orig., *Homil* III *in Cantic.*; Euseb., *Praep. Evang.*, c. 23-25, p. 545 sqq, ed. cit.; s. Aug., loc. cit. in *Ontol.* p. 51, n. 4, et *Retract.*, lib. I, c. 3.

[3]) « Patet itaque, quoniam priusquam fierent universa, erat in ratione humanae naturae, quid, aut quando, aut quomodo futura essent. Quare, cum ea, quae facta sunt, clarum sit nihil fuisse, antequam fierent, quantum ad hoc quia non erant, quod nunc sunt, nec erat, ex quo fierent, non tamen nihil erant quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent »; *Op. cit.*, c. 9, p. 54, et 56, ed. cit. Quod quidem ex s. Augustino mutuatus est; hic enim, postquam citavit multa loca SS. Litterarum, conclusit: « His, atque huiusmodi testimoniis probatur, quod haec omnia, priusquam fierent, erant in notitia facientis »; *De Gen. ad litt.*, lib. V, c. 15, n. 33.

possibilem obganniunt, tum illorum, qui creationem mundi admittunt, sed ipsam haud posse demonstrari pertendunt. Priores sunt omnes antiqui haeretici, recentesque increduli, quos recensuimus; hi enim creationem mundi, quam Religio Christiana veluti capitale dogma sectatoribus suis tenendam proponebat, impugnare volentes, principiis ethnicae philosophiae usi sunt, ut illam haud possibilem esse suaderent. Inter posteriores numerandi maxime sunt Giobertius, eiusque asseclae, atque hodiernus Anonymus. Giobertius contendit 1° creationem mundi neque *a priori*, neque *a posteriori* posse demonstrari, quia tam demonstratio *a priori*, quam demonstratio *a posteriori* et falsae in se sunt, et ad pantheismum ducunt; 2° ipsam admittendam esse veluti veritatem primitivam *facti*, quia mens, cum perenni intuitione Dei mundum creantis naturaliter gaudeat, creationem mundi veluti factum primitivum apprehendit [1]. Anonymus vero tradit 1° creationem non alia probatione posse niti, nisi *indirecta*, seu probatione, quam *ab absurdis* vocant, atque huic nullam vim ad scientiam pariendam inesse; 2° notitiam creationis, quam mens humana obscure intuetur, admittendam esse philosopho veluti *factum*, de quo Revelatio Divina eum certum reddit [2]. Anonymo, ex ea parte quatenus notitiam creationis a Revelatione nobis dumtaxat suppetere opinatur post nonnullos obscuri nominis Scholasticos [3], nuperi Traditionalistae praecesserunt, inter quos p. Ventura in primis nominandus est [4].

422. Iam ab haereticis, recentibusque incredulis, et rationalistis audiendis ordiamur.

Obiic. 1° Haud possibile est aliquid ex nihilo fieri iusta illud effatum omnium politiorum Philosophorum consensione probatum : *Ex nihilo nihil fit* [5]. Atqui nomen creationis productionem rei ex nihilo significat. Ergo creatio non est possibilis.

423. Resp. *Dist. mai.*: haud possibile est aliquid ex nihilo fieri, qua-

---

[1]) *Teorica del soprannaturale*, Discors. prelim., t. I, p. 264 sqq, Capolago 1850; *Introd.*, c. 4, t. II, p. 49 sqq, Brusselle 1840, et *Lettere* etc., lett. VIII, t. II, p. 5 sqq, Capolago 1846.

[2]) *Schiarimenti sul dogma della creazione*, Pisa 1851.

[3]) De quibus videsis Conimbricenses, *Comm. in Phys. Arist.*, Com. in c. 2, lib. VIII, q. 2, art. 2, t. II, col. 421 sqq, ed. cit.

[4]) Vid., caeteris eius libris omissis, *La raison philosophique, et la raison catholique*, t. II, part. 2. Conf. VI, § 16, p. 696 sqq.

[5]) Ita Cousin, *Introd. à l'hist. de la phil.*, lec. V, *Oeuvr.* t. I, p. 39, Bruxelles 1840. Huic praeluserant veteres creationis adversarii, quippe qui, ut est apud s. Anselmum (*Monol.*, c. 8, p. 50, ed. Ubaghs), ad impugnandam productionem rerum e nihilo inculcabant omnium hominum consensionem: « Sicut vox omnium est, quia nihil de nihilo ». Hoc pronuntiatum veterum Physicorum commune inter ethnicos primus omnium, quantum scimus, Anaxagoras manifeste exposuit, et propugnare conatus est. Vid. Arist., *Natur. Auscult.* lib. I, c. 4, § 2, ed. cit.; Simplic. in h. l. Arist., p. 6, ed. cit.; Plut., seu Pseudo-Plut., *De placit. Phil.*, lib. I, c. 3.

tenus nullus effectus ex nihilo, tamquam causa efficiente, fieri potest, et nulla res ex nihilo, tamquam ex materia, potest educi, *conc. mai.*; quatenus per infinitam causae efficientis virtutem, nulla praeiacente materia, res, quae antea nullo modo extabat, in existentiam prodire non potest, *neg. mai.* Sub eadem *dist. neg.*, *et conc. min. Neg. cons.* Sane, cum nihilum non existat, omnino absurdum est illud esse vel causam efficientem, seu causam, quae aliquid producit, vel causam materialem, sive terminum, ex quo aliquid educitur [1]. Quapropter, si illud effatum alterutro sensu sumatur, nulla dubitatio de illius veritate existere potest. At neutrum horum conceptu creationis continetur. Etenim creatio, ut iam diximus [2], est productio rei « in esse secundum totam suam substantiam », ita ut « causalitas creantis se extendat ad omne illud, quod in re invenitur [3] ». Cum haec sit notio creationis, facile inde patescit ipsam posse productionem ex nihilo appellari ob duas rationes, scilicet 1° quia illud, quod creatur, non fit ex aliqua materia praeexistente [4]; 2° quia, antequam sit creatum, est nihilum, seu nullo modo *esse* habet [5]. Enimvero priori ratione negatur rem creatam ordinem habere ad quamlibet materiam praeexistentem, aeque ac si dicatur: « iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo [6] ». Altera autem ratione asseritur rem creatam ordinem habere ad nihilum, quatenus ipsa *natura sua* est post nihilum, aeque ac si dicatur: « ex mane fit meridies, i lest post mane [7] ». Iamvero huiusmodi productio nulli causae finitae

---

[1]) Apposite s. Augustinus: « De nihilo, hoc est, de nulla re fecit Deus. Non quia nihil habet aliquam vim; si enim haberet, non nihil, sed aliquid esset »; *Op. imp. contr. Iul.*, lib. V, n. XLII.

[2]) *Ontol.*, c. V, art. 1, p. 150.

[3]) S. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. 1, q. 1, a. 2 *sol.* « Creatio, s. Bonaventura inquit, est totius substantiae secundum totum »; *In lib. II Sent.*, Dist. 1, p. 1, a. 2, q. 2 *resol.*

[4]) « Creatio, idem Aquinas ait, ex nihilo dicitur esse, quia nihil est, quod creationi praeexistat, quasi non creatum » (loc. cit. cf p. 238). « Aliud praeter Te, ita s. Augustinus Deum alloquitur, non erat, unde faceres ea, Deus Una Trinitas, et Trina Unitas; et ideo de nihilo fecisti coelum, et terram . . . . Tu eras, et nihil aliud unde fecisti coelum, et terram »; *Conf.*, lib. XII, c. 7, n. 7.

[5]) « Dicitur creatio esse ex nihilo, quia res creata naturaliter prius habet non esse, quam esse »; loc. cit.

[6]) I, q. XLV, a. 1 ad 3. « De nihilo, ait etiam Afer Doctor, est, quod non est de aliquo; quia, etsi fecit Deus aliqua de aliis rebus, has ipsas, de quibus ea fecit, de nullis fecerat rebus »; *Op. imp. contr. Iul.*, lib. V, n. XXXI. Cf p. 427, not. 1.

[7]) *Ibid.* Cf *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 1 ad 7. Utramque rationem intelligendi pronuntiatum, de quo hic disputamus, s. Anselmus, duce s. Augustino, praeclare tradiderat. « Tertia interpretatio, inquit, qua dicitur aliquid esse factum de nihilo, est, cum intelligimus, esse quidem factum, sed non esse aliquid, unde sit factum. Per similem significationem dici videtur, cum homo, contristatus sine causa, dicitur contristatus de nihilo. . . Quamvis non inconvenienter, et sine omni repugnan-

convenire potest. Etenim omnis causa finita, cum determinata virtute polleat, determinatam expostulat distantiam inter illud, quod ab ea fit, et oppositum, ex quo fit. Atqui inter *esse*, quod in creatione producitur, et nihilum, ex quo producitur, nulla extat determinata distantia. Ergo nulla causa finita potest aliquid e nihilo producere, sed necessario expostulat aliquod *esse* praeexistens, ut quidquam efficere queat [1]. Productionem autem e nihilo non solum non repugnare, sed omnino consentaneam esse naturae causae infinitae, praeter argumenta, quae ex ss. Patribus attulimus [2], contraria ratio apertissime suadet; siquidem causa infinita, cum virtute infinita polleat, inter effectum suum, eiusque oppositum determinatam distantiam non requirit [3]. Praeterea idem ex eo probatur, quod Deo, utpote Causae Primae, illa actio congruit, qua primus effectus, nempe *esse simpliciter* producitur [4]; « esse autem simpliciter, ut s. Thomas ait, per creationem causatur, quae nihil praesupponit, quia non potest aliquid praeexistere, quod sit extra ens simpliciter [5] ».

---

tia, ea, quae facta sunt a creatrice substantia, fieri possunt esse facta ex nihilo, eo modo quo fieri solet, dives factus ex paupere, et recepisse quis sanitatem ex aegritudine, id est, qui prius pauper erat, nunc est dives, quod antea non erat, et qui prius habebat aegritudinem, nunc habet sanitatem, quam antea non habebat » (*Mon.*, c. 8, p. 52, ed. cit.). De veris, falsisque sensibus, quibus hoc decretum: *De nihilo nihil fit*, accipi potest, videsis Cudworthum, *Op. cit.*, c. V, sect. 2, § 1-3, et § 9-11, p. 914 sqq, ed. cit.

[1] Apposite s. Bonaventura: « Productio rei de nihilo non potest esse, nisi a potentia infinita »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. 1, dub. 1.

[2] Adiungatur haec pauca s. Irenaei: « Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subiacente, Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suae cum antea non esset, ipse adinvenit »; *Op. cit.*, lib. II, c. 10, n. 4, ed. Massuet.

[3] Audire praestat s. Bonaventuram: « Cum dicitur ex nihilo aliquod fieri, potest intelligi tripliciter. Aut materialiter, ut ex ferro cultellus; aut causaliter, ut ex patre filius; aut ordinaliter, ut de nocte fit meridies. Primis duobus modis verum est ex nihilo nihil fieri; tertio modo verum est secundum naturam, sed falsum supra naturam. Per virtutem enim infinitam, quae non indiget fulcimento materiae, ita faciliter potest aliquid produci ex nihilo, sicut de aliquo, alioquin non esset virtus primi principii infinita, sed egeret materiae fundamento »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. 1, a. 1, q. 1 *ad arg.* Cf *ibid.*, lib. I, Dist. V, dub. 10.

[4] Eo rationem, quam s. Thomas affert: « Quanto aliqua causa est superior, tanto ad plura se extendit in causando. Semper autem id, quod substernitur in rebus, invenitur communius, quam id, quod informat, et restringit ipsum; sicut esse, quam vivere; et vivere, quam intelligere; et materia, quam forma. Quanto ergo aliquid est magis substratum, tanto a superiori causa directe procedit. Id ergo, quod est primo substratum in omnibus, proprie pertinet ad causalitatem supremae Causae »; I, q. LXV, a. 3 c.

[5] *Contr. Gent.*, lib. II, c. 21. « Antiqui Philosophi, alibi ait, non consideraverunt, nisi emanationem effectuum particularium a causis particularibus, quas necesse est praesupponere aliquid in sua actione. Et secundum hoc erat eorum communis

424. Obiic. 2° Si daretur creatio, ea sane foret actio transiens. Atqui repugnat creationem esse actionem transeuntem. Ergo creationem dari repugnat.

425. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons. Prob. min.* Omnis actio transiens expostulat subiectum, in quod transit. Atqui creatio, cum sit productio ex nihilo, removet subiectum, in quod transit. Ergo etc.

426. Resp. *Dist. mai.*: si fiat per motum, sive per mutationem proprie acceptam, *conc. mai.*; secus, *neg. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Actio transiens procul dubio expostulat subiectum, in quod transit, si de iis rebus sermo sit, quae fiunt per motum, sive mutationem; mutatio enim essentialiter requirit, ut idem aliter prius, aliter posterius se habeat [1]. At, si actio transiens non fit per mutationem, ipsa non expostulat subiectum, in quod transit, sed totum momento temporis fit [2]. Iam creatio certe est actio transiens, siquidem « significat actionem terminatam ad exteriorem effectum [3] ». Sed, quamvis sit mutatio quaedam secundum modum intelligendi, « sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter, et postea esse [4] », tamen non est proprie *mutatio*, quia, cum per eam « tota substantia rei in esse producatur, non potest esse aliquid idem aliter, et aliter se habens [5] ». Quoniam autem creatio nullum motum, sive mutationem exhibet,

---

opinio, ex nihilo nihil fieri. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab universali rerum principio » (I, q. XLV, a. 2 ad 1). Ex his illud etiam perspicitur, creationem ita Deo convenire, ut nulli alii, praeter ipsum, adscribi possit. « Et ideo, subdit Seraphicus Doctor, illi virtuti soli hoc attribuendum est necessario, quamvis non posset consimile reperiri in aliquo creato. Hoc enim est Eius proprium, sicut et ipsa omnipotentia »; *In lib. II Sent.*, loc. cit. Cf s. Thom., *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 7 c.

1) « In omni mutatione, vel motu, oportet esse aliquid aliter se habens nunc quam prius; hoc enim ipsum nomen mutationis ostendit »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 17, num. 3.

2) « In his, quae fiunt sine motu, similiter est fieri, et factum esse, sive talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio, nam simul aliquid illuminatur, et illuminatum est; sive non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde, et formatum est. Et in his quod fit, est, cum dicitur fieri. Sed significatur ab alio esse, et prius non fuisse »; I, q. XLV, a. 2 ad 3.

3) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 79. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 1 *sol.*

4) I, q. XLV, a. 2 ad 2. « Creatio, ait (*ibid.* ad 4), significatur ut quaedam mutatio inter duos terminos existens ». Clarius s. Bonaventura: « Fieri ex nihilo habet esse post nihil, et ita potest non esse; ergo aliquo modo se habet nunc, quomodo non se habebat prius; et ideo mutatio ponitur per productionem de nihilo »; *In lib II Sent.*, Dist. I, p. 1, a. 3, q. I *ad arg.*

5) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 17, n. 3. « Quod creatur, non fit per motum, vel mutationem» (I, q. cit., a. 3 c.). « Quaedam, ait s. Bonaventura, est productio, in qua productum se habet aliter nunc, et prius, quia secundum aliquid sui fuit prius sub una dispositione, et nunc est sub alia; et talis est productio, quae est ex materiali

necesse est, ut in instanti fiat [1]; unde « simul aliquid creatum est [2] ». Nulla igitur repugnantia, quemadmodum adversarii obganniunt, in notione creationis delitescit.

427. Ad obiectiones Giobertii, Anonymi, et p. Venturae progrediamur.

Obiic. Giobertius: Dubitari non potest, quin omnes homines quamdam notitiam creationis, saltem obscuram, habeant. Atqui haec notitia nec demonstratione *a priori*, nec demonstratione *a posteriori* adquiri potest. Ergo pro certo habendum est homines notitiam creationis adquirere per intuitionem Entis creantis existens, seu Dei creantis mundum, qua perenniter, et naturaliter gaudent.

428. Resp. *Trans. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Transeat *maior*, inquimus, quia de hac re quaestio nobis in praesentia non est. Ceterum concedi Giobertio non potest omnes homines quamdam notitiam creationis naturaliter habere. Namque ab eruditis diu, vehementerque disputatum est, num creatio innotuerit ullis antiquis Philosophis, et praesertim Platoni, qui hac in re caeteris ethnicis Philosophis procul dubio acutius vidit [3], atque, si post N. C. eius notitiam ipsi plebei a pueritia habent, id certe nulli probationi scientificae, sed divinae Revelationi apud cunctas gentes propagatae acceptum referunt. Nos equidem, dum creationem mundi stricta demonstratione evinci posse persuasum habemus, non ii sumus, qui illam demonstrationem esse ipsi captui rudium obviam arbitramur.

429. *Prob. min.* Demonstratio *a priori* a notione Dei ad creationem mundi, et demonstratio *a posteriori* ab existentia mundi ad Deum eius creatorem assurgit. Atqui neutra ratione creatio mundi demonstratur. Ergo etc.

---

principio, ut naturalis generatio. Quaedam vero est productio, in qua productum aliquo modo se habet nunc, et nullo modo prius; et talis est productio, quae est ex nihilo... Prima habet rationem motus... ratione praeparationis materiae, quae fit per dispositiones accidentales; et haec indiget successione, et tempore... Secunda caret... ratione motus, quia, cum non habeat materiam, nulla potest praeire dispositio » (*Op. cit.*, ibid. *resol.*). Dignum etiam notatu est, quod idem Seraphicus Doctor alibi ait: « Quod obiicitur, quod actio est in aliquid, dicendum quod creare non est agere, sed facere, et hoc refert inter agere, et facere; nam agere in quod agat, non quod agat, exigit, facere autem e converso »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. 1, a. 1, q. I, *ad arg.*

[1]) Cf *Ontol.*, c. V, art. I, p. 150. « Opus creationis consistit in sola Divina actione in instanti rerum substantiam producente »; I: q. LXXIV, a. 1 ad 1.

[2]) I, q. XLV, a. 2 ad 3. Cf *Contr. Gent.*, lib. cit., c. 19, n. 5, et *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 2.

[3]) Vid. p. 418, not. 1. S. Bonaventura negantem opinionem amplexus est; scribit enim: « Haec autem veritas, etsi cuilibet fideli sit aperta, et lucida, latuit tamen providentiam, vel prudentiam philosophicam, quae in huius quaestionis inquisitione ex ongo tempore ambulavit per devia »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. I, a. 1, q. I *resol.*

430. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons. Prob. duas partes min.* Prima pars a Giobertio ita probatur: A notione causae notio effectus inferri non potest, nisi cum inter causam,et effectum necessarius nexus existit, ita ut, una re posita, altera ponenda sit. Atqui Deus non est causa necessaria, sed libera mundi. Ergo a notione Dei creatio mundi inferri non potest. Secunda autem pars hoc modo: Quandoquidem mundus est terminus creationis, sequitur nemini licere ab existentia mundi ad Deum creatorem assurgere, nisi mentem suam notitia mundi in antecessum expoliet. Atqui, amota notitia mundi, cessat fundamentum, seu principium demonstrationis *a posteriori*. Ergo ab existentia mundi notitia Dei creantis eum colligi nequit. Praeterea censet Giobertius utramque demonstrationem ad pantheismum ducere, quod nec ab Ente ad existens, nec ab existente ad Ens argumentum duci potest, nisi existens Ente contineri dicatur.

431. Resp. 1° Giobertius hisce argumentationibus, quas eius asseclae regerunt, atque inculcant, duo commiscuit, confuditque, quae adprime distinguenda sunt. Namque aliud est quaerere, an Deus sit causa mundi, aliud vero, an sit causa creatrix eius, cum sint, ut vidimus permulti, qui putant Deum esse causam mundi, eo quod ipsum ex materia iam existente, vel ex substantia, sive potentia sui eduxit. Quamobrem nos primum demonstravimus Deum esse causam mundi, deinde notione Dei, prout est causa mundi, et notione mundi, prout est eius effectus, expensis, Deum esse causam creatricem mundi *a priori*, atque *a posteriori* evicimus. Ex quo vides cum demonstrationem *a priori*, tum demonstrationem *a posteriori* creationis mundi ita procedere, ut Deum esse causam mundi pro re demonstrata, et concessa sumant. Contra ea, Giobertius argumentis, quae modo confecimus, ambas demonstrationes impugnat, quasi his Deum et esse causam mundi, et esse causam creatricem eius simul demonstretur.

432. His in universum monitis, nullo negotio intelligitur argumentum, quo Giobértius demonstrationem *a priori* explodere nititur, plus in conclusione, quam in praemissis, exhibere, quippe quod in praemissis de notione causae efficientis in universum disseritur, in conclusione autem de causa efficiente creatrice. Enimvero conclusio, quae e praemissis prioris syllogismi fluit, haec est: Ergo a notione Entis, seu Dei, notitia existentis, seu mundi, colligi nequit. Quod quidem argumentum omnino probamus, sed nihil ex eo contra demonstrationem creationis mundi *a priori* confici posse nobis videtur. Nos enim contendimus ab existentia Dei non posse deduci existentiam mundi, quia Deus est causa libera, non vero necessaria mundi; sed certum nobis est, postquam cognitum est Deum esse causam mundi, posse inde colligi mundum originem a Deo per creationem habere, quippe quod notio causae primae, et absolutae, ut vidimus, ad hanc conclusionem nos ducit.

433. Facile quoque est ex praemonitis perspicere vitia alterius argumenti, quo Giobertius creationem mundi ne *a posteriori* quidem demonstrari posse contendit. Nam primo Giobertius falso sumit nos ex eo tantum, quod mundum existere novimus, ad causam eius creatricem, nempe ad Deum creatorem adsurgere. Namque ii, qui demonstrationem creationis *a posteriori* admittunt, primo ex eo, quod mundus existit, Deum esse causam ipsius colligunt; deinde naturam mundi expendunt, ut, quomodo a Deo originem duxerit, cognoscant, atque mundum esse decernunt opus Dei, quod ab eo nonnisi per creationem produci potuit. Secundo Giobertius cognitionem mundi cum realitate eius confundit. Certe mundus, prout in se est, terminus est creationis, seu actionis creatricis Dei, atque a Deo, qui est causa creatrix eius, nonnisi veluti terminus creationis cognosci potest; verum necesse non est, ut a mente humana, cuius cognitio mundum non producit, sed productum expostulat, semper veluti terminus creationis cognoscatur. Quin etiam hoc, uti ex dictis in *Dynamilogia* patet, rationi cognoscendi, quae est propria eius, repugnat; siquidem, cum cognitio humana initio sit imperfecta, atque ad perfectionem sensim progrediatur, necesse est, ut ipsa mundum primo cognoscat, prout est aliquid reale, dein prout est effectus Dei, denique prout est effectus Dei per creationem. Tertio, notitia mundi est principium, ex quo demonstratio creationis *a posteriori* proficiscitur, non prout mundus est terminus creationis, sed prout est effectus Dei; nos enim, ut modo diximus, postquam mundum et esse aliquid reale, et esse effectum Dei novimus, inde ad demonstrandum progredimur ipsum a Dei per creationem effici.

434. Sed de his, quae ex dicendis in *Theodicea* maiorem lucem accipient, satis. Quae quidem si probe considerentur, omne periculum pantheismi tam a demonstratione *a priori*, quam a demonstratione *a posteriori* amovent. Etenim in utraque demonstratione nec sumitur, nec expostulatur nexus necessarius inter Deum, et creationem mundi; sed ex eo, quod Deus est causa mundi, eaque libera, mundum ab Eo per creationem ortum duxisse concluditur.

435. Obiic. Anonymus: Creatio non alia probatione vulgo evincitur, et non alia reapse evinci potest, quam quae *indirecta*, sive *ab absurdis* in Scholis dicitur. Atqui probatio *ab absurdis* scientiam rei, quae probatur, parere nequit. Ergo creatio probatione scientifica, quae unica, secundum Aristotelem, nomen demonstrationis meretur, evinci nequit.

436. Resp. *Neg. mai.*; *dist. min.*: si scientia stricto sensu accipiatur, *conc. min.*; sin lato sensu, *neg. min. Neg. conseq.* Et sane propositio, seu, ut Scholae aiunt, maior omnino falsa est; siquidem omnes Scholastici ad evincendam creationem mundi vestigiis ss. Patrum, in primisque s. Augustini, et s. Anselmi insistentes, validissimas illas probationes directas *a priori*, atque *a posteriori* adduxere, quas antea

exposuimus. Quod vero ad assumptionem, seu minorem attinet, procul dubio cognitio rei tum vere scientifica est, cum ex principiis intrinsecis ipsius rei conficitur; quare, quum probatio indirecta non ex principiis rei probandae, sed ex absurdis, ad quae negatio rei probandae ducit, petatur, veram scientiam rei parere nequit. At si scientia lato sensu sumatur, hoc est, prout certam, atque inconcussam cognitionem denotat, probatio indirecta ipsam nobis omnino largitur, quia tam certum est id, quod probatur, esse verum, quam certum est absurdas esse conclusiones, ad quas eius negatio ducit [1]. Iamvero, quoniam probatione indirecta cognitio certa creationis adquiritur, creationem nobis innotescere ratione ab iis etiam concedendum est, qui illam non alia probatione, nisi indirecta, evinci posse sentiunt. Qua de re tenendum est rationem notitiam creationis cum probatione directa, tum indirecta nobis largiri, hoc discrimine, quod probatione indirecta adquirimus tantum certam cognitionem creationis mundi, et demonstratione directa cognoscimus quoque principia, ob quae productio mundi nonnisi creatio esse potest [2].

437. Inst. idem Anonymus: Atqui demonstratio directa est omnino impossibilis; ergo ruit, saltem ex parte, responsio. Resp. *Neg. min. subs. Prob. min. subs.* In omni demonstratione directa conclusio ex principiis, seu veris iam compertis deduci debet. Atqui *factum* creationis non potest ab ullis principiis deduci. Ergo etc.

438. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons. Prob. min.* Princi-

---

[1]) Id de vi demonstrationis indirectae adnotatum voluimus, quia Anonymus de natura, et vi illius perperam disserit. Ipse enim (*Op.cit.*, § 4, p. 31 sqq, ed. cit.) contendit demonstrationi *ab absurdis* nullum in scientiis locum dari posse, propterea quod praemissae in huiusmodi demonstratione non sunt, nisi ipsa absurda; absurda autem neque sunt vera ad scientiam pertinentia, neque idcirco ex illis aliquod verum erui potest, quod ad scientiam spectet. Ast eum, cum haec, aliaque obtrudat, naturam demonstrationis indirectae ignorare nemo non videt. Nam, si praemissae in demonstratione *ab absurdis* non sunt eiusmodi, ut scientiam conclusionis gignere queant, certe medium sunt, per quod veritas conclusionis nobis innotescit. Quod ut pateat, advertendum est demonstrationem indirectam ad syllogismum disiunctum redigi posse, in quo omnes partes maioris disiunctae secum invicem pugnant, ob idque, exclusis in minori omnibus partibus praeter unam, haec una remanet in conclusione. Iamvero praemissae, ex quibus conclusio in syllogismo disiuncto profluit, non sunt quaedam absurda, sed verae, perfectaeque enunciationes. Namque enunciatio disiuncta, quae maioris officio fungitur, vera est, dummodo omnes partes in ea recenseantur, eaeque ita secum pugnent, ut una vera sit, ceterae falsae (cf vol. I *Log.*, p. I, c. II, art. 4, p. 87-88); licet ipsa nihil de re, quae inquiritur, asserat, aut neget, sed solum ea, quae de ipsa dici possent, recenseat. Altera praemissarum, nempe minor, aeque vera est, quippe quod ipsa a re, de qua aliquid inquiritur, ea removet, quae illi non conveniunt, sive, ut Scholarum more loquamur, dicit non esse, quod non est; id quod logicae veritatis proprium esse diximus. Vid. ibid. art. 3, p. 77.

[2]) Cf vol. I, *Log.*, p. II, c. III, art. 4, p. 168-169.

pia, ex quibus conclusio in syllogismo elicitur, sunt vel absoluta, vel non absoluta, seu contingentia. Atqui conclusio, quae creationem mundi statuit, nec a principiis absolutis, nec a principiis non absolutis deduci quit. Non ab absolutis, quia, cum haec sint necessaria, creatio veluti necessaria in conclusione statueretur, quod est falsum; non a non absolutis, quia, cum haec ad existentiam contingentium spectent, et res contingentes non existant, nisi per creationem, in ipsis sumitur id ipsum, quod in conclusione est statuendum. Ergo etc. [1].

439. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Enunciatio disiuncta, quae est propositio, sive, ut Scholae aiunt, *maior* syllogismi, est falsa, quippe quod in ea desideratur tertia pars, cum conclusio deduci quoque possit ex duabus praemissis, quarum una est absoluta, seu necessaria, altera non absoluta, seu contingens. Hinc, quamvis verum sit conclusionem, qua mundi creatio statuitur, nec a principiis, seu praemissis absolutis, nec a praemissis non absolutis deduci posse, tamen inde confici nequit creationem mundi non posse demonstrari, quia syllogismus, quo creatio mundi demonstratur, habet unam praemissarum absolutam, alteram non absolutam. Enimvero illa enunciatio: *Deus est causa mundi*, est contingens, quia, cum Deus sit causa mundi libera, a mundo creando abstinere potuisset; sed altera: *Causa prima, et absoluta res producit per creationem*, est necessaria, quia Deus res, quas extra se efficere vult, non aliter, quam per creationem efficere potest. Unde argumentum, quo creatio mundi probatur, praemissarum, quae principia conclusionis dicuntur, unam necessariam, seu absolutam, et alteram non absolutam, seu contingentem habet; illudque, ni fallimur, huc redit: Causa prima, et absoluta res extra se non aliter, quam per creationem producit; atqui Deus, qui est causa prima, et absoluta, est auctor mundi; ergo Deus est auctor mundi per creationem. Illud quoque Anonymo concedendum non est, quod in postrema parte minoris asseruit, scilicet praemissam contingentem continere *factum* creationis, quod in conclusione ex praemissis erat colligendum. Etenim in praemissa contingenti mundus ponitur veluti factus a Deo; in conclusione autem veluti factus a Deo per creationem. Quae duo si spectata in se sunt unum, idemque, relata ad cognitionem nostram sunt diversa: quia nos cognoscimus primo mundum esse factum a Deo, deinde factum esse a Deo per creationem. Immo mundus potest cognosci veluti factus a Deo, quin cognoscatur factum esse ab Eo *ex nihilo*, seu per creationem, atque ita re ipsa cognitus a multis ethnicis Philosophis est.

440. Obiic. P. Ventura: Creatio est idea infinita. Atqui idea infinita in rationem humanam cadere nequit. Ergo idea creationis in rationem humanam cadere nequit.

441. Resp. *Dist. mai.*: est idea infinita, si consideretur in se *conc.*

---

[1]) *Op. cit.*, § 4, p. 34, et 35, et passim.

mai.; sin relata ad obiectum, nempe mundum, *neg. mai. Dist.* etiam *min.*: *adaequate, seu comprehensive, conc. min.*; *inadaequate, neg. min. Neg. cons.* Nos certe non arbitramur rationem humanam posse cognoscere actum creativum *adaequate*, et *comprehensive*, hoc est, ita ut cognoscat non modo eius existentiam, sed etiam naturam, quia actus creativus est proprius virtutis infinitae. Verum contendimus rationem humanam posse cognoscere actum creativum *inadaequate*, hoc est, quod Deus mundum a nihilo effecit, quia terminus actus creativi, cum non sit infinitus, ratione humana cognosci potest; cognito autem termino alicuius actus, saltem existentia ipsius actus cognosci debet. Certe mens humana, cum sit finita, non potest cognoscere infinitatem actus creativi, quia infinitum finito comprehendi, seu contineri nequit. Sed aliud est cognoscere infinitatem actus creativi, aliud existentiam eius; quia cum existentia rei possit cognosci, ignorata natura eius, non repugnat cognosci actum creativum, quin infinitas eius cognoscatur.

442. Inst. Creatio mundi, si a ratione humana cognosci posset, certe ipsa Platonem, Aristotelem, aliosque acutissimos Philosophos ethnicos latere non potuisset. Atqui hos omnes, nullo excepto, latuit. Ergo ratione humana cognosci nequit [1].

443. Resp. *Neg. mai.*; *trans. min. Neg. cons.* Utrum creationem mundi omnes ethnici sapientes ignoraverint, necne, ab eruditis, ut innuimus, disputatum est. Quamvis nos cum s. Thoma [2], s. Bonaventura [3], multisque recentibus [4] existimemus creationem ab eis re ipsa ignoratam fuisse [5]; tamen rem non satis liquere non inficiamur. Verum, quocumque modo haec controversia dirimatur, Patri Venturae, aliisque Traditionalistis reponimus nos hic non inquirere, quid sapientes ethnici de origine mundi senserint, sed quid ratio humana de illa nobis suggerat. Haec autem, ut iam vidimus, validissima argumenta nobis suppeditat, quibus creatio mundi evincitur. Ceterum, si mens humana, fatente eodem cl. P. Ventura, postquam notitiam creationis a Revelatione accepit, validam demonstrationem eius conficere potuit, quid vetabat ipsam huiusmodi demonstrationem sine Revelationis subsidio conficere, cum principia, ex quibus innititur, ratione nobis innotescant?

---

1) *Op. cit.*, p. 700 sqq.
2) Vid. I, q. XLIV, a. 2 c., et p. 432, not. 5.
3) Vid. p. 434, not. 3.
4) Vid. p. 417, not. 1.
5) Vid. vol. I, *Criteriol.*, c. III, art. 2, p. 629-630.

ARTICVLVS TERTIVS

Philosophi, qui necessitatem creationis ab aeterno asserunt, refutantur

444. Novimus mundum a Deo per creationem originem habuisse; ast inter ipsos Philosophos, qui creationem mundi admittunt, controversia maximi momenti agitatur, num Deus mundum ab aeterno, an in tempore creaverit. Maximi, inquimus, momenti haec controversia est. Namque nonnulli Increduli, atque hodierni Rationalistae, pantheismum vitare, aut dissimulare volentes, creationem mundi haud negant, sed amplectuntur duo consectaria pantheismi, quae cum creatione pugnant, nempe mundum esse infinitum, atque aeternum [1].

445. Nulli philosopho christiano dubitare licet, quin Deus mundum in tempore creaverit; hoc enim secundum perspicua SS. Scripturarum testimonia, continentemque ss. Patrum traditionem ab Innocentio III in Concilio Lateranense IV definitum fuit [2]; et nuperrime a Concilio Vaticano iis verbis: « Si quis Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum. . . . , anathema sit [3] ». At vero, quoniam Philosophi, queiscum hic manus conserimus, auctoritatem Divinae Revelationis aut aperte despiciunt, aut, si suspicere simulant, perperam interpretantur, philosophus christianus demonstrare debet necesse non fuisse, ut mundus ab aeterno crearetur, proindeque nullis rationis momentis dogma catholicum de temporaria mundi duratione posse oppugnari.

446. Iam necesse haud fuisse, ut mundus crearetur ab aeterno, cum *directe*, tum *indirecte* demonstrari potest. Demonstrationem *directam*, nempe ab ipsius rei principiis petitam suppeditat nobis s. Thomas in hoc loco: « Ex efficiente causa sequitur quod effectum necesse sit esse per hoc, quod agentem necesse est agere; per actionem enim agentis effectus a causa efficiente dependet. Si igitur agentem non necesse sit agere ad productionem effectus, nec effectum necesse est esse absolute. Deus autem non agit ex aliqua necessitate ad creaturarum productionem. . . Non est igitur absolute necesse creaturam esse, necessitate pendente a causa efficiente [4] ».

447. Hocce argumentum totam suam vim ex eo derivat, quod Deus non est causa necessaria, sed libera mundi; quia, cum Deus sit causa

---

1) Cf p. 418-419.
2) Cap. Firmiter; *De Trinit. et Fide Cathol.*
3) *Sess.* III, *Const. Dogm., De Fide Cathol.*, Can. I, n. 5.
4) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 31, n. 1.

libera mundi, sicut poterat a mundo creando abstinere, ita eum in tempore creare potuit. Quoniam Deum esse causam liberam, non necessariam mundi in *Theodicae*, demonstrandum nobis erit, hic brevem demonstrationem conficiemus ex illis locis, ad quae idem Aquinas nos amandat. Si Deus est causa necessaria mundi, id ex alterutro capite evenire potest: vel quod illum producit ex necessitate naturae, non vero ex voluntate, quemadmodum Pantheistae volunt, vel quod producit eum ex voluntate, sed necessaria, non libera. Atqui neutrum dici potest. Certe non primum, quippe quod est manifestum consectarium pantheismi. Re vera Deus, ut sanctus Doctor argumentatur, cum sit essentia sua intelligens, « per intellectum agit. Intellectus autem non agit aliquem effectum, nisi mediante voluntate, cuius obiectum est bonum intellectum, quod movet agentem ut finis. Deus igitur per voluntatem agit, non per necessitatem naturae[1] ». Nec alterum, quemadmodum idem Aquinas probavit his paucis: « Voluntas non ex necessitate fertur in ea, quae sunt ad finem, si finis sine his esse possit... Cum igitur Divina Bonitas sine aliis esse possit, quin immo nec per alia ei aliquid accrescat, nulla inest Ei necessitas, ut alia velit, ex hoc quod vult suam bonitatem[2] ».

448. Non minus plana est demonstratio indirecta, nempe petita ex solutione argumentorum, quae adversarii adducunt, cum haec sint prorsus futilia. Satis est audire Saissetum, qui argumenta ab antiquis haereticis concinnata, atque ab Incredulis XVI, et XVII saec. repetita, breviter perstrinxit, ipsoque verborum lenocinio expoliavit[3].

449. Obiic. 1° Saissetus: Si Deus mundum in tempore creavit, pro-

---

1) *Op. cit.*, ibid., c. 23, n. 3.

2) *Op. cit.*, lib. I, c. 81, n. 1. Legesis multa alia argumenta eiusdem Doctoris *ibid.*, lib. II, c. 31-37, et I, q. XLVI, a. 1. Hanc argumentationem s. Thomas ex ss. Patrum libris hausit. Hi enim observarunt Neoplatonicos, aliosque ad necessitatem creationis aeternae propugnandam ex eo adductos fuisse, quod Deum esse causam naturalem, non vero liberam rebantur. Omnium instar sit s. Ambrosius, qui ait: « Plerique, qui coaeternum Deo mundum volunt esse, quasi adumbrationem virtutis divinae, asserunt eum etiam sua sponte subsistere; at, quamvis causam eius Deum esse fateantur, causam tamen volunt non ex voluntate, et dispositione sua, sed ita ut causa umbrae corpus est. Adhaeret enim umbra corpori, et fulgor lumini, naturali magis societate, quam voluntate arbitra » (*Hexaëm.*, lib. I, c. 5). Legere e re est Zachariam Mytelenaeum, *Op. cit.*, p. 349.

3) Haec argumenta eadem fere sunt, quae Aristoteles, et Proclus ad mundi aeternitatem probandam excogitarunt. Nam, cum sententia philosophorum, quos impugnamus, adfinis sit theoriae aristotelicae de aeternitate mundi, illos ab Aristotelis, eiusque sectatorum libris arma sumpsisse nemo mirabitur. Argumenta Procli ad duodeviginti revocavit, lateque confutavit Philoponus in opere *De aeternitate mundi*, interp. Gasp. Marcello, Venetiis 1551, atque inter recentes tum haec Procli, tum duodecim ex *Phys.*, et *Metaph.* Aristotelis excerpta ad examen revocavit Benedictus Pererius e S. I. in egregio op., *De communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus*, lib. XV, et ult., p. 464 sqq, Romae 1576.

cul dubio mutatus est; atqui repugnat Deum mutari; ergo mundum in tempore creatum esse repugnat.

450. Resp. *Neg. mai. Prob. min.* Si Deus mundum in tempore creavit, certe a potentia ad actum transiit, quia e non creatore factus est creator. Atqui quisquis a potentia ad actum transit, mutatur. Ergo etc. [1].

451. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Enimvero, quandoquidem actio in Deo ab essentia non distinguitur [2], Deus cum aliquam rem creat, novum quidem producit effectum, sed non novam actionem; quapropter non transit de potentia ad actum, sed ex eo ipso, quod in actu est, illas creat. Quare, licet effectus Dei sint in tempore, tamen actio, qua illos producit, cum sit eadem cum essentia Eius, est aeterna, perinde ac essentia. « Novitas autem, ait Aquinas, divini effectus non demonstrat novitatem actionis in Deo, cum actio sua sit sua essentia. Unde neque novitas effectus mutationem Dei agentis demonstrare potest [3] ».

452. Inst. 1° Saissetus: Quoniam actio Dei ab Eius essentia non distinguitur, ipsa, aeque ac essentia, aeterna est. Atqui actionis aeternae terminus aeternus esse debet. Ergo.

453. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min., et cons.* Namque, uti alias videbimus, facere in Deo est idem, ac intelligere, et velle; quia Deus hoc ipso, quod aliquid intelligit, et vult, illud facit [4]. Iam perspicuum est Deum posse per intellectum determinare non solum quod aliquid sit, sed etiam quod sit certo tempore, proindeque velle non solum ut aliquid sit, sed ut certo tempore sit. Atqui voluntas Dei effectum per se producit, quia in Eo idem est velle, ac agere. Ergo Deus potest ab aeterno velle ut aliquid in tempore fiat, quin aliquid novi velit, agatque, cum illud in tempore fit. Quod declaravit s. Thomas hoc exem-

---

[1]) *Op. cit.*, Medit. V, t. II, p. 114, et 115, ed. cit. Quod a Robineto (*Op. cit.*, part. VI, c. 32) sumpsit. Uterque autem secutus est Origenem, cui s. Methodius hanc tribuit sententiam: « Quin et alterari, mutarique continget, immutabilem Deum ac invariabilem. Si enim tandem aliquando creavit universum, haud dubie non creando, mutatus transivit ad creandum » (*Excerp. ex libr. De creatis*, c. 2, apud Galland., *Bib. PP.*, t. III, p. 797, Venetiis 1767); et Proclum (apud Pererium, *Op. cit.*, lib. cit., c. 4, Arg. VI, p. 473). Omnibus viam straverat Aristoteles *Met.*, lib. XI, c. 7, § 11, ed. cit.). S. Augustinus hanc rationem ab eis adductam fuisse scribit, « ne subito illi (*Deo*) venisse credatur in mentem, quod numquam ante venisset, facere mundum, et accidisse illi voluntatem novam, cum in nullo sit omnino mutabilis »; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 4, n. 2.

[2]) Cf *Ontol.*, c. V, art. I, p. 144, not. 3.

[3]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 35.

[4]) Apposite Clemens Alex.: « Quanta est autem Dei potentia, cuius sola voluntas est mundi creatio? . . . is autem opera sua volendo conficit, eiusque velle sequitur fieri »; *Cohort. ad Gent.*, c. 4, ed. cit. Cf s. Athanas., *Oratio II Contra Arianos*, n. 2, ed. cit.

plo : « Non enim solum ars determinat ut hoc tale sit, sed ut tunc sit, sicut medicus, ut tunc potio detur; unde, si eius velle per se esset efficax ad effectum producendum, sequeretur de novo effectus ab antiqua voluntate, nulla actione de novo existente. Nihil igitur prohibet dicere actionem Dei ab aeterno fuisse, effectum autem non ab aeterno, sed tunc cum ab aeterno disposuit [1] ». Idem ex eo comprobavit, quod in Deo, sicuti in iis omnibus, quae per voluntatem operantur, voluntas est principium formale actionis [2].

454. Inst. 2°: Si Deus mundum in tempore condidit, Ipse factus est in tempore creator, dominus, rex, aliaque huiusmodi, cum nihil horum ante mundi molitionem esset. Atqui id sine aliqua mutatione Dei intelligi non potest. Ergo, si Deus mundum in tempore condidit, Eum in mundo condendo mutatum fuisse dicendum est.

455. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Namque, ut scite s. Methodius Martyr [3] observavit, ii, qui Deum, si in tempore factus est creator, dominus, rex, aliudque huiusmodi, mutatum esse censent, pro certo, concessoque sumunt Deum ex mundi creatione aliquid perfectionis hausisse, proindeque esse perfectum *non a se, sed a rebus subiectis, et creatis*, ita ut sine rebus a se creatis imperfectus esset. Hoc autem sanctus Martyr veluti errorem, qui per se manifestus est, reiecit. Quo autem eius responsio intelligatur, illud, quod in *Theodicea* videbimus, hic monendum censemus, relationes creatoris, domini, regis, aliasque, quas Deus, ob creationem mundi, cum rebus habet, esse quidem *reales* in creaturis, sed in Deo dumtaxat *logicas*, seu *rationis*, quia Deus, cum res creat, nihil entis ab ipsis accipit, sed rebus, quidquid entis in ipsis est, largitur [4].

456. Obiic. 2° idem Saissetus [5]: Si mundus esset a Deo creatus in

---

[1]) *Contr. Gent.*, loc. cit. Perbelle ad hanc rem inquit s. Augustinus: « Potest (Deus) ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium »; *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 17, n. 2. Cf *ibid.*, c. 14, et lib. XI, c. 4, cuius haec conclusio est: « Sic ergo credant et mundum ex tempore fieri potuisse, nec tamen ideo Deum in eo faciendo aeternum consilium, voluntatemque mutasse ».

[2]) « In agentibus, scribit, per voluntatem, quod conceptum est, et praedefinitum, accipitur ut forma, quae est principium actionis. Ex actione igitur Dei aeterna non sequitur effectus aeternus, sed qualem Deus voluit, ut scilicet haberet esse post non esse »; I, q. XLVI, a. 1 ad 10. Cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. I, pars I, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[3]) *Op. cit.*, ibid., p. 799, et 800.

[4]) Audiendus est s. Augustinus: « Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici; non tamen secundum accidens Dei, quod Ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relative »; *De Trin.*, lib. V, c. 16, n. 17, Cf *Ontol.*, IV, art. 2, p. 137, not. 4.

[5]) *Medit.* cit., p. 114. Cf Procl., *Op. cit.*, Arg. V (apud Pererium, *Op. cit.*, p. 472). Hoc argumentum quoque Kantius in *antinomiis cosmologicis* inculcavit, de

tempore, Deum ante mundum fuisse dicendum foret. Atqui consequens est absurdum. Ergo et antecedens.

457. Resp. *Con. mai. Neg. min.*; *neg. cons. Prob. min.* Si Deus fuisset ante mundum, consequeretur Deum esse in tempore, quia *prius*, et *posterius* sunt differentiae temporis, tempusque fuisse, antequam res creatae existerent, sive antequam tempus esset. Atqui utraque pars consequentis absurda est. Ergo.

458. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Quamvis notio aeternitatis omnem notionem successionis excludat; tamen, cum ens aeternum in suo *esse* perseverare intelligamus, in aeternitate quamdam durationem admittere cogimur. Quamobrem, si in rebus creatis agnoscimus durationem cum successione, in Ente increato, quippe quod aeternum est, durationem sine successione admittimus [1]; sed hanc durationem quoque, quamdiu anima cum corpore coniungitur, sine aliqua successione imaginari nequimus. Quod cum ita se habeat, liquet, cum Deus ante mundum fuisse dicitur, hanc anterioritatem, ut s. Thomas advertit, intelligendam esse de duratione aeternitatis, non vero temporis [2], vel de aeternitate temporis imaginati, non vero realis [3]. Hinc commode dici potest Deum fuisse ante mundum, quin vel Deum in tempore esse, vel tempus ante mundum fuisse statuatur. *Prius* vero, et *posterius*, seu *ante*, et *post*, si considerentur in ipso tempore, procul dubio quaedam eius differentiae sunt; verum, si considerentur relata ad aeternitatem, non aliud denotant, nisi relationem temporis ad ipsam. Nam, cum nos successioni assueti simus, *instans*, quod est proprium aeternitatis, relatum ad successionem temporis non aliter intelligere possumus, quam veluti aliquid, quod in suo *esse* immotum permanet, dum res tempori subiectae sibi succedunt, et, quandoquidem *esse* illius *instantis* est aeternum, nos concipimus illud fuisse, antequam successio temporis inceperit, et futurum, si successio temporis desineret. Quare dicimus Deum fuisse ante mundum, et mundum esse post Deum, non quod Deum, perinde ac mundum, tempore contineri intelligimus; sed quod, cum Deum extra omne tempus esse intelligimus, intelligimus; quoque Deum fuisse ante mundi molitionem, et mundum esse incepisse, cum Deus esset [4].

---

quibus vid. *Critique de la raison pure, Dialect. transcend.* c. I, sect .2, t. II, p. 24 sq, ed. cit.

[1]) Cf *Ontol.*, c. VII, art. I, p. 183-184.

[2]) « Deus, ait s. Thomas, praecedit mundum duratione non quidem temporis, sed aeternitatis »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 17 ad 20.

[3]) « Deus est prior mundo duratione. Sed ly *prius* non designat prioritatem temporis, sed aeternitatis. Vel dicendum, quod designat aeternitatem temporis imaginati, et non realiter existentis, sicut cum dicitur: supra coelum nihil est, ly *supra* designat locum imaginatum tantum, secundum quod possibile est imginari, dimensionibus caelestis corporis dimensiones alias superaddi »; I, q. XLVI, a. 1 ad 8.

[4]) Praeclare s. Augustinus: « Sed et si prius cessavit, et posterius operatus est

459. Obiic. 3° Saissetus: Deus, cum sit infinite bonus, non modo debet extra se per creationem bonitatem suam effundere, sed etiam ex omnibus possibilibus semper illud efficere, quod omnium optimum est. Atqui mundum semper fuisse et possibile est, et melius est, quam non semper fuisse. Ergo Deus mundum ab aeterno efficere debuit [1].

460. Resp. *Neg. mai.*; *trans. min. Neg. cons.* Hocce argumentum in primis duo pro certis, et concessis sumit, quorum unum est absurdum, alterum vero saltem incertum. Etenim 1° falsa est, ut mox videbimus, illa Leibnitii theoria, quae sub *optimismi* nomine vulgata est, scilicet Deum semper facere illud, quod omnium possibilium est optimum; 2° non satis liquet, num creatio mundi ab aeterno sit possibilis, cum de illa inter Theologos, et Philosophos vehementer decertetur. Praeterea ex eo, quod Deus est infinite bonus, non modo non sequitur Eum debuisse mundum ab aeterno creare, sed ne sequitur quidem Eum necessario debuisse ipsum creare. Et sane, si natura boni expostulat, ut seipsum cum aliis communicet, procul dubio haec communicatio consentanea naturae eiusdem boni esse debet. Atqui Deus est, uti alias ostendemus, causa summe intelligens, proindeque liberrima mundi. Ergo ex eo, quod Deus est infinite bonus, seu Summum Bonum, Eum mundum ab aeterno creare debuisse concludendum non est. Quod si Deus mundum creare a sua natura coactus non est, potuit ipsum creare, cum voluit [2]. Haec responsio, ut patet, illam quaestionem effugit, num creatio mundi ab aeterno sit possibilis, ac proinde ab iis etiam admitti debet, qui mundum ab aeterno creari potuisse sentiunt. Ast iis, qui volunt aeternam mundi creationem sibi repugnare, altera responsio dari potest, scilicet Deum, quamvis sit Summum Bonum, tamen non potuisse mundum ab aeterno creare, quia Deus efficere nequit id, quod repugnat; cuiusmodi est creatio mundi ab aeterno.

(quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi), hoc procul dubio, quod dicitur, prius, et posterius, in rebus prius non existentibus, et posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram praecedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una, eademque sempiterna, et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt: hinc eis, qui talia videre possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex aeternitate initio carente in non minore beatitate permansit »; *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 17, n. 2. Cf Martin, *Philos. spiritual.*, Part. 2, c. 9, p. 248, et 249.

[1]) *Medit.* cit., p. 118, et Eclairciss. 3e, p. 398. Hoc argumentum suffuratus est ab Aristotele, *Met.*, lib. XI, c. 6, ed. cit., et a Proclo, *Op. cit.*, Arg. II, apud Pererium, *Op. cit.*, p. 468.

[2]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 17 ad 1. « Et unde iste calumniatur, inquit s. Augustinus, cur non ista bona tam olim, quam olim est ipse, fecerit Deus; hinc potius intelligendum est, quod non ea fecerit eorum indigus, sine quibus esse in sua perfecta beatitudine potuit sine initio sempiternus. Ideo quippe istorum

461. Obiic. 4° fautores aeternae creationis mundi: Si Deus mundum in tempore creasse dicatur, illud quoque dicendum est, Deum a tota aeternitate ab omni opere vacasse, nullamque esse rationem, ob quam mundum hoc potius, quam alio tempore, creavit. Atqui utrumque consectarium est absurdum. Ergo Deum mundum in tempore creasse non sine absurditate dici potest [1].

462. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Nos lubenter concedimus Deum non potuisse unquam ab omni opere vacare, et sine ulla ratione mundum uno potius, quam alio tempore, creare; at contendimus haec duo absurda pronuntiata haud fluere ex theoria, quae temporalem creationem mundi statuit. Namque is, qui asserit Deum, si mundum ab aeterno non condidit, ante molitionem mundi ab omni opere vacasse, et sine ulla ratione mundum potius uno, quam alio tempore, condidisse, sumit fuisse aliquod tempus, antequam res creatae existerent, Deumque illius vicissitudinibus subiici, quippe quod *prius*, et *posterius*, quae sunt propria temporis, et ante molitionem mundi, et in Deo admittit. Atqui utraque sumptio, sive, ut Scholae aiunt, *suppositio* est absurda. Namque 1° tempus, ut suo loco ostendimus, ante rerum creatarum molitionem nec esse, nec concipi potest; 2° quoniam aeternitas in instanti posita est, omnemque successionem expellit, Deum, qui aeternus est, in tempore esse, eiusque vicissitudines experiri repugnat. Ergo, si mundus a Deo in tempore creatus fuisse dicatur, non ideo dicendum est Eum a tota aeternitate ab omni opere vacasse, aut sine ulla ratione mundum potius hoc, quam alio tempore, creasse [2]. Operae pretium est audire s. Augustinum. Is interroganti: « Si in principio aliquo temporis fecit Deus coelum, et terram, quid agebat antequam faceret coelum, et terram? et quid Ei subito placuit facere, quod numquam antea fecerat per tempora aeterna? » respondit: « Ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora; et ideo, antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus, quod Deus non fecerat, cum omnium temporum Ipse sit fabricator? Et, si tempus cum coelo, et terra esse coepit, non potest inveniri tempus, quo Deus nondum fecerat coelum, et terram. Cum autem dicitur: Quid ei

---

faciendorum causa sola Dei bonitas fuit, quia necessitas eius ulla non fuit »; *Contr. Adv. Legis, et Proph.* lib. I, c. 7, n. 10.

[1]) Ita antiqui haeretici, et neoplatonici apud s. Irenaeum, et s. Augustinum in locis, quae mox citabimus, atque ex neoplatonicis praesertim Proclus, *Op. cit.*, Arg. I, apud Pererium, *Op. cit.*, p. 468.

[2]) « Cum autem, inquit Thomassinus, idem fuerit mundi, temporisque exordium, nulla ante mundum fluxere tempora, quibus vacavit Deus ab opere. Non ergo prius cessavit, inde creavit, quia creationem temporum nullum prius, nullum posterius antecessit »; *Theol. Dogm., de Deo, Deique propr.*, lib. I, c. VI, § 8.

placuit subito, sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nihil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora [1] ». Hinc s. Thomas sapienter monuit, cum *de exitu universi esse* disseritur, non esse investigandum, cur *tunc, et non prius fuerit*, sed cur Deus *tali tempori talem mensuram praefixerit* [2].

463. Accedit, quod, observante s. Bonaventura, quoniam Deus est ipsa sua actio, nihil novi ei advenire potest, quoties aliquid operatur. Atqui, si Deo per productionem mundi nihil novi advenit, cogitari nequit Eum, antequam mundum crearet, otio vacasse, atque, cum mundum creavit, ab otio ad actum transiisse. Ergo, si Deus mundum in tempore, non autem ab aeterno creasse dicatur, ideo dicendum non est Eum, antequam mundum moliretur, otio vacasse [3].

464. Quae cum ita sint, concludendum est cum s. Augustino, sicut certum est, « inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita ima-

---

[1]) *De Gen. contr. Manich.* lib. I, c. 2, n. 3. Aliis locis omissis (*De Civ. Dei*, lib. XI, c. 5, et 6), sanctus Doctor Deum ita allocutus est: « Cum ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus antequam faceres coelum et terram, cur dicitur, quod ab opere cessabas? Idipsum enim tempus tu feceras, nec praeterire potuerunt tempora,antequam faceres tempora. Si autem ante coelum, et terram nullum erat tempus, cur quaeritur, quid tunc faciebas? Non enim erat Tunc, ubi non erat tempus » (*Confess.*, lib. XI, c. 13, n. 15). S. Irenaeus haereticis respondit soli Deo notum esse, quid Ipse ageret, antequam mundum conderet. « Quoniam autem, ait, mundus hic factus est apotelestos (perfectus), a Deo temporale initium habens, Scripturae nos docent; quid autem ante hoc Deus sit operatus, nulla Scriptura manifestat. Subiacet ergo haec responsio Deo »; *Contr. haeres.*, lib. III, c. 28, n. 3.

[2]) « Ipsum tempus in universitate eorum, quae a Deo facta sunt, continetur; unde, cum de exitu universi esse a Deo loquimur, non est considerandum quod tunc, et non prius fecerit. Ista enim consideratio tempus praesupponit ad factionem, non autem subiicit factioni. Sed si universitatis creaturae productionem consideramus, inter quas est etiam ipsum tempus, est considerandum, quare tali tempori talem mensuram praefixerit, non autem, quare hoc fecerit in tali tempore. Praefixio autem mensurae temporis dependet ex simplici voluntate Dei, qui voluit, quod mundus non esset semper, sed quandoque esse incipéret »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 17 c.

[3]) « Quod obiicitur, si de non producente factus est producens, mutatus est ab otio in actum, dicendum quod quoddam est agens, cuius actio, et productio addit aliquid supra agentem, et producentem. Tale cum de non agente fit agens, variatur aliquo modo, et in tali ante operationem cadit otium, et in operatione additur complementum. Aliud est agens, quod est sua actio, et tali nihil omnino advenit, cum producit, nec etiam in eo fit aliquid, quod non prius infuit; et tale nec recipit complementum in operando, nec in non operando est otiosum, nec cum de non operante fit producens, mutatur ab otio in actum. Tale autem est Deus, etiam secundum Philosophos, qui posuerunt Deum simplicissimum; patet ergo quod stulta est eorum ratio; si enim propter otium vitandum res ab aeterno produxisset, sine rebus perfectum bonum non esset, ac propter hoc nec cum rebus, quia perfectissimum seipso perfectum est »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. I, a. 1, q. 2 *ad arg.*

ginantur loca, cum locus nullus sit praeter mundum [1] », ita quoque « inaniter homines cogitare praeterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum [2] ». Secundum hanc theoriam idem sanctus Doctor duo statuit, quae digna notatu sunt. Primum est, quod, si presse loqui voluerimus, mundus nobis dicendus est creatus *cum* tempore, non vero *in tempore*. En pauca eius verba: ... « procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim fit in tempore, et post aliquod fit, et ante aliquod tempus; post id quod praeteritum est, ante id quod futurum est; nullum autem posset esse praeteritum: quia nulla erat creatura, cuius mutabilibus motibus ageretur [3] ». Alterum est, quod sine ullo errore asseri potest mundum semper fuisse, quia, cum tempus, et res creatae simul esse coepissent, procul dubio nullum tempus assignari potest, in quo mundus non fuerit. « Quomodo, ait, non semper, cum id, quod est omni tempore, non inconvenienter semper esse dicatur? » et paulo inferius: « Quis autem dicat: non semper fuit, quod omni tempore fuit? [4] »

465. Obiic. 5° Bersotus [5], et Saissetus [6]: Causa, quae ab aeterno est in actu, ab aeterno effectum producit. Atqui Deus est causa mundi, quae ab aeterno est in actu. Ergo mundus ab aeterno a Deo effectus fuit.

466. Resp. *Dist. mai.*: si sit causa necessaria, *conc. mai.*; si causa libera, *neg. mai. Dist.* etiam *min.*, est causa necessaria, *neg. min.*, libera, *conc. min. Neg. cons.* Hanc difficultatem, quae recidit in alteram ante confutatam [7], s. Thomas iam sibi proposuerat, solideque solverat hoc modo: Posita causa, quae est in actu, necesse quidem est ponere eius effectum; verum effectus debet naturae causae respondere. Quare, si causa effectum secundum naturam suam producat, ea posita, effectum extra ipsam ponere necesse est, quia quidquid naturam rei consequitur, necessarium, perinde ac ipsa natura, est. At, si causa effectum secundum propositum voluntatis suae producat, necesse non est, ea posita, effectum eius extra ipsam ponere, quia effe-

---

1) Vid. *Ontol.*, c. VI, art. 2, p. 178.

2) *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 5. Cf *Ontol.*, c. VII, art. 2, p. 189, not. 4.

3) *Op. cit.*, ibid., c. 6.

4) *Op. cit.*, lib. XII, c. 15, n. 1. Quoniam haec est germana doctrina s. Augustini, vehementer hallucinatus est Saissetus, cum scripsit hypothesim creationis aeternae s. Augustino visam fuisse innoxiam, et libertati Dei haud repugnantem (*Op. cit.*, Eclairciss. 3, § 1, t. II, p. 374 sqq). Namque, ut illa, quae ex sancto Doctore adduximus, aliaque multa praetereamus, potuitne sanctus Doctor existimare *innoxiam* illam sententiam, quam apertis SS. Scripturarum testimoniis contradicere saepe dixit?

5) Bersot, *Du spiritualisme, et de la nature*, 1e Part., c. 10, p. 149 sqq.

6) *Oeuvr. de Spinosa*, trad. par Saisset, Introd., vol. I, p. LXXI, Paris 1842.

7) Vid. p. 441-443.

ctus causae ex libera voluntate operantis non solum debet esse talis, qualem ipsa vult, sed tum quoque, cum ipsam vult. Hinc, quoniam Deus est causa liberrima mundi, consequitur, etsi actus creationis sit ab aeterno, tamen necesse non esse, ut effectus eius, nempe mundus sit aeternus [1].

467. Obiic. 6° Saissetus: Absurda esset opinio de creatione mundi aeterna, si aeternitatem tribueret mundo absolutam, non vero relativam. Atqui defensores aeternae creationis mundi non tribuunt mundo aeternitatem absolutam, sed relativam. Ergo opinio de creatione mundi aeterna non est absurda [2].

468. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Certe Saissetus, aliique nuperi, qui aeternitatem mundo tribuunt, hanc non quidem absolutam, sed relativam, sive, ut Scholae aiunt, *participatam* esse volunt; sed falluntur quoque, quod hanc aeternitatem relativam mundo esse necessariam pertendunt. Nam, si disputare, ut mox dicemus, licet, utrum, necne aeternitas relativa, et participata mundo repugnet, certo certius est 1° necesse non esse, ut mundo haec aeternitas tribuatur, quia mundum creatum esse in tempore non repugnat, immo, docentibus iis ipsis, qui creationem mundi ab aeterno possibilem esse putant, convenientius est [3]; 2° mundum re ipsa in tempore esse creatum. Saissetus autem hac distinctione aeternitatis in relativam, et absolutam a telis adversantium se extricare frustra conatus est; siquidem argumenta, quae contra creationem mundi ab aeterno afferuntur, necessitatem aeternitatis non modo absolutae, sed etiam relativae mundi destruunt.

469. Cousinum, aliosque, qui aeternitatem creationis ab eius necessitate deducunt, vel certe facultatem deducendi aliis faciunt, inauditos hic mittimus, quia argumenta, quibus necessitatem creationis stabilire conantur, in *Theodicea* solvenda nobis erunt.

---

[1]) Cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 17 ad 6, et ad 26. « Dicendum, inquit s. Bonaventura, quod causa sufficiens ad aliquid est duobus modis, aut operans per naturam, aut per voluntatem, et rationem. Si operans per naturam, sic statim, cum est, producit. Si autem operans per voluntatem, et quamvis sit sufficiens, non oportuit, quod statim, cum est, operetur . . . ideo Divina voluntas, quae operatur secundum Divinam Sapientiam, produxit non ab aeterno, sed in tempore, quia et sicut produxit, sic et disposuit, et sic voluit. Ab aeterno enim voluit producere tunc quando produxit; sicut ego nunc volo cras audire Missam ». Et paulo post: « Dicendum, quod causa duobus modis potest esse in actu. Aut in se, ut si dicam, sol lucet, aut in effectu, ut si dicam, sol illuminat. Primo modo Deus semper fuit in actu, quoniam ipse est actus purus, nihil habens admixtum de possibili. Alio modo non semper in actu, non enim semper fuit producens »; *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. I, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[2]) Vid. p. 419, not. 6.

[3]) *Qq. dispp. De Pot.*, q. III, a. 17 ad 8.

ARTICVLVS QVARTVS

Investigatur, an mundus ab aeterno creari potuerit

470. Postquam ostendimus futilia esse rationis momenta, quibus creatio temporalis mundi oppugnatur, secunda quaestio modo solvenda nobis est, utrum temporalis creatio mundi inconcussis, firmisque argumentis probari possit, an ex sola Fide nobis certo innotescat. Solutio huius quaestionis pendet a solutione alterius, nempe, utrum Deus mundum ab aeterno creare potuerit, quia, si Deus mundum ab aeterno creare potuit, nulla certa ratio ad demonstrandam temporariam mundi creationem nobis suppetit.

471. Inter Philosophos Christianos s. Thomas post Boëtium [1] secundum Ecclesiae Catholicae doctrinam tuitus est Deum e nihilo mundum in tempore fecisse; sed contendit Deum potuisse mundum ab aeterno creare, quia aeternitas creationis nihil prae se fert, quod naturae Dei creantis, aut rebus ipsis creatis adversatur. Hinc statuit creationem mundi in tempore non certis, sed dumtaxat probabilibus momentis rationis posse probari, certamque notionem temporalis creationis mundi ex sola Fide nobis suppetere [2]. Idem senserunt multi e Schola s. Thomae, nec non Durandus [3], aliique [4]. At vero B. Albertus M. [5], s. Bonaventura [6], Henricus Gandavensis [7], aliique multi Deum mundum ab aeterno creare haud potuisse vehementer pugna-

---

[1]) *De Consol.*, lib. V, Prosa 6, *Opp.* p. 1113, et 1114, ed. cit.

[2]) I, q. XLVI, a. 2; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 14; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 38; *Opusc.* XXVII, ed. Rom., *De aeternitate mundi contra murmurantes.*

[3]) *In lib. II Sent.*, c. 1, q. 2.

[4]) Haec sententia ab errore Rationalistarum, quem exposuimus (p. 418-419), immane quantum distat. Etenim Rationalistae tenent omnino necesse fuisse, ut Deus mundum ab aeterno crearet, proindeque creationem mundi veluti aeternam, et necessariam traducunt. At s. Thomas illud dumtaxat sibi voluit, nihil, seposita Revelatione, prohibere, quominus Deum mundum ab aeterno creasse putetur, et quandoquidem mundum liberrime creavit, ipsum, sicut poterat non creare, ita vel ab aeterno, vel in tempore creare potuisse. Hinc illi Rationalistae dogma catholicum de creatione mundi in tempore negare coacti sunt; s. Thomas vero illud, quin principiis suis contradiceret, asserere, et propugnare potuit.

[5]) *In lib. II Sent.*, Dist. I, et *Physic.*, lib. VIII, tract. I, c. 1.

[6]) *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, a. 1, q. 1, in qua, cum inquireret: « An Deus potuerit facere mundum antiquiorem », respondit: « Potuit, sed non ita, quin principium haberet ». Omnino autem fieri non potuisse, ut mundus principio careret, vehementer asseruit his verbis: «... credo impossibile simpliciter, quoniam implicat in se contradictionem. Ex hoc enim quod ponitur fieri, ponitur habere principium; ex hoc autem quod ponitur aeternus, ponitur non habere principium »; *ibid.*

[7]) *Quodlib.* I, q. VII, et *Quodlib.* IX, q. XVII.

runt. Scotus [1] denique, Ockamus [2], eorumque discipuli, asserentem sententiam esse longe probabiliorem negante senserunt.

472. SS. Patres, ceterique Scriptores Ecclesiastici hanc controversiam data opera non tractarunt; verum ea, quae de origine mundi contra Gnosticos, aliosque haereticos, et de generatione Verbi contra Arianos disputarunt, attente expendentibus certum nobis videtur illos, saltem maximam partem, in hac sententia versatos fuisse, quod mundus ab aeterno creari non potuit [3].

473. Recentes fere omnes negantem sententiam amplexi sunt, eiusque patrocinium magna animi contentione cl. P. Tongiorgi nuperrime suscepit [4]. Nihilominus sententia s. Thomae in hac ipsa recenti aetate non modo innumeros defensores inter Scholasticos, sed etiam Wolfium, et quam plurimos ex eius Schola consentientes nacta est [5].

474. Quo in hac re accurate, dilucideque versemur, primo adducemus quasdam rationes probabiles, quae temporalem mundi creationem suadent; deinde investigabimus, utrum argumenta, quae ad necessitatem creationis temporalis demonstrandam afferri solent, sint adeo firma, et certa, ut nullo pacto solvi possint [6].

---

1) *In lib. II Sent.* q. 3.

2) *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. 8, et *Quodlib.* II, q. 5. Videsis etiam celeb. eius discipulum Biel, *In lib. II Sent.*, Dist. 1, q. 3.

3) Cf Petavium, *De Deo, Deique proprietatibus* etc. lib. III, c. 8, et *Adnott.* in h. l., ed. Rom. 1857. Non pauci discipuli s. Thomae pugnant ex locis ss. Patrum, quae adversarii proferre solent, nihil contra opinionem magistri sui extundi posse, quia ss. Patres non loquuntur de aeternitate proprie dicta, seu *essentiali*, quae et omne initium causalitatis, et omnem successionem excludit, sed de aeternitate participata, quae initium causalitatis habet, successionemque admittit. Quod quidem a Boëtio de sententia Platonis scite observatum fuisse ipse s. Thomas monuit (vid. Boët., *Op. cit.*, ibid., et s. Thom., *Opusc.* XXVII cit.). Illi huic rationis momento nituntur, quod ss. Patres pugnant contra Arium, qui Verbum a Deo Patre creatum, simulque huic coaeternum esse autumabant (cf e. gr. Goudin, *Op. cit.*, *Phys.*, Pars II, Disput. unic., q. I, art. 3, t. III, p. 23 sq, et Roselli, *Op. cit.*, *Phys. part.*, q. I, art. 6, p. 36, not. 1). At nobis probabile videtur ss. Patres, cum res creatas non posse esse aeternas docent, omnem aeternitatem tum essentialem, tum participatam saepe ab eis removere. Saltem plerosque inquimus, quia praesertim de s. Augustino res dubia est. Certe s. Thomas, quo fortasse nemo melius inter Scholasticos mentem s. Augustini assecutus est, censuit s. Augustinum nullam vidisse repugnantiam in eo, quod mundus ab aeterno creatus esset. Ait enim: «... mirum est, quomodo Augustinus, et nobilissimi Philosophi non viderint hanc repugnantiam» (*Opusc.* XXVI *De aeternitate mundi*). Hoc iudicium Aquinatis de s. Augustino nonnulli recentes Scriptores historiae dogmatum probarunt, inter quos satis est nominare Henricum Klee, *Storia de'dogmi*, trad. dal ted., part. II, c. 3, p. 177, Napoli 1857.

4) *Op. cit.*, *Cosmol.*, lib. II, c. 3, part. 4, t. II, p. 333 sqq, ed. cit.

5) Vid. Wolfium, *Theol. natur.*, Pars II, c. 1, § 447, ed. cit.

6) « Has rationes, quia usquequaque non de necessitate concludunt, licet probabilitatem habeant, sufficit tangere solum, ne videatur Fides Catholica in vanis rationibus constituta, et non potius in solidissima Dei doctrina »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 38, n. 6. Cf I, q. XLVI, a. 2 c.

475. Quod attinet ad rationes probabiles, scilicet illas, quae principiis extrinsecis innituntur [1], hae ex triplici fonte, nempe ab antiquorum Sapientum opinione, gentiumque vetustissimarum consensu, ab historiae monumentis, atque a novitate artium, scientiarumque peti solent.

476. Itaque primum argumentum nobis suppeditat consensus antiquorum Sapientum traditioni vetustissimarum gentium innixus. Enimvero omnes antiqui Philosophi quamdam mundo originem, teste ipso Aristotele [2], acerrimo aeternitatis mundi assertore, tribuerunt, licet in ipsa explicanda absurdas opiniones confinxissent. Haec communis eorum opinio non quidem ope contemplationis naturae, aut ullius argumentationis ab eis inventa, sed per vetustam populorum traditionem accepta dicenda est, quippe quod de re agitur satis ardua, quae mentes posteriorum Philosophorum mirifice torsit, et nonnisi per Revelationem a Iudaeis ad Christianos transmissa plane, omninoque innotuit. Traditio autem, quam innuimus, satis explorata est. Quisquis enim veterum monumenta pervolutavit, dubitare nullo modo potest, quin toti hominum generi, « quacumque patet tellus, omnique tempore, vetusta, nec uspiam interrupta traditione, persuasum fuerit homines, atque hunc nostrum globum aliquando coepisse. Dissident enimvero inter se, serius, an citius inceperit: hac, an illa ratione creatus sit: vetustas memorias allegoriis, et fabulis incrustant: quisque populus sui praesefert antiquitatem: falsa plurima, ac absurda, ab omnique ratione dissidentia tradunt. Sed in eo sunt constantes, mundum hunc originem habuisse, nec habuisse tantum, sed a causa intelligentissima, potentissima, optima haud plurimis retro saeculis fuisse procreatum. Id vetustissimi praecipiebant populi, Aegyptii, Phoenices, Iudaei, Persae, Chaldaei, Aethiopes, Scytae, Traces, Iones, Graeci veteres, Etrusci, aliique ad Occidentem vergentes. Id Indi, Siamenses, Sinenses antiqui, recentesque: id Peruviani, Mexicani, totusque novus, ut vocant, mundus [3] ».

477. Alterum argumentum nobis licet haurire ex historiae monumentis cum profanis, tum sacris. Namque inter omnes constat ea, quae historici gentium vetustissimarum memoriae prodiderunt, citra narrationem mosaicam evenisse, et narrationem mosaicam, quae et omnium antiquissima est, et vel propter sola humanae credibilitatis momenta omnem fidem mereretur, productionem mundi in tempore describere, primosque humani generis eventus enarrare [4].

---

[1] Cf vol. I, *Log.*, p. II, p. 124.

[2] *Nat. Auscult.*, lib. VIII, c. 1, et *De Coel.*, lib. I, c. 10, § 2, ed. Didot.

[3] Haec verba sunt Ant. Genuensis, *Elem. Met.*, Dissert. II, t. V, p. 114, Bassani 1779.

[4] Hocce argumentum perculit ipsummet Lucretium atheorum romanorum cori-

478. Tertium argumentum novitas artium, scientiarumque nobis praebet. Enimvero, quoniam compertum est, qui, et qua aetate inventores artium floruerint, genus humanum per infinitam antecedentium saeculorum seriem sine artibus vixisse incredibile est [1].

479. Expositis rationibus, quae mundum a Deo in tempore factum esse probabiliter suadent, oportet excutere, utrum, necne solvi queant argumenta, quibus adversarii s. Thomae vim propriae, stricteque sumtae demonstrationis inesse sibi adblandiuntur. Haec methodo scholastica concinnabimus, singulisque responsiones secundum s. Thomam adiiciemus.

480. Obiic. 1° Id, quod factum est, principium durationis habere debet. Atqui mundus a Deo factus est. Ergo mundus principium suae durationis habere debet [2].

481. Resp. *Dist. mai.*: si fiat actione *successiva, conc. mai.*; sin actione *instantanea*, *neg. mai. Dist.* pariter *min.*: factus est actione *successiva*, *neg. min.*; *instantanea*, *conc. min. Neg. cons.* Veritas harum distinctionum ex dictis de discrimine inter actionem instantaneam, et successivam, quod in *Ontologia* statuimus [3], manifeste colligitur. Et sane, quoniam creatio, ut paulo ante vidimus, est actio, quae fit *in instanti*, proindeque sine ullo motu, liquet necesse non esse, ut Creator rebus, quas creat, tempore praecedat. « Unde dicunt (fautores aeternitatis mundi), quod non sequitur ex necessitate, si Deus est causa activa mundi, quod sit prior mundo duratione; quia creatio, qua mundum produxit, non est mutatio successiva [4] ».

---

phaeum, quippe qui ita cecinit:

Praeterea, si nulla fuit genitalis origo
Terrai, et coeli, semperque aeterna fuere,
Cur supra bellum Thebanum et funera Troiae
Non alias alii quoque res cecinere Poëtae?
Quo tot facta virûm toties cecidere, nec usquam
Aeternis famae monumentis insita florent?

Lib. V, vv. 326 sqq. Cf Hoocke, *Relig. naturalis, et revelatae principia*, t. I, pars I, sect. I, p. 23-34, Venetiis 1763.

[1]) Nemo miretur s. Thomam (I, q. XLVI, a. 2 ad 4) hoc argumentum reiecisse, cum adversus eos disputaret, qui ipsum, aliaque argumenta iam adducta non probabilem tantum, sed certam conclusionem habere volebant.

[2]) Vid. p. Tongiorgi, *Op. cit.*, ibid., § 294, p. 337.

[3]) C. V, art. 1, p. 149-150.

[4]) I, q. XLVI, a. 2 ad 1. Cf *Opusc.* cit. *De aeternitat. mundi.* Hoc, eodem sancto Doctore observante (*ibid.*), declarari potest exemplo, quo Neoplatonici, ut apud s. Augustinum legitur, ad aeternam mundi productionem evincendam utebantur: « Sicut enim, inquiunt, si pes ex aeternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset; sic, inquiunt, et mundus, atque in illo dii creati et semper fuerunt, semper existente qui fecit, et tamen facti sunt »; *De Civ. Dei*, lib. X, c. 31.

482. Inst. 4° Atqui, quamvis mundus factus sit actione instantanea, cuiusmodi est creatio, tamen ipse intuum suae durationis habere debuit. Ergo etc.

483. Resp. *Neg. min. subs. Prob. non subs.* Id, quod creatur, etsi fiat in instanti, tamen habet *esse* post *non esse*, quia *ex nihilo*, seu *ex non ente* fit. Atqui id, quod *esse* post *non esse* habet, intuum durationis suae habere debet, quia esse incipit. Ergo etc.

484. Resp. *Dist. mai*: si de creatione, qualis re ipsa est, nempe temporanea, sermo sit, *conc. mai*: sin de creatione ab aeterno, quae a s. Thoma, aliisque veluti possibilis admittitur, *neg. mai*; *conc. min. Neg. cons.* Certe, si de creatione, qualis re ipsa est, disseratur, mundum e nihilo factum esse dici potest vel ob hanc rationem, quod *esse* post *non esse* habuit: mundus enim re ipsa aliquando fuit, cum antea non esset. Verum, si notio creationis in se spectetur, qualis a s. Thoma, Scoto, et Ockamo in hac quaestione spectatur, illud *ex nihilo* proprie denotat defectum termini, a quo res creata fit, ita ut creatio non sit actio, quae ab uno termino in alium progrediatur[1]. Enimvero «*ex nihilo fieri* eo modo per se, et proprie intelligendum est, quo opponitur «*ex aliquo fieri*, quippe quod creatio, et effectio sibi invicem opponuntur. Atqui «fieri ex aliquo opponitur «fieri non ex aliquo. Ergo illud *ex nihilo* in definitione creationis, si per se et stricte intelligatur, idem valet, ac *non ex aliquo*. Iamvero fieri non ex aliquo idem non est, ac fieri post *non aliquid*, seu post nihilum. Ergo illud *ex nihilo*, quod in definitione creationis ponitur, proprie, et per se non denotat rem, quae creatur, habere *esse* post *non esse*, sed habere ***esse non ex aliquo*** [2].

---

[1]) Statum quaestionis luculenter declaravit Biel his verbis: « ... creare in proposito non accipitur ... pro producere aliquid de nihilo post non esse secundum durationem, quia quaestio nulla esset: quoniam manifestum est, quod non potest mundum ab aeterno producere post eius non esse, quia si praecessisset non esse, tunc incepit esse. Si incepit esse, non fuit ab aeterno. Includit ergo manifestam contradictionem posse creare mundum ab aeterno post non esse. Sed est sensus quaestionis, utrum Deus mundum, quem de facto produxit post suum non esse, potuit producere ita quod suum non esse non praecessisset suum esse duratione. Et hoc est mundum potuisse producere ab aeterno, ita quod numquam non fuerit, et tamen semper esse a Deo accepit: sicut sol, si fuisset aeternus, ab aeterno suum splendorem produxisset »; *Op. cit.*, ibid., p. 8 verso.

[2]) Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. et c. citt., n. 6; I, q. et a. cit. ad 2. Quare idem sanctus Doctor advertit aliquid posse dici factum ex nihilo non solum ex eo quod ordinem temporis, sed etiam ex eo quod ordinem naturae ad nihilum habet. Ea brevem eius locum: « Aliquid habet ordinem ad nihil dupliciter, scilicet ordinem temporis, et ordinem naturae. Ordinem temporis ex eo quod prius fuit non ens, et postea est ens, et hoc nulli aeterno convenit. Ordinem naturae, quando aliquid habet esse dependens ab alio, hoc enim ex parte sui non habet nisi non esse, cum factum esse unum ad alterum dependeat, et quod est aliud ex se ipso, naturaliter praecedit id quod est ei ab altero. Et ideo, supposito, quod coelum, et huiusmodi fuerit

485. Inst. 2° Atqui illud *ex nihilo*, quod in definitione creationis ponitur, per se, et proprie denotat quoque id, quod ex nihilo fit, seu quod creatur, habere *esse* post *non esse*. Ergo etc.

486. Resp. *Neg. antec. Prob. antec.* Cum Deus res e nihilo educit, seu creat, ipsas extra se ponit. Atqui intelligi non potest Deum res extra se ponere, nisi intelligatur ipsas noc esse, antequam ponantur, quia intelligi debet instans, seu momentum, in quo ponuntur. Ergo res, quae ex nihilo educuntur, seu creantur, *esse* post *non esse* necessario habent [1].

487. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min.*; *Neg. cons.* Falsum est non posse intelligi, quomodo Deus res extra se ponat, nisi intelligatur aliquod instans, in quo Deus illas ponit. Nam, quoniam extra res creatas non aliud est, nisi aeternitas, et non aliud, nisi aeternitatem esse, intelligi potest, is, qui contendit aliquod instans intelligi oportere, in quo Deus res extra se posuit, fluxum instantium in aeternitate dari sumit, sive, ut voce in Scholis trita utamur, *supponit*. Atqui haec sumptio, seu *suppositio* absurda est, 1° quod aeternitatem cum tempore confundit, quia nos, uti in *Ontol.* vidimus, aeternitatem veluti unicum, immotumque instans, et tempus veluti fluxum instantium intelligimus; 2° quod tempus ante molitionem rerum admittit, quia fluxus instantium ante ipsam concipitur. Ergo non est nobis intelligendum aliquod instans, in quo Deus mundum creavit, sed mente reputandum est mundum esse effectum aeternae actionis Dei. Quandoquidem autem creatio est actio instantanea, nihil prohibet, quominus eius effectus, qui mundus est, ab aeterno existat [2].

488. Inst. 3° Si nullum assignari posset instans, in quo Deus res extra se posuit, seu mundum creavit, nihil inter creationem, et conservationem interesset. Atqui consequens, omnibus fatentibus, est absurdum. Ergo et antecedens.

489. Resp. *Neg. mai. Prob. mai.* Inter creationem, et conservationem non aliud interest, quam quod illa *novitatem essendi* denotat, haec autem ens iam existens expostulat. Atqui, si non posset ullum assignari instans, in quo Deus res extra se posuit, illud discrimen om-

---

ab aeterno, adhuc tamen est verum dicere, quod est ex nihilo, sicut probat Avicenna »; *In lib. I Sent.*, Dist. V, q. II, a. 2 *sol.* Cf eiusdem *Opusc.* cit. *De aeternit. mundi.*

1) Cf prae ceteris cl. p. Tongiorgi, *ibid.*, § 295, p. 337, et 338.

2) Ceterum Biel post Ockamum ex eo ipso, quod intelligendum est aliquod instans in quo Deus mundum creavit, possibilitatem creationis aeternae probavit hoc argumento: « Praeterea, quod potuit fieri ante omne instans acceptum, et possibile accipi potuit fieri ab aeterno: sed mundus potuit fieri a Deo ante quodcumque instans cogitabile: igitur. Minor patet: quia, quocumque instanti cogitabili ad intellectum signato, aut cogitato, ante hoc potuit mundus fuisse productus »; *Op. cit.*, ibid., p. 9 recto.

nino evanesceret, quia res, quae creatur, novum ens dici non potest. Ergo etc. [1].

490. Resp. *Neg. mai.* Discrimen illud, quod inter creationem, et conservationem statuitur, est *petitio principii*, quia id, quod in controversiam adducitur, pro concesso sumit. Enimvero, si inter Philosophos disputatur; utrum mundus potuerit creari ab aeterno, an necesse fuerit ipsum creari in tempore, non licet, veluti principium disputationis, ponere notionem creationis, quae *novitatem essendi* denotat; sed oportet notionem ponere, quae productionem rei ex nihilo, seu ex non aliquo denotat, quia, quaecumque opinio a Philosophis orthodoxis de creatione mundi propugnetur, omnibus certum est ipsam esse productionem rei ex nihilo. Itaque ii, qui mundum ab aeterno creari potuisse volunt, omnino negant notione creationis novitatem *essendi* contineri, sed ab adversariis expostulant, ut id probent. Quod attinet ad conservationem, haec, ut in *Theodicea* dicemus, si in Deo spectetur, una, eademque actio est cum creatione, nam Deus eadem actione, qua *esse* rebus largitur, efficit, ut ipsae in *esse* suo perseverent [2]. Sin [illegible] ipsis rebus creatis, ipsa expostulat quidem creationem, sed ea pos[illegible]ior tempore non est, quia res eo ipso, quod sunt, ut in *Theodicea* v[illegible]ebimus, conservatione indigent.

491. Obiic. 2° Si mundus fuisset creatus ab aeterno, aeternitas ei tribuenda esset. Atqui in confesso apud omnes est aeternitatem esse ita propriam Dei, ut rebus creatis repugnet. Ergo etc. [3].

492. Resp. *Dist. mai.*: aeternitas *participata*, *conc. mai.*; aeternitas *essentialis*, *neg. mai.*; [illegible] distinctione *neg.* et *conc. mai.* *Neg. cons.* Et sane, si mundus se[illegible]or fuisset, ei, ut s. Thomas [4] post Boëtium [5] advertit, certe non con[illegible]niret aeternitas essentialis, quae est propria Dei, nempe illa, quae [illegible] instanti posita est, omnemque successionem ex[illegible]dit, sed aeternitas imperfecta, nempe illa, quae successionis expers non est [6]. Quae [illegible]ea rebus creatis non tribueretur id, quod solius Dei est. Id ingenu[illegible] adnotarunt ipsi Petavius [7], et Thomassinus [8], quibus mundum ab aeterno creari non potuisse visum fuit.

493. Obiic. 3° Si mundus ab aeterno fuisset, multitudo *actu* infinita

---

[1]) Vid. eumdem Iesuitam, *Op. cit.*, ibid., § cit., p. 338.

[2]) Vid. [illegible], *Op. cit.*, *Physic.*, Pars II, Disp. unic., q. I, art. 3, t. III, p. 27, ed. cit.

[3]) [illegible] possibilitatem [illegible] aeternae quoque laborare Tongiorgio (*Op. cit.*, ibid. § 296, coroll. 1, p. 338) visum est.

[4]) l. q. et a. citt. ad 5, atque *Opusc.* cit. *De aetern. mundi*.

[5]) *Op. cit.*, loc. cit.

[6]) S. Augustinus quoque advertit, si Angeli semper fuisse dicantur, non ideo coaeternos Deo dici, quia Deus est immutabilis, Angeli vero mutationibus obnoxii. Vid. *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 5.

[7]) *Op. cit.*, lib. III, c. 6, § 4.

[8]) [illegible] Etsi perpetuitatem sibi posset creatura vindicare, nec

admittenda esset. Atqui multitudinem *actu* infinitam dari repugnat. Ergo repugnat quoque mundum ab aeterno fuisse [1].

494. Resp. *Dist. mai.*: multitudo *successiva*, *conc. mai.*; *simultanea*, *neg. mai. Dist.* pariter *min.*: multitudinem successivam, *neg. min.*; simultaneam, *trans. min. Neg. cons.* Ii, qui tuentur creationem mundi ab aeterno non esse possibilem, asserunt, si mundus ab aeterno conditus esset, duplicem admittendam fore multitudinem *actu* infinitam, scilicet *successivam*, et *simultaneam*. Successivam, quia, posita creatione mundi ab aeterno, cuilibet diei infinita series dierum praecessisset, ideoque infinitum pertransiisset; simultaneam vero, quia, cum animae humanae, utpote immortales, sint res permanentes, non vero successivae, propter infinitas generationes, quae in tempore infinito praeterito existere debuissent, iam infinitae animae simul existerent, aut certe possibile foret ipsas existere. Iam, quandoquidem utramque multitudinem *actu* existere non posse pro certo habent, inde concludunt mundum non potuisse ab aeterno creari. At vero huic obiectioni, duce s. Thoma, responderi non difficulter potest. Et sane, quod attinet ad multitudinem actu infinitam simultaneam, nos equidem cum s. Thoma contendimus ipsam non esse possibilem, illis momentis rationis permoti, quae antea protulimus [2]. Verum non defuere, quemadmodum idem Aquinas ad hanc rem advertit, inter veteres, q ibus in infinita rerum multitudine actuali nullam dari repugnantiam visum fuit [3], eisque nonnulli acuti Philosophi recentes, in primisque Leibnitius [4], plausere. Atqui ex theoria, de qua a Philosophis utrinque disputatur, nulla certa, inconcussaque conclusio duci potest. Ergo, etiamsi concedatur non posse defendi possibilitatem creationis ab aeterno, nisi multitudinem simultaneam infinitam *actu* existere posse quoque concedatur, nihil firmi, certique contra hanc opinionem concludi posset. At vero necesse non est, ut ad tuendam possibilitatem creationis mundi ab aeterno admittatur esse possibilem multitudinem simultaneam *actu* infinitam. Etenim quaestio, ut s. Thomas advertit, non in eo versatur, num cuncta genera rerum creatarum, ex quibus mundus constat, ab aeterno esse potuerint, sed num mundus in universum, aut saltem aliqua creatura ab aeterno condi

---

initio, nec fine ullo circumscriptam, nec ullius beneficentiae obnoxiam, non tamen haec germana foret aeternitas. Non enim tota simul sibi praesens foret haec perpetuitas, sed sin minus substantia, certe operatione sua aliqua flueret, et mutaretur, et dilaberetur, temporisque numeros priores, et posteriores non sine suae aetatis dispendio experiretur »; *Op. cit.*, lib. V, c. 13, § 1; cf *ibid.*, § 3.

1) Vid. Tongiorgium, *Op. cit.*, ibid. § 286, et 287, p. 334, et 335.

2) Vid. *Ontol.*, c. IV, art. 1, p. 135-136.

3) « Quidam vero, s. Thomas ait, pro inconvenienti non habent, quod sint aliqua infinita actu in his, quae ordinem non habent »; *Contr. Gent.*, lib. et c. citt.

4) *Rèponse à l'extrait de la lettre de Mr Foucher* etc.; *Opp.* ed. Erdm., p. 118; *Thèod.*, part. 2, § 195, p. 564.

potuerit [1]. Quapropter possibilitatem creationis mundi ab aeterno impugnantibus ex eo quod multitudo infinita actualis animarum humanarum admittenda esset, « posset, idem sanctus Doctor ait, respondere aliquis, quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut Angelus, non autem homo [2] ». Enimvero illos, qui creationem mundi ab aeterno esse possibilem pugnant, nihil cogit admittere res permanentes, puta animas humanas, generationesque hominum ab aeterno cum mundo fuisse, adeo ut, admissa possibilitate creationis mundi ab aeterno, multitudinem actu infinitam simultaneam etiam admittere debeant. Quod vero ad multitudinem successivam actu infinitam spectat, nihil, eodem Aquinate docente, vetat, quominus ipsa veluti possibilis admittatur. Namque infinitum successivum cum ex elementis confletur, quorum unum alteri succedit, re ipsa est finitum, omnesque scopulos vitat, in quos infinitum actuale permanens, si non omnium, certe plurimorum Philosophorum iudicio, infringitur [3]. Ex quo etiam vides infinitum, quod admittere oportet, si mundus ab aeterno conditus fuisse dicatur, esse eiusmodi, ut pertransiri possit. Etenim multitudo simultanea infinita, ut idem sanctus Doctor subdit, certe pertransiri non potest, quia primum in ea non invenitur, ex quo transire ad alterum licet. Ast idem dicendum non est de multitudine infinita successiva, quia cum haec sit re ipsa finita, « quaelibet circulatio praecedentium transiri potuit [4] ».

495. Obiic. 4° Si mundus ab aeterno conditus esset, infinitis diebus, qui praecesserunt, alia, novaque dies quotidie adderetur. Atqui consequens est absurdum. Ergo et antecedens.

496. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons. Prob. min.* Si infinitis diebus praeteritis vel una nova dies addi posset, consequeretur infinitum esse capax incrementi, ideoque unum infinitum posse esse maius altero. Atqui notio infiniti, quod est capax incrementi, quodque altero minus est, se ipsam destruit. Ergo repugnat infinitis diebus praeteritis posse vel unam novam diem addi [5].

---

[1] « Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno » (l. q. et a. citt. ad S.) Neminem latet inter ipsos Scholasticos creationem mundi ab aeterno propugnantes non convenisse, utrum omnia, quae in mundo conspiciuntur, ab aeterno esse potuerint, an aliqua excipienda sint. Vid. de his controversiis Conimbricenses, *In Physiq. Arist.* lib. VIII, q. VIII, art. 16, t. II, col. 450 sqq. ed. cit.

[2] l. q. et a. citt. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 5 ad 3, atque *Opusc.* cit. *De aeternit. mundi*, in quo ait « Deus mundum facere potuit sine hominibus, et animabus ».

[3] Apposite s. Thomas: « infinitum, etsi non sit simul in actu, potest tamen esse in successione, quia sic quodlibet infinitum acceptum, finitum est »; *Contr. Gent.*, ibid.

[4] *Ibid.*

[5] Hanc quoque obiectionem cl. p. Tongiorgi (*ibid.*, § 290-293, p. 335-337) copiose persecutus est.

497. Resp. *Dist. mai.*: infinitum *simpliciter*, hoc est, infinitum, quod omnem limitem excludit, *neg. mai.*, infinitum *secundum quid*, hoc est, quod limitem undequaque non excludit, cuiusmodi est successio infinita praeteritorum dierum, *conc. mai.*; eodem modo *neg.*, *et cons. min. Neg. cons.* Hanc distinctionem ex s. Thomae verbis confecimus, qui allatae obiectioni ita respondet: « Nihil prohibet infinito ex ea parte additionem fieri, qua est finitum. Ex hoc autem, quod ponitur tempus aeternum, sequitur quod sit infinitum ex parte ante, sed finitum ex parte post, nam praesens est terminus praeteriti [1] ».

498. Postquam argumentis, quibus possibilitas creationis ab aeterno impugnata est, certam, atque inconcussam vim non inesse vidimus, e re valde esse arbitramur brevem argumentationem exhibere, qua illam impugnari non posse plerique Scholastici, duce s. Thoma, probant. Quae quidem huc redit: Si posset stricto sensu demonstrari mundum in tempore coepisse, demonstratio peti posset vel a causa eius, nempe Deo, vel ab ipsius mundi natura, vel a natura actionis creatricis. Iamvero ipsam ex nullo horum capitum confici posse manifestum nobis videtur. Non quidem a Deo, quippe quod, cum Deus sit causa instantanea, et libera mundi, mundo aeternitate praecedere non debuit, sed eum ab aeterno, vel in tempore, prout ei collibitum fuerit, creare potuit, quia effectus causae instantaneae, ut diximus, simul cum causa existere potest [2]. Non ex natura ipsius mundi, quia, cum duratio sit accidens rerum creatarum, res creata per se, et natura sua nullum certum genus durationis expostulat. Qua de re, quaenam duratio rebus creatis convenire possit, non ex natura ipsarum rerum, sed ex potentia Dei, qui ipsis *esse* largitur, dignoscendum est. Iam, quoniam Deus mundum ab aeterno, vel in tempore creare potuit, mundo vel aeterna, vel temporalis duratio convenire potest. Non denique ab actione creatrice Dei; haec enim, quemadmodum paulo ante vidimus, expostulat, ut res ex *non esse*, seu nihilo,

---

[1]) *Contr. Gent.*, ibid.

[2]) En brevem, illustremque argumentationem s. Thomae: « Nulla causa producens effectum suum subito, necessario praecedit effectum suum duratione. Sed Deus est causa producens effectum suum non per motum, sed subito. Ergo non est necessarium, quod duratione praecedat effectum suum. Primum patet per inductionem in omnibus mutationibus subitis, sicut est illuminatio, et huiusmodi. Nihilominus potest probari per rationem sic. In quocumque instanti ponitur res esse, potest poni principium actionis eius, ut patet in omnibus generabilibus; quia in illo instanti, in quo incipit ignis, incipit esse calefactio. Sed in operatione subita, simul, immo idem est principium, et finis eius, sicut in omnibus indivisibilibus. Ergo in quocumque instanti ponitur agens producens effectum subito, potest poni terminus actionis suae. Sed terminus est idem cum ipso facto. Ergo non repugnat intellectui, si ponatur causa producens effectum suum subito, non praecedere duratione causatum suum »; *Opusc.* cit. *De aetern. mundi.*

non vero ut post *esse* fiant, hoc est, a *non esse* ad *esse* veluti ab uno ad alium terminum transeant. Nihil igitur philosopho suppetit, unde mundum in tempore creatum fuisse stricte domonstret, nihilque idcirco, unde possibilitatem creationis ab aeterno apodicticis argumentis impugnet [1].

CAPVT OCTAVVM

De perfectione mundi

499. Quid de mundi perfectione Philosophi senserint inquirentibus tres praecipuae opiniones nobis occurrunt. Sunt enim, qui mundum esse imperfectum obganniunt; sunt, qui eum esse non modo perfectum, sed omnium possibilium optimum volunt; sunt denique, qui hunc mundum esse in suo genere perfectum, sed non quidem omnium possibilium optimum pro viribus tuentur. Quamobrem duae quaestiones hac de re a Philosophis agitantur, eaeque sunt, 1° num hic mundus sit in suo genere perfectus, an imperfectus; 2° utrum hic mundus sit omnium possibilium optimus, necne.

500. Quandoquidem mundum non esse in suo genere perfectum autumant vel Athei, nempe ii, qui ullum Deum esse negant, vel Manichaei, nempe ii, qui duo suprema principia mundi, unum bonum, et alterum malum admittunt, solutionem primae quaestionis ad *Theodiceam* amandamus, quippe quod in ipsa disputatio contra atheismum, et manichaeismum locum sibi vindicat. Itaque hoc in loco perfectionem mundi pro demonstrata sumentes, secundam quaestionem instituemus adversus illos, qui mundum non modo bonum, sed omnium possibilium optimum esse tuentur.

ARTICVLVS PRIMVS

Historia opinionum de mundo optimo breviter enarratur

501. Auctor doctrinae de mundo optimo, sive, ut dici solet, *optimismi* Leibnitius vulgo perhibetur; at falso, quia haec doctrina non paucis Philosophis ante Leibnitium probata est. Enimvero optimismus placuit inter veteres Platoni [2], eiusque de schola discipulis, qui Academicorum nomine innotescunt, Stoicis, qui idcirco inde concludebant mundum esse ipsum Deum [3], et Plotino, Neoplatonicorum primopilo, qui mundum hunc esse omnium optimum, et pulcherrimum saepe

---

[1] Vid. Conimbr., *Comm. cit.*, lib. et c. citt., q. VI, art. 2, col. 446, et 447.

[2] *Tim.*, *Opp.*, Part. 3, vol. II, p. 24-28, et 31, ed. Bekker, p. 29-31, et 34, ed. H. S.

[3] Cf Senec., *De Benefic.*, lib. VII, c. 7.

dixit[1]; tum in media aetate Abaelardo[2], et sub recentis aetatis initium Wiclefo[3], qui inde deduxerunt Deum non posse alia facere, quam quae fecit; denique, ut nihil de Cartesio[4] definiamus, Malebranchio[5].

502. Verum Leibnitius, si primus auctor optimismi non fuit, procul dubio ipsum adeo excoluit, propugnavitque, ut sub eius nomine vulgo circumferatur. Itaque cl. Vir statuit mundum omnium possibilium optimum esse illum, qui caeteros omnes perfectione superat; et quoniam perfectionem mundi in manifestatione divinarum perfectionum positam esse sensit, ideo contendit quoque illum mundum esse omnium possibilium optimum, qui infinitas perfectiones Dei, quoad natura rerum creatarum sinit, manifestat. Iam ipse contendit eiusmodi revera esse mundum, quem Deus creavit[6]. Duo argumenta *a priori*

---

[1]) *Enn.* III, lib. I, c. 3, et *Enn.* II, lib. IX, c. 4, 8, et 17, ed. Creuzer.

[2]) *Introd. ad Theologiam*, lib. III, c. 5, *Opp.*, ed. Amboesius, p. 1120, Parisiis 1616. Cf s. Bernard., *Tract. de erroribus P. Abaelardi*, Cap. III, *Opp.* t. 1, p. 646, Venetiis 1726.

[3]) Cf Thomam Waldensem, *Doctrina Fidei*, lib. I, art. 1, c. 10.

[4]) Sunt, qui putant Cartesium, etsi optimismum mundi data opera non defenderit, et dilucide non exposuerit, tamen Leibnitio viam stravisse eo quod veritatem, et bonitatem rerum a voluntate Dei pendere sensit (vid. *Rèponse aux 6mes Obj.*, § II, *Oeuvr. phil.*, t. II, p. 363, ed. Garnier). Ipsi hanc iudicii sui afferunt rationem, quod si veritas, et bonitas rerum, Cartesii sententia, in ipsis naturis rerum non fundantur, sed a sola voluntate Dei pendent, Deus non alium mundum velle potuit, quam qui optimus est. Vid. Bouillier, *Hist. de la phil. cartes.*, c. 18, t. II, p. 1, ed. cit., et Delondre, *Doctrine philos. de Bossuet*, 3e Part., c. 1, sect. 2, p. 289, not. 3, Paris 1855.

[5]) Malebranchius mundi optimismum demonstrare conatus est tum *a priori*, tum *a posteriori*. *A priori*, quia Deus non potuit alium creare mundum, quam infinitum, et divinum, quia mundus finitus, et profanus Eo indignus est. At, quoniam mundus natura sua est finitus, et profanus. Ipse Filium suum misit in mundum, ut naturam humanam in unitate suae divinae personae assumeret; atque ita mundum cum Deo coniungeret, eumque divinum, et infiniti pretii efficeret. *A posteriori* autem, quippe quod observatione compertum est hunc mundum, si non est in se omnium possibilium optimus, esse certe praestantiorem omnibus, qui a Deo creari, et conservari poterant per vias simplices, foecundas, universales, et uniusmodi, quales illae sunt, quibus hic mundus creatus est, et regitur (*Entret. mèt.*, Entret. IX. § 6, *Oeuvr. phil.*, ser. 1e, p. 143 sqq, ed. cit.). Malebranchium solide confutarunt Arnaldus (*Réflexions philosophiques, et thèologiques*, lib. II, c. 27, *Oeuvr.*, t. XXXIX, p. 602 sqq, Paris 1781), Fenelonus (*Réfutation du système du p. Malebranche sur la nature, et la grace*, c. 8, *Oeuvr. phil.*, ed. Jacques, ed. 2a, p. 331, Paris 1863, et *Lettres sur la mètaphysique, et la religion*, Lett. 4, p. 250 sqq, ed. cit.), et Bossuetus, qui prius Feneloni modo laudatum, antequam typis committeretur, diligenter expendit, multisque in locis emendavit. Vid. Bausset, *Vie de Fènèlon*, t. I, p. 88, Paris 1850, necnon *Oeuvr. complet.*, Avertiss., t. I, p. 42, Versailles 1820, et Nourrisson, *Essai sur la phil. de Bossuet*, c. 5, § 159 sqq, Paris 1852.

[6]) « Sane, ait, Deus decretum creandi mundi formans unice statuit perfectiones suas modo, quo possit, efficacissimo, et magnitudine, sapientia, bonitateque sua di-

ad id probandum attulit. Primum, quod ab infinita bonitate Dei desumsit, ita se habet: Quandoquidem minus bonum habet quamdam rationem, seu speciem mali, sequitur, si Deus non creavit mundum omnium possibilium optimum, Eum opus perfecisse, quod quamdam speciem mali habet. Atqui dedecet infinitam bonitatem Dei opus efficere, quod est aliquo modo malum. Ergo Deum illum mundum ex possibilibus eligere debuit, quem omnium optimum esse novit [1]. Alterum, quod a principio rationis sufficientis hausit, huc redit: Ratio sufficiens existere debet, ob quam Deus ex infinitis mundis possibilibus hunc potius, quam alium mundum creavit, quia nihil sine ratione sufficiente fieri potest. Atqui huiusmodi ratio nonnisi in eo inveniri potest, quod hic mundus maiores, quam ceteri possibiles, perfectionis gradus habet, quia omnes mundi possibiles iure accipiendi existentiam a Deo gaudent. Ergo mundus, quem Deus creavit, omnium perfectissimus, seu optimus dicendus est [2].

503. Ast a difficultatibus adversariorum pressus, qui observabant nullam creaturam posse esse natura sua adeo perfectam, ut alia perfectior ipsa a Deo fieri nequeat, respondit id procul dubio esse verum de singulis creaturis, at de toto mundo certe affirmari non posse. Nam, si non est possibile dari ullam creaturam omnium possibilium optimam, certe possibile est dari mundum omnium possibilium optimum; quia mundus a Deo ita condi potest, quemadmodum re ipsa hic noster ita conditus est, ut in dies in infinitum progrediatur [3]. Quare Leibnitius, licet haesitabundus [4], eo tandem devenit, ut theoriam suam de mundo optimo e continuo progressu rerum derivaret.

---

gnissimo manifestare, et communicare. Sed ob id ipsum omnes creaturarum adhuc mere possibilium actiones considerare necesse habuit, ut schema quam convenientissimum formaret. Praestanti architecto similis est, qui, proposita sibi insignis palatii construendi voluptate, vel gloria, omnia, quae fabricam illam ingredi debent, formam et materiam, locum, situm, media, operas, impendia secum animo reputat, antequam de tota re capiat consilium. Sapiens namque, dum opera sua delineat, finem a mediis seiungere nequit, nec finem sibi proponit ullum, nisi media illius obtinendi sibi praesto esse noverit »; *Thèodic.*, part. 1, § 78, *Opp. phil.*, ed. Erdm. p. 523.

[1]) ***Thèodic.***, part. 1, § 8, p. 500 ed. cit., et part. 2, § 194, p. 563, et 564.

[2]) ***Monadologie***, § 53-55, p. 709, et *Thèodic.*, part. 1, § 7, p. 506, part. II, § 196, p. 564, part. 3, § 14-16, p. 708 sqq etc. Alibi ait: « . . . omnia possibilia pari iure ad existentiam tendunt pro ratione realitatis »; et paulo inferius: « Et ut possibilitas est principium essendi, ita perfectio, seu essentia gradus, per quem multa sunt compossibilia, principium existentiae »; ***De rerum originatione radicali***, p. 148. **Cf *De verit. princ.*, p. 39.**

[3]) *Thèod.*, Part. 2, § 202, p. 566. Itaque Leibnitius a Malebranchio dissensit; qui, ut paulo ante adnotavimus, optimismum mundi ab Incarnatione Divini Verbi repetebat.

[4]) Re vera ipse, postquam huiusmodi effugium proposuit, illico subdit: « Ceterum difficile est de hisce iudicium ferre »; ***ibid.***

504. Quamvis Bayleus [1], et Clarkeus [2] Leibnitium solide confutassent, nihilominus theoria de mundo optimo, prout a Leibnitio propugnata est, Wolfium [3], aliosque non modo e Leibnitii schola, sed etiam extra ipsam fautores habuit. Ipsa deinceps paulatim elanguerat, ut pene emortua videretur, cum a Bouillierio [4], aliisque non paucis Galliae Philosophis [5] nuperrime exsuscitata est. Nisi quod hi, aliter ac leibnitiani, ceterique, quos nominavimus, falsum optimismum a vero distinguentes, contendunt theoriam de mundo optimo esse falsam, si mundus natura, seu *entitate* sua esse omnium possibilium optimus dicatur; sed esse verum, aut saltem tolerandum, si perfectio eius e continuo, infinitoque progressu, uti ipse Leibnitius quodammodo sensit, repetatur. Sed iam surrexere, et surgunt in dies Philosophi Christiani, qui tela contra optimismum iamdiu adhibita exacuunt, iisque novissimos eius defensores confodere pro viribus adnituntur.

ARTICVLVS SECVNDVS

Optimismus mundi refellitur

505. Praemonemus nos hoc in loco eorum opiniones dumtaxat ad examen revocaturos esse, qui Deum a mundo distinguunt, Eumque esse huius liberum auctorem profitentur; siquidem sententiae Stoicorum, Neoplatonicorum, aliorumque, quippe quae pantheismo innituntur, una cum ipso sponte sua corruunt.

506. Atque in primis repugnat dari mundum omnium possibilium optimum. Primo enim series mundorum possibilium, non diffitente eodem Leibnitio [6], est infinita. Et sane mundi, qui esse possunt, tot sunt, quot sunt modi, quibus Deus *esse* suum cum rebus extra se communicare potest. Atqui series horum modorum est infinita, quia cum singuli modi finitam entitatem, seu realitatem a Deo accipiant, horum series, quantumvis maxima dicatur, vel cogitetur, *Esse* divinum, utpote infinitum, exhaurire nunquam potest [7]. Ergo series

---

[1]) *Rèpons. à un Provincial*, c. 151, *Oeuvr. divers.* t. III, p. 811 sqq, ed. cit.

[2]) *Lettre entre Leibn., et Clarke*, 2e *Rèplique*, § 1, p. 750, 3e *Rèpliq.*, § 7, et 8, p. 754, 4e *Rèpliq.*, § 3, et 4, p. 759, et 5e *Rèpliq.*, § 1-20, p. 778, ed. cit.

[3]) *Theolog. natur.*, Pars 1, c. 3, p. 325-334, ed. cit.

[4]) *Hist. de la phil. cartes*, c. 18, t. II, p. 457, et 456; *Memoire sur le vrai, et faux optimisme*, *Comptes-rendus de l'Acad. des sciences* etc., t. X, p. 345 sqq; *Diction. des scienc. phil.*, art. *Optimisme*.

[5]) Puta Javary, *De la certitude*, lib. V, c. 5, p. 524 sq, Paris 1847; Jul. Simon, *La religion naturelle*, 2e Part., c. 1, p. 180, et 181, Paris 1757; Saisset, *Études* etc., 3e Eclairciss., t. II, p. 405 sqq. Haec theoria de mundo optimo quodammodo probatur ipsi Henrico Martin, *Phil. spir. de la nat.*, 2e part., c. 9, p. 247, ed. cit.

[6]) *Lettres à Bourguet*, Lettr. 1e, p. 718, ed. cit.

[7]) « Cum aliquid, ad rem inquit s. Thomas, secundum hoc agat, quod est actu, si-

mundorum possibilium est infinita. Iamvero, posita doctrina de mundo optimo, series mundorum possibilium non esset infinita, quippe quod, postquam series, a mundo minus perfecto ad mundum magis perfectum progrediens, mundum omnium optimum assecuta est, supra ipsum assurgere nequit. Mundum igitur, quem Deus creavit, esse omnium possibilium optimum repugnat.

507. Secundo, ii, qui volunt hunc mundum esse omnium possibilium optimum, nomine mundi optimi vel intelligunt mundum in omni genere perfectionum optimum, vel mundum in aliquo genere dumtaxat optimum. Si prius, in dualismum praecipites ruunt, quia duo infinita existere asserunt: immo turpius, quam Dualistae, hallucinantur, quia unum infinitum ab altero produci posse sumunt. Sin alterum, duo concedere debent, quae optimismum perimunt. Primum est, quod dari possunt alii mundi hoc praestantiores. Namque mundus, qui in aliquo genere perfectionis dumtaxat est optimus, est finitus; atqui omni re finita praestantior alia esse potest, quia finitum natura sua eiusmodi est, ut ei aliquid addi queat [1]; ergo mundo in aliquo genere perfectionis dumtaxat optimo alii praestantiores dari possunt. Alterum est, quod, cum Deus efficere possit quidquid est possibile, Ipse mundum creare potuit hoc, quem re ipsa creavit, praestantiorem [2].

508. Tertio, ut caetera omittamus, idem probatur ex fine, propter quem Deus mundum creavit. Finis enim, ob quem Deus mundum creavit, ut in *Theodicea* videbimus, est manifestatio bonitatis, seu perfectionum Dei; qua de re, si mundus, qui a Deo conditus est, esset omnium possibilium optimus, ipse certe bonitatem Dei ita manifestare deberet, ut nihil supra. Atqui hoc consequens est absurdum, quippe quod, cum mundus a Deo conditus, perinde ac omnis alius possibilis mundus, sit finitus, bonitatem Dei nequit ita manifestare, ut ipsa magis, ampliusque manifestari non possit. Ergo hunc mundum, vel alium quemlibet possibilem esse omnium optimum etiam absurdum est [3].

---

cut Esse Dei est infinitum, ita et Eius actio habet efficaciam infinitam»: *Qq. disp., De Ver.*, q. XX, a. 4 ad 1. «Universalitas possibilium, ad hoc dicitur Deo communicatur Divinae Essentiae, quia secundum hoc infinita potest, quia habet esse non limitatum»; *In lib. III Sent.*, Dist. XIV, q. I, a. 4 ad 3.

[1]) «Quilibet Doctor Angelicus ait, bono creato, ex quod finitum est, potest aliquid melius esse»; *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, q. I, a. 3 *sol.*

[2]) «Omne namque, s. Thomas ait, quod secundum suam naturam finitum est, ad generis alicuius rationem determinatur: Deus autem non est in aliquo genere, sed eius perfectio omnium generum perfectiones continet»; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 43, n. 1. Cf Fénélon, *Op. cit.*, c. cit., p. 332 sqq.

[3]) Idem Aquinas non modo hunc errorem confutavit, sed etiam eius fontem detexit hoc in loco: «Finis naturalis, ait, Divinae voluntatis est Eius bonitas, quam non velle non potest. Sed ut huic non commensurantur creaturae, ut quod sine his Divina Be-

509. Bouilliérius, aliique hodierni perperam sibi persuadent, haec, aliaque vitia, quae optimismo obiiciuntur, omnino vitari, si dicatur hunc mundum esse omnium possibilium optimum, non quod optimae sunt singulae eius naturae, sed quod ipse, totus quantus est, a bono ad melius in infinitum progreditur. Et sane hoc effugium, quod Leibnitius, uti vidimus [1], iam innuerat, vanum est. Nam ratio, ob quam repugnat ullam particularem creaturam esse omnium possibilium optimam, Leibnitio, nuperisque Optimistis non diffitentibus, in eo sita est, quod, cum quaelibet particularis creatura infinitum *esse* Dei modo finito repraesentet, aliae sunt possibiles, quae divinum *esse* magis, magisque manifestant; siquidem finito, quoad perfectum esse cogitetur, aliquid semper addi potest. Atqui, etiamsi detur mundum esse in continuo progressu, ipse *esse* infinitum Dei finito modo semper manifestat, quia ens finitum nonnisi finitae progressionis capax est, et si *esse* infinitum Dei finito modo manifestat, alii multi eo praestantiores fieri possunt. Ergo eadem ratione, qua probatur, ipsius Leibnitii iudicio, nullam singularem creaturam esse omnium possibilium optimam, ne totum quidem mundum, quicumque tandem sit, omnium possibilium optimum esse simul probatur [2].

510. Adde his, quod continuus progressus in infinitum, quem Leibnitius, eiusque nuperi sectatores mundo, prout totus est, considerato tribuunt, prorsus commentitius est. Etenim, cum mundus in tota rerum, ex quibus conflatur, universitate consideratus non sit aliquid abstractum, sed ex diversis naturis rerum compositum, non potest aliter intelligi ipsum esse in continuo progressu, quam si ipsas naturas rerum in naturas praestantiores continuo transmutari admittatur, alioquin progressus non esset substantialis, sed accidentalis [3]. Atqui repugnat, quemadmodum ostensum est [4], naturas, seu species

---

nitas manifestari non possit; quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur Divina Bonitas per has res, quae nunc sunt, et per hunc rerum ordinem; ita potest manifestari per alias creaturas, et alio modo ordinatas: et ideo Divina voluntas absque praeiudicio bonitatis, iustitiae, et sapientiae potest se extendere in alia, quam quae fecit. Et in hoc fuerunt decepti errantes; aestimaverunt enim ordinem creaturarum esse quasi commensuratum Divinae Bonitati, quasi absque eo esse non possit. Patet ergo quod absolute Deus potest facere alia, quam quae fecit. (*Qq. dispp., De Pot.*, q. I, a. 5 c.) Huc etiam spectant illa s. Bonaventurae: « Dicendum, quod... magis *(creatura)* est dissimilis, quam similis *(Deo)*, et plus deficit, quam exprimit, imo infinitis gradibus distat; et ideo maior propinquitas est nobis cogitabilis, et Deo possibilis, quamvis nunc non sit »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, a. 1, q. I, *ad arg.*

[1]) Vid. p. 462.

[2]) Apposite s. Bonaventura: « Cum Deus sit infinitus, a nulla omnino creatura, nec etiam a toto mundo potest repraesentari secundum totum »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. I, a. 1 q. II *ad arg.*

[3]) Re vera Leibnitius transmutationem specierum, quam antea confutavimus, interdum tueri videtur. Cf *Théod.*, part. 2, § 341, p. 603 ed. cit.

[4]) Vid. p. 365-366.

rerum ita progredi, ut aliae in alias continuo transmutentur. Ergo repugnat in mundo illum inveniri progressum, quem Leibnitius, aliique nuperi cum eo commenti sunt.

511. Sed doctrina leibnitiana de mundo optimo non solum est per se absurda, sed etiam ad exitiales errores ducit. Enimvero ipsa in primis potentiam Dei, quae omnem limitem respuit, limitibus cogit. Enimvero ii, qui volunt hunc mundum esse omnium possibilium optimum, fateri debent Deum non posse ullum alium mundum creare. Etenim ipsi hunc mundum esse omnium possibilium optimum ex eo deducunt, quod Deus non aliud creare potest, nisi id, quod est optimum. Atqui mundus optimus, si daretur, eodem Leibnitio fatente [1], nonnisi unus esse posset. Ergo, si hic mundus est omnium possibilium optimus, Deus nullum alium mundum creare potest. Quod si Deus nullum alium mundum creare potest, omnipotens non est, propterea quod omnipotentia Dei in eo posita est, quod, una re creata, alias, easque praestantiores efficere valet [2].

512. Leibnitius vim huius argumenti retundere volens, respondit se potentiam Dei nullo limite circumscribere, quippe quod ea, quae repugnantia sunt, omnipotentia Dei haud continentur, repugnat autem optimo aliquid melius effici [3]. At Leibnitius operam suam abusus est. Certe nos ii non sumus, qui negemus Deum non posse efficere ea, quae secum pugnant, proindeque, si Deus mundum omnium possibilium optimum condidisset, non posse efficere alium ipso praestantiorem. Verum negamus id, quod Leibnitius pro concesso sumit, nempe posse dari mundum omnium possibilium optimum. Namque, uti ante ostensum est, primo series possibilium est infinita, est infinita non esset, si unum possibile omnium optimum daretur; secundo aliquam rem finitam esse omnium possibilium optimam repugnat. Ceterum, his quoque missis, certum nobis videtur, si Deus mundum omnium possibilium optimum condidit, Eum non posse dici omnipotentem. Enimvero, si Deus mundum omnium possibilium optimum creavit, eius potentia iam exausta est; quia, cum mundo optimo nullus alius praestantior dari queat, Deus iam effecit quidquid efficere potest. Atqui potentia, cuius obiectum exhauriri potest, immo iam exhaustum est, non est infinita. Ergo theoria, quae mundum

---

1) *Théod.*, part. 2, § 227, p. 573, ed. cit.

2) « Super omnia, ad rem inquit s. Thomas, quae Deus fecit, adhuc potest alia dissimilia facere, et novas species, et nova genera, et alios mundos, nec umquam id, quod factum est, facientis virtutem adaequare potest »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. XX, a. 4 c. Hinc Arnaldus (*Op. cit.*, ibid.) Malebranchio crimini vertit, quod destrueret primum articulum Symboli, quo in Deum Patrem omnipotentem credere profitemur. Cf quoque Fénélon, *Op. cit.*, c. cit., p. 333.

3) *Théod.*, part. 2, § 224, p. 573.

omnium possibilium a Deo creatum esse statuit, infinitam potentiam, seu omnipotentiam Dei tollit [1].

513. Accedit his, quod doctrina Leibnitii de mundo optimo plana via ducit ad sententiam Abaelardi, Wiclefi, aliorumque asserentium, Deum non posse alia facere, quam quae fecit; propterea quod, cum mundus omnium possibilium optimus, uti ex ipso Leibnitio modo diximus, non possit esse, nisi unus, nemo non videt, si Deus non potest facere alium mundum, quam qui est omnium possibilium optimus, Deum non posse facere, nisi quod fecit. Re vera Abaelardus, et Wiclefus, qui docuerunt Deum non posse alia facere, quam quae fecit, autumarunt quoque, uti diximus, illum mundum a Deo creatum esse, qui est omnium possibilium optimus. Atqui sententia Abaelardi, et Wiclefi, qua statuitur Deum non posse facere alia, quam quae fecit, quemadmodum in *Theodicea* videbimus, omnipotentiae Dei adversatur, ob eamque causam ab Ecclesia damnata fuit. Ergo theoria Leibnitii de mundo optimo omnipotentiam Dei laedit.

514. Praeterea doctrina de mundo optimo Deum *fato*, ut Bayleus ait [2], *plus quam stoico* obnoxium facit, quia triplicem Ei speciem *servitutis* imponit.

515. Prima servitus est, quod Deus ad potius hunc mundum, quam alium, creandum cogitur. Nam, si Deus mundum creare volens debuit optimum omnium possibilium creare, non potuit ex infinitis mundis possibilibus potius unum, quam alium ad existentiam vocare, sed eum, quem creavit, scilicet omnium optimum creare coactus est. Atqui, ubi non est electio, ibi est necessitas. Ergo Deus hunc mundum prae reliquis possibilibus non ex suae voluntatis consilio, sed necessitate coactus creavit. Unde, si Deus interrogaretur, cur non alium mundum possibilem, quam hunc, condiderit, respondere, aiente Bayleo, posset cum Iunone apud Virgilium: *Quippe vetor fatis* [3]. Quod ut clarius intelligatur, mente reputandum est, admissa

---

[1]) Nonnulli e Leibnitii schola pertendebant nostram, non vero suam opinionem limites omnipotentiae Dei statuere, quippe quod nos Deo potestatem mundi omnium possibilium optimi efficiendi denegamus (cf Auct. *Additamentorum* ad *Met.* P. Sagner, *Theol. nat.*, § 54, Additam. 144, not. 4, vol. II, Placentiae 1767). Sed, uti ex dictis patet, immerito. Nam qui tenet Deum non posse efficere id, quod repugnat, nihil omnipotentiae Dei detrahit, quia ea, quae secum pugnant, sese destruunt, ob idque nihil re ipsa sunt. « Ea vero, s. Thomas subdit, quae contradictionem implicant, sub Divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere » (I, q. XXV, a. 3 c.; cf *Ontol.*, c. II, art. 1, p. 18, not. 3). Atqui rem aliquam creatam esse omnium possibilium optimam repugnat, quia omni re creata, utpote finita, ut paulo ante diximus, alia melior esse potest. Ergo is, qui Deo potestatem mundi optimi efficiendi denegat, Eius omnipotentiam haud laedit.

[2]) *Rép. à un Provincial*, cc. 151, et 165; *Oeuvr.* t. III, p. 811 sqq, et p. 848.

[3]) Vid. Bayle, loc. cit. Cf Fénélon, *Op. cit.*, c. 8, p. 331 sqq; Arnauld, *Op. cit.*, ibid.; Clarke, 2e *Répl.*, § 1, p. 750, 3e *Répl.*, § 7 et 8, p. 754 etc.

theoria de mundo optimo, nonnisi unicum esse mundum possibilem. Namque non aliud possibile dici potest, quam quod Deus efficere quit. Atqui secundum theoriam optimismi Deus non potest alium mundum efficere, quam illum, in quo *maximum* realitatis, seu perfectionis est, nempe qui optimus est. Ergo non alius mundus secundum Optimistas est possibilis, nisi optimus. Quod si res ita se haberet, Deo mundum creare volenti nullam eligendi facultatem relictam esse concludendum esset [1].

516. Altera servitus in eo posita est, quod Deus mundum, quicumque sit, creare cogitur. Et sane, si ratio, ex qua Leibnitius ad suam de mundo optimo theoriam excogitandam permotus fuit, ullam vim haberet, ea necessitatem creationis quoque probaret. Namque ratio, ex qua Leibnitius, eiusque sectatores ad tuendum optimismum permoti sunt, in eo posita est, quod infinita Dei bonitas vetat, quominus Deus, mundum creare volens, minus bonum maiori bono praeferat, quia minus bonum, si cum maiori bono comparetur, re ipsa est malum. Atqui, si Deus a mundo creando abstinuisset, nihil, seu defectum cuiuslibet entitatis mundo praetulisset, sive, quod idem valet, nullum bonum effecisset. Ergo eadem ratio, ob quam Leibnitiani optimismum profitentur, eos necessitatem creationis admittere cogit. Re vera, si infinita Bonitas Dei expostulat, ut Deus cum rebus, quas creat, *esse* suum, quoad natura rerum finitarum sinit, communicet, ipsa potiori iure expostulare debet, ut res creat, quia, si a creando abstineret, *esse* suum cum aliis nullo modo communicaret. Praeterea, quoniam Deus, Leibnitianorum iudicio, mundum omnium optimum creare debet, ut perfectiones suas, quoad fieri potest, manifestet, consequens est Eum eo magis ad mundum creandum cogi, alioquin perfectiones suas non modo non quoad fieri potest, sed omnino non manifestasset [2]. Qua de re tenendum est Deum, si poterat, abstinens a creando mundo, perfectiones suas non manifestare, procul dubio eo magis potuit in mundo creando perfectiones suas illo modo manifestare, quem opportunum iudicavit.

517. Postrema servitus est, quod Deus mundum his, non vero aliis viis construere, et gubernare cogitur. Namque hic mundus, secundum Malebranchium, ideo optimus omnium possibilium dicendus est, quod Deus res in eo ita disposuit, ut viis, quoad fieri potest, simplicibus finem suum assequeretur. Iam quoniam Deus mundum omnium optimum creare debet, Ipse certe mundum non aliis, quam quas constituit, viis construere, et gubernare potest [3].

---

[1]) Cf Ritter, *Histoire de la phil. moderne*, lib. III, c. 2, t. II, p. 374, et 375, ed. cit., et Bonifas, *Étude sur la Théodicee de Leibniz*, c. 5, p. 129, Paris 1863.

[2]) Cf Fénélon, *Op. cit.*, c. 6, p. 336, et Bonifas, *Op. cit.*, part. 3, c. 1, p. 142. De duplici hac necessitate videsis quoque Sigism. Storchenau, *Instit. Met.*, lib. II, *Cosmol.*, sect. 2, c. 3, § 82, et 83, p. 129-130, Venetiis 1794.

[3]) Cf Arnauld, *Op. cit.*, ibid., et Storchenau, *ibid.* § 84, p. 130, 131.

518. Quae cum ita sint, iure, meritoque Bayleus asseruit propugnatores doctrinae de mundo optimo Deum *tribus servitutibus* obnoxium facere, quia, posita theoria de mundo optimo, Deus non potuit, quin mundum crearet, aut alium crearet, quam quem creavit, aut ipsum aliis viis, quam quas sectatus est, construeret.

519. Reliquum est, ut potiora argumenta Leibnitii, et Malebranchii confutemus.

Obiic. 1° Leibnitius, eiusque sectatores: Si Deus inter mundos possibiles optimo alium magis, minusve bonum praetulisset, mundum sine ulla ratione sufficiente creasset. Atqui quidquam ne in Dei quidem operibus sine ratione sufficiente esse potest. Ergo Deus mundum omnium possibilium creasse dicendus est.

520. Resp. *Dist. mai.*: sine ratione extra Deum posita, *conc. mai.*; sine ratione, quae est in ipso Deo, *neg. mai.*; eadem dist. *neg. et conc. min. Neg. cons.* Clarkeus, ut Leibnitii doctrinam de mundo optimo oppugnaret, secutus aliquos veteres, quorum mentionem s. Thomas fecit [1], negavit Deum mundum ex aliqua ratione sufficiente condidisse; siquidem, cum de rebus indifferentibus agitur, cuiusmodi certe est mundus, simplex voluntas Dei est ratio sufficiens, cur ipsae existant [2]. Ratio, quae eum movit, ni fallimur, haec est, quod voluntatem Dei a causa extranea determinari repugnat [3]. Ast id pessimo sane consilio. Nam « simplex voluntas, quemadmodum ei scite respondit Leibnitius, sine aliqua ratione non solum perfectioni divinae adversatur, sed est etiam chimerica, cum se ipsa pugnans, et voluntatis definitioni adversa [4] »; unde a s. Thoma redarguitur « error quorumdam dicentium omnia procedere a Deo secundum simplicem voluntatem; ut de nullo oporteat rationem reddere, nisi quia Deus vult [5] ». Quapropter plaudendum est Leibnitio asserenti Deum non potuisse mundum condere sine aliqua ratione sufficiente; sed concedendum ei non est rationem sufficientem, ob quam Deus mundum creavit, esse entitatem, seu bonitatem eiusdem mundi; quia Deus, cum sit ens sibi ipsi sufficientissimum, a causa extranea, ut Clarkeus advertit, determinari non potest. Quod cum ita sit, nos oppositos, in quos Leibnitius, et Clarkeus fregerunt scopulos vitaturi, secundum Patres, et Scholasticos, statuimus 1° admittendam quidem esse aliquam rationem, ob quam Deus mundum creavit, quia Deus, utpote sapientissimus, nihil sine ratione moliri potest; 2° rationem, ob quam Deus mundum creavit, non esse aliam, nisi ipsam Bonitatem Dei, quippe quod, cum

---

1) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 86, et *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXIII, a. 6.
2) *Lettres* etc., 3e *Répl.* § 2, p. 753.
3) *Ibid.*
4) *Lettres* etc., 4e *Écrit*, § 2, p. 755.
5) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 87. Cf *ibid.*, c. 86.

Deus a nulla re extra se posita pendeat, ratio, ob quam aliquid agit, nonnisi in Ipso inveniri potest. Quoniam hac de re in *Theodicea* agendum nobis erit, in praesentia satis est audire s. Thomam, qui Deum ad mundum creandum non nisi a bonitate sua moveri potuisse ostendit his paucis: « . . . finis . . . est ratio volendi ea, quae sunt ad finem; Deus autem vult bonitatem suam tamquam finem, omnia autem alia vult tamquam ea, quae sunt ad finem. Sua igitur bonitas est ratio, quare vult alia, quae sunt diversa ab ipso [1] ». Quod si ratio, ob quam Deus mundum creavit, non est perfectio ipsius mundi, sed bonitas Creatoris, consequitur rationem, ob quam Deus hunc mundum, non vero alium ipso perfectiorem, aut imperfectiorem condidit, non in perfectione ipsius mundi, sed in ipso Deo quaerendam esse. At vero haec inquisitio, ut nos iam monuit s. Augustinus, supervacanea, imo temeraria est, cum de re agatur, quae ad arcana Divinae Sapientiae pertinet. « Cur, s. Augustinus ait, tantus est mundus? Poterat enim esse vel maior, vel brevior; nescio. Tale est enim. Et cur hoc loco potius, quam illo: nec in ea re debet esse quaestio, ubi quidquid esset, quaestio esset [2] ». Itaque concludimus nos non posse dubitare, quin Deus non sine aliqua ratione hunc mundum ceteris possibilibus praetulerit, sed ignorare, quaenam illa ratio fuerit.

521. Obiic. 2° Si Deus crearet mundum omnium possibilium minime optimum, sapientiae, bonitatique suae derogaret, quia, sicut minus malum est quoddam bonum, ita minus bonum est quoddam malum. Atqui consequens est absurdum. Ergo antecedens.

522. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Quandoquidem notio mundi omnium possibilium optimi, ut modo vidimus, sibi repugnat, inde patet nos sapientiae, bonitatique Dei non derogare, quod Eum mundum omnium possibilium optimum minime effecisse docemus; siquidem Deus ea, quae repugnant, efficere nequit. Qua de re statuendum est, sapientiam, bonitatemque Dei non expostulare, ut Deus efficiat mundum omnium possibilium optimum, sive *absolute* opti-

---

[1]) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 86, n. 1.

[2]) *Ep. III ad Nebrid.*, n. 2. Pnaeclare, ut solet, ad hanc rem s. Thomas: « Si quaeramus de aliquo particulare corpore, puta de terra, quare infra hos magnitudinis terminos coercetur, et non extenditur ultra, potest eius ratio esse ex proportione ipsius ad totum mundum. Sed si rursum quaeramus de tota corporum universitate, quare hos determinatae magnitudinis terminos non excedat, non potest huius ratio esse ex proportione eius ad aliquam magnitudinem aliam; sed oportet huius determinatae magnitudinis rationes accipi ex sola intelligentia, et voluntate facientis. Sicut igitur infinitus Deus finitum universum produxit secundum suae sapientiae rationem; ita aeternus Deus potuit novum mundum producere secundum eamdem sapientiae rationem » (*In lib. De Causis*, lect. XII). Adde s. Bonaventuram, qui scribit: « Si alium mundum et hoc meliorem, fecisset, adhuc erit ultra quaerere, quare non fecit meliorem, cum possit, et sic procedendo ulterius; et ita talis quaestio est irrationalis, et solutio non potest dari, nisi haec: quia voluit, et rationem ipse novit.

mum [1]; sed, cum omnia opera Dei sint perfecta, illud necessario requirere, ut, quemcumque mundum ex omnibus possibilibus efficere velit, ipsum efficiat optimum tum in se ipso, tum prout ad Eum auctorem sui pertinet. Iamvero dubitare neutiquam licet, quin hic mundus, vel quilibet alius, quem Deus creare vellet, sit hoc modo optimus [2]. Deus enim, cum sit sapientissimus artifex, cuilibet e mundis possibilibus, quem creare vult, omnia largiri debet, per quae et omnem illam, cuius capax natura eius est, perfectionem assequatur, et ad manifestationem bonitatis Dei, quae est ultimus eius finis, perfectum ordinem habeat. Utroque ex capite mundum esse per se optimum s. Thomas iam adnotavit. « Dicendum, ait, quod universum, quod est a Deo productum, est optimum respectu eorum, quae sunt, non tamen respectu eorum, quae facere potest [3] » ; atque alibi: « Dicendum, quod illud, quod Deus facit, est optimum per ordinem ad Dei bonitatem [4] ». Ex quibus omnibus perspicitur 1° quemlibet mundum possibilem esse in suo genere entium optimum, quia quilibet mundus omnia habeat necesse est, quae eius natura expostulat; 2° omnes mundos possibiles, si ad Deum relati considerentur, esse aequales, quia omnes, quotquot sunt, fines a Deo sibi praestitutos assequuntur ; 3° nihil in ullo mundo possibili inveniri, quod Deum ad illum reliquis praeferendum determinare potest, sed rationem, ob quam Deus hunc mundum reliquis praetulit, in Deo unice esse quaerendam. Illud porro omittendum non est, perabsurdam esse rationem, qua Leibnitius *propositionem* sui argumenti probavit; quia, cum bonum, et malum *privative* sibi opponantur, prorsus repugnat ullum bonum, prout, est bonum, esse malum, aut ullum malum, prout est malum, esse bonum.

523. Obiic. Malebranchius: Omnium optimus certe est mundus dicendus, si infinitum pretium habet. Atqui mundus infinitum pretium re ipsa habet ex eo, quod Verbum homo factum illum cum Deo conditore suo coniunxit. Ergo mundus omnium optimus dicendus est.

Attamen, si non fecisset, nemo potest arguere, quia hoc totum, quod fecit, fuit gratia, nec erat aliqua exigentia, ratione cuius possit poni in eo fuisse invidiam » ; *In lib. I Sent.*, Dist. XLIV, a. I, q. 1 *ad arg.*

[1]) « Quod agit. subdit Doctor Seraphicus, secundum artem, et sapientiam, agit quantum vult, et quantum congruit, salvo ordine, quia sapientis est ordinare » (*In lib. I Sent.*, cit., Dist. XLIV, a. 1, q. II *ad arg.*); atque *ibid*: « Ad illud, quod obiicitur, quod bonum summum summe se diffundit, dicendum quod verum est de diffusione naturali; sed de voluntaria, sive a proposito non est verum ».

[2]) « Quamvis sapientia est infinita, tamen res non sunt capaces, nisi ordinis finiti; et ipsa sapientia summa summum dat ordinem, quem habere possunt »; *ibid.*, q. III *ad arg.*

[3]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 16 ad 17.

[4]) *Op. cit., ibid.*, q. I, a. 5 ad 15.

524. Resp. *Conc. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Malebranchius plura oggerit, quae tum sanae philosophiae, tum Theologiae Catholicae decretis manifeste adversa sunt. Primo enim ipse, ut vidimus [1], optimismus mundi tuitus est, quia putavit mundum non fore dignum infinita sapientia Dei, nisi infinitus esset. Iam hoc pronuntiatum quolibet vel plebeo philosopho indignum est, nedum Malebranchio. Nemo enim nescit non solum non esse necesse, sed fieri non posse, ut opera, quae Deus extra se molitur, sint infinita, seu, ut interdum loquitur Malebranchius, infiniti pretii. Praeterea ipse pro certo sumit Incarnationem Verbi fuisse necessariam non solum quia genus humanum ob peccatum Adae ab originali iustitia dilapsum est, sed etiam, si Adam non peccasset. Ast haec duo decretis Theologiae Catholicae adversantur. Nam secundum a ss. Patribus, et Scholasticis concorditer reiicitur; primum vero paucos fautores habet, cum fere omnes doceant Incarnationem post peccatum Adae non fuisse necessariam *absolute*, sed tantum *hypothetice*, hoc est si Deus condignam satisfactionem repetere ab hominibus voluisset [2].

VOLVMINIS SECVNDI

FINIS

---

[1]) P. 461, not. 5.

[2]) Cf Klee, *Op. cit.*, Part. 2, c. 4, p. 257, 258, ed. cit.

ERRATA	CORRIGE
PAG. LIN.	
8, 37, ut	et
80, 38, eiusque	cuiusque
119, 8, sumno	somno
124, 29, vel extrinsecus, puta rectitudo	vel intrinsecus, puta rectitudo
277, 32, CLVI	CLXVI
302, 35, viventiis	viventis
333, 32-33 vegetabiles... denominatur	vegetativae... determinatur
349, 42, Officio	Opificio
» 44, c. VIII	c. VII
379, 24, diminuitus	diminuitur
421, 7, hypotheis	hypothesis
429, 34, δημιουσγικους	δημιουργικους
444, 34, molittonem	molitionem

REVISIONE ARCIVESCOVILE

Nihil Obstat
ANTONIUS Can. D'AMELIO
Censor Theologus.

Imprimatur
JOSEPH Can. MOLINARI
Deputatus.

102
Sa 59
33674
SANSEVERINO, CAJETANUS
AUTHOR
Institutiones seu Elementa Philo-
TITLE sophiae Christianae, ed.
Signoriell, Tom. 2
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
STORAGE - CBPL
33674